P. OVIDII NASONIS

FASTORUM

LIBRI VI.

Cum Notis Selectissimis
VARIORUM.

ACCURANTE
C. SCHREVELIO.

LONDINI,
Ex Officinâ *J. H.* Venales prostant apud *T. Newborough*, ad insigne *Pilæ Deauratæ* in Cœmeterio Divi Pauli, 1699.

1001. b

P. OVIDII NASONIS

FASTORUM

LIBRI VI.

3127

P. OVIDII NASONIS

FASTORUM

LIBRI VI.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

AMICE LECTOR,

Kalendarium quod vides, cum in vetuſtis membranis reperiſſem, quamvis mendoſum fœdeque depravatum multis partibus, & ab homine hujus argumenti non ſatis perito confectum, quia tamen Faſtis Naſonianis attexitur, plerumque in Codicibus antiquis, nos quoque illud in Editione hac noſtra nequaquam duximus omittendum, adornaturi & ipſi aliquando Faſtos, qui Naſonianis accuratius reſpondeant. Vale.

KALEN-

KALENDARIUM.

JANUARIUS.

A Kal. Januarii. Jani feſtum, Junonis, Jovis, & Æſculapii.
b iv. No.
c iii. No. Cancer occidit coſmice.
d ii. No.
e Nonis. Lyra oritur.
f viii. Id.
g vii. Id.
A vi. Feſta Jani Agonalia. Delphin oritur.
b v. Id. Medietas hyemis.
c iv. Id.
d iii. Id. Feſta Carmentis & Juturnæ.
e ii. Id
f Idubus. Feſtum Jovis. Redditæ ſunt provinciæ. populo Romano.
g xix. Kal. Febr. Cæſar Auguſtus vocatur.
A xviii. Kal. Sacrificium Carmentis. Feſtum Porrimæ & Poſtvertæ.
b xvii. Kal. Feſtum Concordiæ.
xvi. Kal.
c xv. Kal. Sol in Aquario.
d xiv. Kal.
e xiii. Kal.
g xii. Kal.
A xi. Kal.
b x. Kal.
c ix. Kal. Lyra occidit.
d viii. Kal. Pectus Leonis occulitur.
e vii.
f vi. Kal. Feſtum Caſtoris & Pollucis.
g v.
A iv. Kal.
b iii. Kal. Feſtum Pacis.
c ii. Kal.

FEBRU-

FEBRUARIUS.

d Kal. Febr. Templum factum est Carmenti. Celebratur Asylum.
e iv. Non. Lyra penitus occidit.
f iii. Non. Occidit Delphin.
g ii. Non.
A Nonis. Augustus dictus est pater patriæ. Aquarius vadit ad occasum.
b viii. Id.
c vii. Id. [Primus dies Feralium.]
d vi. Id.
e v. Id. Ver incipit.
f iv. Id. Initium Veris
g iii. Id. Bootes oritur, & est festum Fauni.
A ii. Id.
b Idubus. Festum Jovis & Fauni, Nefastus dies Fabiorum.
c xvi. Kal. Martii. Anguis, Corvus, Crater oriuntur.
d xv. Kal. Sol intrat in Pisces. Iterum Fauni.
e xiv. Kal.
f xiii. Kal. Festum Quirini. Festum stultorum & Fornacis.
g xii. Kal. Feralia.
A xi. Kal. Charistia virorum.
b x. Kal. Termini.
c ix. Kal.
d viii. Kal. Fuga Tarquinii Superbi, Veris initium.
e vii. Kal.
f vi. Kal.
g v. Kal.
A iv. Kal.
b iii. Kal. Equiria in campo Martio.
c ii. Kal.

MARTIUS.

d Martii. Festum Martis & Junonis Ancilia feruntur: non est bonum nubere.

e vi.

e vi. Non.
f v. Non. Alter piſcium conditur. Oritur vindemitor.
g iv. Non. Bootes citius, vindemitor tardius occidunt coſmice.
A iii. Non. Feſtum Veſtæ. Cathedra Julii.
b ii. Non. Feſtum Vejovis. Pegaſus oritur heliace.
c Nonis.
d viii. Idib. Corona Ariadnes oritur.
e vii. No.
f vi. No.
g v. No.
A iv. No.
b iii. No.
c ii. No. Altera Equiria fiunt juxta Tyberim.
d Idubus. Feſtum Annæ Perennæ. Julius Cæſar occiſus in Capitolio.
e xvii. Kal. Aprilis. Scorpius oritur.
f xvi. Kal. Milvius oritur. Feſtum Bacchi. Vilis anicula hederis coronata vendit populo libatum. Melle Libero patri ſacrificamus. Libera toga datur. Milvus oritur chronice. Feſtum eſt Ledæorum qui fuerunt Argivi, vel Larium.
g xv. Kal.
A xiv. Kal. Quinquatria Palladis captæ.
b xiii. Kal.
c xii. Kal.
d xi. Kal. Sol in Arietem.
e x. Kal. Ultimus dies quinquatruum.
f ix. Kal.
g viii. Kal. Æquinoctium vernale.
A vii. Kal.
b vi. Kal.
c. v. Kal. Feſtum Jani, Concordiæ, Pacis & Salutis.
d iv. Kal.
e iii. Kal.
f ii. Kal. Feſta Lunæ labentis templum in Aventino monte.

APRI-

APRILIS.

g Aprilis. Feſtum Veneris & Virilis Fortunæ. Scorpius occidit.
A iv. No. Pleiades oriuntur.
b iii. No. Meretrices lavantur ſub myrtho. Fors Fortuna Virilis. Scorpius occidit coſmice.
c ii. No. Hebæ & Matri Deorum. Megalenſes ludi fiunt.
d Nonis. Feſtum Publicæ Fortunæ.
e viii. Id. Orion occidit chronice.
f vii. Id. Feſtum Cerealium ludorum. Libra occidit coſmice. Juba victus eſt à Julio Cæſare
g vi. Id.
A v. Id.
b iv. Id.
c iii. Id.
d ii. Id.
e Idibus. Feſtum Jovis Victoris. Templum .... Libertatis.
f xviii. Kal. Maii. Dies grandinoſa. Auguſtus Cæſar vicit Mutinenſes.
g xvii. Kal. Forda litatur Telluri.
A xvi. Kal. Triumphus Auguſti. Hyades occidunt heliace.
b xv. Kal. Sol in Taurum.
c xiv. Kal. Equiria. Combuſtio vulpium.
d xiii. Kal. Feſta Palis. Roma condita.
e xii. Kal.
f xi. Kal. Feſta Veneris Vinalia.
g x. Kal.
A ix. Kal.
b viii. Kal.
c vii. Kal.
d vi. Kal. Feſtum Rubiginis. Aries oritur heliace * Prothius oritur coſmice, occidit heliace. Tempora Veris prima finita ſunt.

e. v. Kal.
f iv. Kal. Feſtum Floræ & Veſtæ.
g iii. Kal.
A ii. Kal.

MAIUS.

b Kal. Maii. Amalthea capra oritur coſmice. Ara Laribus poſita.
c vi. No. Flat ventus Argeſtes. Hyades oriuntur coſmice. Finis Floralium.
d v. No. Panthera Chironis oritur chronice.
e iv. No.
f iii. No. Stellificatio Lyræ. Sagittarius oritur.
g ii. No. Scorpius apparet in parte media.
A Nonis.
b viii. Id. Lemuria celebrantur; non eſt bonum nubere.
c vii. Id. Orion occidit chronice.
d vi. Id. Feſtum Martis Biſultoris.
e v. Id.
f iv. Id.
g iii. Id.
A ii. Id. Pliades oriuntur heliace. æſtas incipit.
b Idibus. Ora Tauri oriuntur heliace. Scirpea ſimulacra mittuntur in Tiberim. Feſtum eſt Mercurii.
c xvii. Kal. Junii.
d xvi. Kal. Junii.
e xv. Kal. Sol it in Geminos. Agonia Junii fiunt.
f xiv. Kal. Canis Orionis exit.
g xiii. Kal. Luſtra Vulcani fiunt.
A xii. Kal.
b xi. Kal.
c x. Kal. Mos ſacrorum pro fuga Tarquinii faciundorum; non modo ineſt fuga Tarquinii; ineſt viii. Kal. Mart.
d ix. Kal. Feſtum Publicæ Fortunæ.
e viii. Kal. Roſtra aquilæ oritur chronice.
f vii. Kal. Bootes occidit heliace.

g vi. Kal. Hyas occidit heliace, oriens coſmice.
A v. Kal.
b iv. Kal.
c iii. Kal.
d ii. Kal.

JUNIUS.

e Junii. Feſta Carnæ, Junonis Monetæ, Martis, & Tempeſtatis. Aquila oritur chronice.
f iv. No. Hyades oriuntur heliace.
g iii. No. Bellonæ Feſtum.
A ii. No. Dedicatio templi Herculis.
b Nonis. Feſtum Trinomii dei Fidei Sancti Semipatris. Malum eſt nubere ante Idus.
c viii. Idus.
d vii. Id. Tergum urſæ occidit heliace, & regis Lycaoni. Lycaonida fiunt, ludi Tyberis.
e vi. Id. Datum eſt templum Menti. Feſtum eſt Veſtæ. Aſinus coronatur: ara Priapi. Priori Palladium liberatur ab igni Gallico. Mors Craſſi & ſuorum.
f v. Id. Delphin oritur chronice.
g iv. Id. Matralia fiunt. Rutilius & Didius occiduntur. Templum Fortunæ Servius; Concordiæ Livia dedicavit.
A iii. Id.
b ii. Id.
c Idibus. Jovi invicto datum eſt templum. Minora quinquatria Palladis fiunt.
d xviii. Kal. Julii.
e xvii. Kal. Dione orta eſt Heliace in fronte Tauri.
f xvi. Kal. Flat Zephyrus proſper navigantibus.
g xv. Kal. Sol in Cancrum. Pallas collitur in Aventina arce.
A xiv. Kal. Secundus ventus. Orion oritur heliace.
b xiii. Kal. Delphin oritur chronice. Sol in Cancrum. Volſci & Æqui vincuntur.

c xii. Kal. Templum datum eſt Sumano Jovi.
d xi. Kal. Æſculapius, qui & dicitur Opiuchus & Serpentarius, chronice oritur.
e x. Kal.
f ix. Kal. Victus eſt Flaminius.
g viii. Kal. Syphax vincitur. Haſdrubal occiditur. Feſtum Fortis Fortunæ. Solſtitium.
A vii. Kal. Feſtum Larium & Jovis Statoris.
b vi. Kal. Orion apparet à Zona inferius. Solſtitium.
c v. Kal. Laurum.
d iv. Kal. Templum Quirino factum.
e iii. Kal.
f ii. Kal. Feſtum Pieridum.

ALTERIUS

ALTERIUS CALENDARII

FRAGMENTUM

In quo

Pars MAII & JUNII.

DC.
EAGO. NP.
FN.
GTUBIL. NP.
HQ. R. C. F.
AC Fortun. publ. pr. in coll.
BC
CC
DC
EC
FC
GC
XXXI
MARS

AC.
BC Minervæ in Aventino.
CC Summan. ad Circ. max.
DC
EC
FC
GC Fort. fort. & ad xiv. &
HC
AC
BC
CC
DF
EC
VXX

P. OVIDII

P. OVIDII NASONIS

VITA,

Ex vetuſto Codice Pomponii Læti, cujus apographum exſtat in Vaticana Bibliotheca.

P. Ovidius Naſo a. d. xii. Kal. April. Sulmone in Pelignis natus eſt: quo anno bello Mutinenſi P. Hirtius & C. Panſa Coſſ. diem obiere; honoribus Romæ functus: fuit enim arbiter & triumvir, & judicium inter centum viros dixit. Sub Plotio Grippo literis eruditus: deinde apud Marcellum Fuſcum Rhetorem, cujus auditor fuit, optime declamavit. Admirator plurimum Porcii Latronis fuit, quem adeo ſtudioſe audivit, ut multas ejus ſententias in verſus ſuos tranſtulerit. Bonus declamator, & ingenioſus habitus eſt, & carmine proſa licenter ſcripſit, ingenii ſui adeo amator, ut

ut ex iis, quæ dixit etiam precantibus amicis nihil mutaverit. In carminibus vitia ſua ignoravit, ſed amavit. Militavit ſub M. Varrone. Julio Græcino Grammatico familiaris. Tandem cum veniſſet in ſuſpicionem Auguſti, creditus ſub nomine Corinnæ amaſſe Juliam, in exilium miſſus eſt. Exulavit Tomis ibique deceſſit annum agens LX. noviſſimum.

ALIA NASONIS VITA

Ex Codice Farneſiano.

P. Ovidius Naſo Pelignis natus eo anno quo Hirtius & Panſa Coſſ. in Mutinenſi bello perierunt ſimul, quo cœpit triumviratus. Fratrem habuit nomine Lucium natu majorem, defunctum tamen in minimis annis. Romæ ſub Plotio Grippo literis operam dedit, à Cornelio Gallo ditiſſimo & doctiſſimo

cive,

cive, & à M. Varrone multa cepit. Familiariſſimus fuit Julii Hygini Grammatici. Paternis ſtimulis foro aliquamdiu incubuit, unde plerumque judicium dixerit inter centum viros. poſt parentis mortem ad Poëticen integer rediit, ſcripſitque libros duos Heroïdum Epiſtolarum. Inde cum M. Varrone Aſiam petiit, ſub quo militavit; neque prius huc ſe contulit, quam peritiſſimus literarum Græcarum foret. Scripſit inde Epiſtolas quaſdam ad Tiberii filiam ſub falſo nomine ac ficto Corinnæ inſcriptas, quæ propter crimen læſæ Majeſtatis combuſtæ fuerunt; inde & exilium meruit.

XIII. KALEND. APRILIS II.

Quinquatrium, proximus ab eo quo Minerva nata eſt, P. OVIDII NASONIS SULMONENSIS *Natalis, ortuſque ejus, Kalendario Romano, ſive Faſtis, à* Daniele Heinſio *additus; prout ipſa dies infra in Kalendario exprimitur, ac ſuo loco ponitur.*

ANte duos, fulvi vectorem velleris ortus,
Sol adiit. media nata Minerva fuit.
Altera lux oritur feſtis de quinque Minervæ,
Et Divæ auſpicium bella colentis habet.
Quæ licet uberius Pelignis favit aquoſis,
Romanos tamen eſt inter habenda, dies.
Illa dies terris Naſonem contulit: illa
Sydus in occidum perpetuumque dedit.
Protinus excepit naſcentem Æneia mater,
Et pueri cunas ducere juſſus Amor.
Nec lucis memor ipſa ſuæ, Tritonia virgo
Adfuit, & Phœbus Pieride ſque Deæ.
E quibus una ſoror jam motam ſuſtulit urnam:
Altera ſic monitis illius orſa loqui,
Vive puer, dixit: ſeptemque aſſurgite montes.
Infelix Helicon, gloria prima, jaces.
Ingenio vincat Tyberinus, vincit ut armis.
Non alium Graiis fata dedêre parem.
Tranſtulit Æneas huc Veſtæ numen, & ignes:
Tranſtulit ille ignes huc, Cytherea, tuos.
Alme puer, puerique parens, aſſurgite nato,
Addat, & ad feſtos hunc quoque Roma diem.
Ille verecundis dictabat verba puellis,
Quæ ſcribat domino quæque relicta ſuo:

Aut gemet in foribus non exauditus amator:
Aut dominæ promptam ſollicitabit opem.
Et modo præcipiet, tenerum modo tollet amorem,
Et medici partes conciliator aget.
Nunc ſpecies formaſque alias inducet. & Annum
Lapſaque ſub terras ortaque ſigna canet.
Et nuſquam deerit facundæ copia linguæ,
Grataque ſimplicitas, mobilitaſque viri:
Nec dulcis quanquam in minimis ſapientia rebus,
Quæ vim non rigide præcipientis habet:
Et quicquid longis vix ſuadet Græcia chartis;
Non alio Delphis Delius ore canit.
Quod ſupereſt, fortuna fave. ſed fata minantur,
Et pluviam cœli diſcolor arcus agit.
Eloquar an fileam? lacrymæ ſua verba morantur:
(Verbaque cum lacrymis mixtafuiſſe ferunt.)
Nec magis aut Cremeræ, Ticini aut cæſa juventus,
Aut clades ſuperis ulla pudenda fuit:
Nec magis infauſtum Romæ fuit Allia nomen.
(Inter Cæſareas atra ſit illa dies!)
Finibus in Scythicis, ultraque binominis Iſtri,
Ille tuus quondam, perfide, doctor erit.
Non Venus hoc natos de ſe ſperare jubebat;
Ardorum genitrix, Æneadumque parens.
Triſtibus hic elegis patriam plorabit ademptam,
Nec Ponti gelidam diſſimulabit humum.
Qualia deſerta Philomela ſub arbore, natis
Orba repente ſuis, aut viduata, gemit.
Qualia Mæandri toties redeuntis in undis,
Aut canit, aut fertur, jam moriturus olor.
Hic fati immemorem diſtringet carmen in Ibin,
Archilochi diris dignior ille fuit.
Dixerat: ingemuit, vocem tenuêre ſorores.
Flet Venus admonitu, flet male gratus Amor.
Indoluit Phœbus; ſublectaque verba ſorori
Rettulit, ante oculos viſus adeſſe, mihi.
Dicta dies aderat, primaſque Aurora tenebras
Purpureis nondum tota premebat equis:
Ipſe Deum vidi, ſeu tactæ mentis imago,
Seu ſomnus fuerit: nec puto ſomnus erat.

Læva Dei myrtum, dilectaque ſerta gerebat:
Compoſitum fidibus dextra tenebat ebur.
Littoreaque premens leviter mea tempora myrto,
Sacra dies hæc eſt, & celebranda tibi,
Sacra dies, inquit: quæ primum lucis in auras
Naſonem populis, & tibi Roma, tulit.
Hanc ego, ſeu Lyciam maternaque littora calco,
Seu Boreæ ſedes teſquaque, lætus ago.
Nec pudet; & referam, quanquam pudet (omnia vatem
Scire decet: cœlum vatibus omne patet.)
Nos quoque læſit Amor, volucriſque potentia Divi,
Et ſatis in cœlo fabula nota ſumus.
Nec loquor aut Chiones, pulchræque Coronidis ignem,
Aut veterem Daphnes, aut Hyacinthe tuum,
Et quemcunque ſuo deducit carmine noſter,
Cum facies verſas nobile cantat opus:
Pelignis memini vixiſſe ſalubribus olim.
Cauſa fuit facies grataque forma Deæ.
Nympha fuit, vultu, ſi quicquam credis amanti,
Digna Deo natis cœlicoliſque coli.
Clara, genus Solymi, Solymo cognominis: à quo
Sulmonem patriam ſcis habuiſſe ſuum.
Ulteriora ſequor. ſtudiis non illa Minervæ
Dedita, nec ſylvis arboribuſque, fuit.
Non illi juvenes, non illi ſtamina curæ:
Non radio docte, non bene pingit acu.
Carmen amat tantum, noſtraſque amplectitur artes:
Carmen amat tantum, noſtraque ſacra colit.
Negligit & formam. facies ſine cultibus ullis,
Et magis hoc ipſo, cultibus orba, placet.
Hoc quoque jam (quis enim propria non tangitur arte?)
Materies noſtri magna furoris erat.
Sæpe canit vultuque ipſum commendat Homerum,
Quique ſuas Aſcræ gramine pavit oves:
Sæpe lyræ dulcem digitis accommodat artem,
Alcæique animos, Steſichorique modos.
Nondum hæc Auſoniæ celebrabant numina Nymphæ:
Vix muſas Latii tum coluêre viri.
Cura viro lituus, clypeuſque, & caſſis, & haſta:
Pars propriam, poſitus rure, colebat humum.

Matre ſub immiti ducebant penſa puellæ:
Aut plus aut ſolitum quæque trahebat opus.
Incalui fateor: nec ſpes affulſit amanti.
Hæc quoque quo minor eſt, hoc magis urget amor.
Deſerui cœlum, Pelignaque ſaucius arva
Ingredior; forma diſſimulante Deum. (tem.
Et modo cantantem ſequor, & modo plectra moven-
Nunc plectrum moveo. nunc prior ipſe cano.
Et placui ſenſi: niſi ſi placuiſſe putavi.
Scis quam de facili cornua ſumat amans.
Nil tamen obtinui, vixque oſcula frigida carpſi.
Hæc quoque luctando, nec, niſi victa, dedit.
Atque aliquid volui. ſed enim probitaſque, pudorque
Ingenuus tenuit, ſimplicitaſque Deæ.
Feſta dies aderat, Phrygiis qua vectus ab oris
Conſtituit Solymus mœnia prima ſuis.
Conveniunt matres ex ordine: virque paterque
Quilibet, & quævis feſta celebrat anus.
Nec pudor hic poſitis in vino ludere menſis;
Nec pudor inſtabiles nocte referre pedes,
Nympha petit latebras, prætentaque fontibus antra.
Forte illi in manibus docta Corinna fuit:
Aut aliquid Sapphûs. nec enim ſuus ardor amanti
Singula noſcendi tempora longa dabat.
Collis humo ſurgit, quem cingunt undique rivi:
Sylva tegit collem, frigore grata ſuo.
Hortus ineſt ſylvæ lætiſſimus, altera pendet,
Altera pars plana eſt: utraque juncta ſibi.
Omnis ab arbitrio locus eſt ſecluſus. ab omni
(Halantes Zephyros excipe) ventus abeſt.
Sol quoque abeſt omnis: niſi cum jam cedit, & auro
Illudit foliis arboribuſque ſuo.
Fons ſtrepit in medio, lapſuſque è culmine ſummo,
Per flores trepidat, quos ſuus humor alit.
Denſa ſalix fontem, fontem viridiſſima myrtus,
Roſque maris cingit: nec mea laurus abeſt.
Nympha petit fontem: ſiccaque in margine veſtem
Ponit. humi veſtem: cætera tingit aquis.
Membra nivem vincunt, quæ nondum ſole tepeſcit,
Impuri nondum quam tetigêre pedes:

Quæ-

Quæque ſuperfuſo commendant omnia rore,
Commendant ſpeciem ſponte nitentis, aquæ.
Subſequor ignaram, vulgoque remotus ab omni,
Solvor in amplexus, Nympha Latina, tuos.
Sumque deum faſſus. faſſo negat. ultima reſtant:
Nec niſi ceſſiſſet viribus illa meis.
Victa pudore gemit, patriamque relinquit & urbes,
Errat & in ſolis incomitata locis.
Luna latet novies, totieſque recolligit ignem:
Et Solyme pretium virginitatis habet.
Mota meis favit precibus Lucina puellæ.
Sponte, ſuo blandum tempore ſolvit onus.
Negligit infantem, gelidaque ſub arbore ponit:
Et potuit quemvis ille movere Deum.
Venit ovis, juſſuque meo lac præbuit illi,
Multaque mel flenti ſuppeditavit apis.
Indolui læſus: puerumque altricis egentem,
Lactanti, patrio tactus amore, dedi.
Forte illic Phrygiæ matrona è ſanguine gentis
Enixa eſt: una quæ fuit orba die.
Strix puerum rapuit; nutrixque doloribus ægræ
Suppoſuit fœtum, matre juvante, meum.
Deſerui Nympham. viſa eſt indigna parentis
Nomine: viſa meo non ſatis apta thoro.
Calliope ſacra genitum circumtulit unda,
Et quæ de tenero nomen amore gerit.
Nec ſemel ad cunas cecinit Cythereïa mater,
Et puero ſomnos conciliavit Amor.
Vix ſeptem addiderat bis denis menſibus annos,
Cum patrio cœpit dulcius ore loqui.
Sponte ſua verſus tenero decurrit ab ore,
Ad numeros veniunt verba ligata ſuos.
Et calet, & quovis primævus tangitur igne.
Uno hoc diſſimilis, cætera matris habet.
Plus patriæ tamen artis habet. Vigor ille paternus,
Lætaque vis fandi, non habitura parem:
Multaque quæ vulgo non pervidére Poëtæ.
Non niſi cœleſtes impetus ille capit.
Deſine jam faciles mirari in carmine motus,
Et dulce Eloquium, plenaque verba Deo,

Inge-

Ingeniumque viri, quo nil fœcundius uſquam eſt.
Pars cœli, & noſtri ſanguinis, ille fuit.
Sola Venus nocuit, nec amici Cæſaris ira.
Debuerat vati mitior eſſe ſuo.
Debuit & nobis (niſi ſi diverſa movemus:
Et puto jam cœpi non bona verba loqui.)
Scilicet hoc merui, cum de cœleſtibus unus
Imperio laurus auſpiciumque dedi.
Scilicet hoc merui, cum tela emiſſa per auras
Actia, victrices conſtituêre rates.
Cum quibus edomitum Rectori ceſſimus orbem,
Et rerum moles Cæſariana fuit.
Quod potui feci nihil ut mortale teneret,
Et propriam lucem conſpicuamque dedi.
Altera lux Divam genuit, lux altera vatem.
Artifici meruit proximus eſſe Deæ.
Illa dedit puppim, Scythicas qua finderet undas,
Auxilium miſeræ præſtitit illa viæ.
Hæc tibi, quam pictis fas eſt adjungere Faſtis,
Hæc tibi, quæ ſacros inter habenda, dies.
Dixerat. obſtupui, cœlumque albeſcere ſenſi.
Luxque ſimul nata eſt, & celebrata mihi.

ANGELI POLITIANI ELEGIA DE EXILIO ET MORTE OVIDII.

ET jacet Euxinis vates Romanus in oris:
Romanum vatem barbara terra tegit.
Terra tegit vatem teneros qui luſit amores,
Barbara: quam gelidis alluit Iſter aquis.
Nec te Roma pudet; quæ, tanto immitis alumno,
Pectora habes ipſis barbariora Getis?
Ecquis, Io Muſæ, Scythicis in finibus ægro
Tædia qui morbi demeret, ullus erat?
Ecquis frigidulos qui lecto imponeret artus,

Aut

Aut qui dulciloquo falleret ore diem ?
Aut qui tentaret ſalientis tempora venæ,
Aut fomenta manu, qui properata daret ?
Conderet aut oculos media jam morte natantes,
Aut legeret ſummam qui pius ore animam ?
Nullus erat ; nullus. veteres, tu dura, ſodales
Heu procul à Ponto, Martia Roma, tenes !
Nullus erat. procul ah conjux, parvique nepotes :
Nec fuerat profugum nata ſequuta patrem.
Scilicet immanes Beſſi, flavique Coralli,
Aut vos pelliti ſaxea Corda Getæ,
Scilicet horribili dederit ſolamina vultu
Sarmata, ab epoto ſæpe vehendus equo :
Sarmata, cui rigidam demiſſo in lumine frontem
Mota pruinoſo tempora crine ſonant,
Sed tamen & Beſſi extinctum, & flevêre Coralli,
Sarmataque : & durus contudit ora Getes.
Extinctum & montes flebant, & ſylva, feræque,
Et fleſſe in mediis dicitur Iſter aquis.
Quinetiam pigro concretum frigore Pontum
Nereïdum lacrymis intepuiſſe ferunt.
Accurrêre leves Paphia cum matre volucres,
Arſuroque faces ſuppoſuêre rogo.
Quem ſimul abſumpſit rapidæ violentia flammæ,
Reliquias tecto compoſuêre cado.
Impoſitumque brevi ſignarunt carmine ſaxum :
Qui jacet hic, teneri doctor amoris erat.
Ipſa locum late ſancto Cytherea liquore
Irrorat nivea terque quaterque manu.
Vos quoque Pierides vati libaſtis adempto
Carmina, ſed noſtro non referenda ſono.

De Eodem CARMEN
JUL. CÆSARIS SCALIGERI.

Loquitur ipſe Ovidius ad Auguſtum.

A Me utinam inciperes ferus eſſe cruente: nec atras
Per cædes faceres ad mea fata gradum.
Si mea te movit tetricum laſciva juventus,
Te juvenem damnas perditus: exul abi.
Impia flagitiis ſqualent penetralia diris:
Damnati ſuperant nomina fœda rei.
Non te divinum ingenium, non candida tangunt
Pectora, non Clario lingua ſecunda deo.
Lactea mollivit veteres mea vena Poetas;
Et rerum docuit pondera certa novos.
Cum te laudarem, tunc ſum mentitus: ob unum hoc
Exilii fuerat debita pœna mihi.

P. OVI-

P. OVIDII NASONIS FASTORUM

LIBER I.

TEmpora cum cauſis Latium digeſta per annum;
Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna canam.
Excipe pacato, Cæſar Germanice, vultu
Hoc opus: & timidæ dirige navis iter:
Officiique levem non averſatus honorem;

En

LIBRI VI. FASTORUM] *Numero* xii. *eſſe debuerant; imo & fuerunt. Ipſe Faſtographus in Triſtib.* Sex ego Faſtorum ſcripſi, totidemque libellos. *Sed heu periere: triſte naufragium, lugete literæ. Quo autem tempore hos ſcripſerit, habes ex ejus vitâ. At de Poëta obitu vide quæ ſcripſit Joſ. Scalig. ad Euſebii annum* MMXXXIII.

Tempora cum cauſis] Eſt hæc propoſitio ſummæ totius operis bipartita, nam & dicturum ſe tempora pollicetur, & ortus occaſuſque ſignorum. Eſt autem Ortus cujuſlibet Aſtri elevatio ſeu aſcenſus ejus ſupra Horizontem; vel certe apparitio ejuſdem, quod antea ob vicinitatem Solis non conſpiciebatur. Occaſus vero eſt depreſſio ſeu deſcenſio Aſtri infra Horizontem, vel certe occultatio ejus, ita ut amplius cerni nequeat propter Solis propinquitatem. Itaque Ortus omnis aſtrorum & Occaſus ſumitur vel comparatione Horizontis, vel comparatione Solis. Hinc fit ut apud Poëtas triplex ſit ortus occaſuſque Syderum: nempe Coſmicus, & Chronicus, qui duo penes Horizontem ſumuntur, & Heliacus qui ad Solem refertur. Lege libellum, qui Sphæra inſcribitur. *Latium per annum*] Tria autem annorum genera, quæ ex ſideribus colliguntur. Eſt annus lunaris, dierum triginta. Eſt ſolſtitialis, continens duodecim menſes. Eſt & magnus, quem eſſe volunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum. *Ant. Digeſta*] Diſpoſita & ordinata. *Paul. Tempora cum*] Ut Eratoſthenes, qui τὰ φαινόμενα cum cauſis & fabulis conſcripſit. *Neapol.*

2. *Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna canam*] Ortus & occaſus ſiderum peritia non ſolum nautis & agricolis, ſed ipſis quoque imperatoribus, & exercituum ducibus neceſſaria. *Ant.*

3. *Cæſar Germanice*] Perperam aliqui hoc opus Tiberio dicatum putant: nam hic, cui ſacravit Ovidius, eſt Cæſar ille Druſi Claudii Neronis filius; mater ei fuit Antonia minor, patruus Tiberius Nero, ſed poſtea adoptione pater. Vide Dionem Caſſium lib. lv. Germanici vero cognomen hic meruit ob patrem; quem & poſteros Senatus Germanicos dici voluit. Parens tamen defunctus, eo cognomine inſigniri cepit. *Neap. Excipe*] Cæſaris Germanici favorem implorat, ut & ingenio faveat, & opus hoc tranquilla mente ſuſcipiat.

4. *Et dirige iter timida navis*] Per tranſlationem, à gubernatoribus naviums ſumptam: hoc eſt, dirige curſum ingenii mei. *Timidæ*] Dixit, cum ſcripta ejus non eſſent omnibus grata, velut illa quæ Auguſtum offenderant. *Paul.*

5. *Levem honorem*] Quaſi exiguum hoc munus horum librorum.

En tibi devoto munere dexter ades.
Sacra recognoſces annalibus eruta priſcis,
Et quo ſit merito quæque notata dies.
Invenies illic & feſta domeſtica vobis.
Sæpe tibi pater eſt, ſæpe legendus avus.
Quæque ferunt illi pictos ſignantia faſtos,
Tu quoque cum Druſo præmia fratre feres.
Cæſaris arma canant alii: hos Cæſaris aras,
Et quoſcunque ſacris addidit ille dies.
Annue conanti per laudes ire tuorum,
Deque meo pavidos excute corde metus.
Da mihi te placidum: dederis in carmina vires.

Inta-

6. *Ades dexter numine*] Propitius tuo nutu & favore. *Huic officio*] Officioſo labori meo. *Tibi devoto*] *Operi huic Faſtorum, tibi conſecrato*: vel quod in perpetuum tibi devovetur, & traditur. *Paul.*

7. *Sacra recognoſces*] Nunc captatur attentio, cum ea ſe dicturum pollicetur, quæ ad deorum religionem pertinent. Cæterum è ſacris alia publica ſunt, alia privata. *Publica*, quæ pro populo fiunt: *Privata*, quæ pro ſingulis familiis. *Ant. Eruta priſcis annalibus*] Magna cura & diligentia excerpta ab antiquorum poëtarum faſtis, & pontificum monumentis, & vetuſtis annalibus. *Paul. Annalibus priſcis*] Hic mentio fit annalium eorum, qui dicebantur & Pontificalium libri, & indigitamenta, & commentarii Pontificum: his enim impoſita erat ea cura, ut res geſtas in tabulas referrent. Cic. de Oratore: *Erat initio Hiſtoria nihil aliud niſi annalium confectio: cujus rei memoriæque publicæ retinendæ cauſâ, ab initio rerum Romanarum uſq; ad P. Mucium Pontificem Maximum, res omnes ſingulorum annorum mandabat literis Pontifex Maximus, referebatque in album, &c. iique nunc Annales maximi nominantur.* Cur *Maximi* dicti ſint oſtendit Feſti Abbreviator: Non magnitudine, inquit, ſed quod eos exaraſſet Pontifex Max. Tum nec diffuſe omnia in illis ſcripta, ſed preſſe & ſtricte, brevibus, non integris notis. *Neapol.*

9. *Invenies*] Perſtat in benevolentia captanda, & attentione augenda. *Paul.*

10. *Sæpe tibi pater, &c.*] Druſus Claudius verus pater, ſive Tiberius adoptivus; malim hunc. *Legendus avus*] Octavianus Auguſtus, quippe qui Tiberium adoptavit.

11. *Pictos Faſtos*] Bene miſcet annales Pontificios cum Faſtis: in illis enim libris quicquid erat, in his viſebatur etiam exaratum: nam qua die quicquid eveniſſet, faſta ſeu nefaſta, recenſendum erat in Annalibus. Sed præter hos duæ erant apud veteres tabulæ, quibus faſtorum nomen erat inditum; una, in qua varia dierum jura inciſa; ſolemnia deorum ſacra, ludi & feriæ in eorundem honorem; res & victoriæ aliquot inſignes. Vide Valer. lib. 11. cap. v. Alia tabula erat, in qua nomina fere omnium Magiſtratuum continebantur: frequens hujus apud Scriptores mentio. *Neap. Pictos ſignantia faſtos*] Minio vel rubrica. *Ant.*

12. *Cum Druſo fratre*] Hic non filius Druſi Neronis, ſed nepos ex fratre Tiberio. Germanico ergo frater erit adoptivus. *Neapol.*

13. *Cæſaris*] Poteſt hoc & ad Julium Cæſ. referri, & ad Auguſtum: quorum alter relatus in deos, alter relatum comprobavit, & templa multa ſacravit, pluresque dies ſtatos inſtituit, & deorum cultum reformavit. *Aras Cæſaris*] Aras quæ Cæſari dedicatæ ſunt, ob ejus merita: vel quas ipſe vivens, aut Auguſtus conſecraſſet, & cum aris, ſacra quoque ab eo inſtituta.

14. *Et quoſcunque dies*] Feſtos ſcilicet.

15. *Annue*] Faveas, aut nutu aſſenſum præſtes.

17. *Da mihi*] Eſto mihi benignus. *Dederis vires in carmina*] Erunt & tum mihi vires ad ſcribendum.

18. *Stat*

Ingenium vultu ſtatque caditque tuo.
Pagina judicium docti ſubitura movetur
Principis, ut Clario miſſa legenda deo.
Quæ ſit enim culti facundia ſenſimus oris,
Civica pro trepidis cum tulit arma reis,
Scimus & ad noſtras cum ſe tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui.
Scilicet, & fas eſt, vates rege vatis habenas:
Auſpice te felix totus ut annus eat.
Tempora digereret cum conditor urbis, in anno
Conſtituit menſes quinque bis eſſe ſuo.
Scilicet arma magis, quam ſidera, Romule, noras:
Curaque

18. *Stat & cadit vultu tuo*] Quaſi pendens à vultu tuo. *Cadit*] Si tu eris ſubiratior, ergo pacatior eſto.

19. *Pagina ſubitura judicium*] Liber hic meus, ſeu poëmata noſtra ventura ſub tuam cenſuram, qui princeps es doctus & eruditus. *Movetur*] Commovetur, & horreſcit. *Ut miſſa legenda Clario deo*] Ac ſi apud Apollinem legenda mitteretur, qui *Clarius* dictus eſt à Claro oppido in Ionia, non longe à Colophone: & à Claro inſula, ubi ſumma religione colebatur. *Paul. Clario Deo*] Vigebat Clarii Apollinis oraculum Naſonis ævo: immo Germanicus eundem inviſit, Auctore Tacito lib. 11. Annalium. *Neapol.*

21. *Facundia culti oris*] Eloquentia oris exculti. *Paul. Qua ſit enim culti facundia ſenſimus oris*] Conciliat ſibi Germanicum, laudans eum ab oratoria & poëtica facultate. *Ant.*

22. *Arma civica*] Civilia, hoc eſt, civiles defenſiones in foro, ſeu cum cauſas civiles egit. *Trepidis reis*] Metuentibus ne morte damnarentur. *Paul. Cum tulit arma reis*] Notavit & id Suetonius: *Oravit*, inquit, de Germanico, *cauſas triumphales.* & Dio Caſſius lib. lvi. Καὶ αὐτὸς μὲν ἰδίᾳ ἄξιον μνήμης, ὑπραξε πλὴν ὅτι καὶ τότε ὑπερέλιπτεν. *Neapol.*

23. *Cum impetus*] Hoc eſt, ſcribendi ardor. *Paul. Noſtras artes*] Poëticas. *Ant. Tulit impetus artes*] Nam inter cætera ſtudiorum monimenta reliquit comœdias Græcas. *Neapol.*

24. *Flumina currant*] Quam fertile ingenium habeas: per tranſlationem.

25. *Scilicet*] Petit ut poëta poëtam regat, ac ſi diceret, ſi non vis ut princeps, ſaltem faveas ut poëta, & cum pudore locutus eſt, ne temeritatis argueretur.

26. *Ut totus annus*] Quem ego ſcripturus ſum.

27. *Tempora*] Annum autem duplicem eſſe conſtat, naturalem & civilem: alterum ſecundum curſum aſtrorum, alterum arbitrio gentium.

28. *Digereret*] Diſponeret & ordinaret annum civilem, & menſes. *In anno ſuo*] A ſe digeſto, conſtituit annum ſuum eſſe decem menſium. Vide Macrob. lib. 1. cap. 20. *Saturn. Menſes*] Menſis ἀπὸ τῆς μήνης, quod eſt luna. Nam lunæ ratione menſis conſtitutus eſt. *Paul. Quinque bis eſſe ſuo*] Sub Romulo ergo annus fuit decimeſtris.

29. *Scilicet arma magis*] Congerit hic multa doctiſſimus Naſo, ut probet quid Romulum ad hoc induxerit: quibus forte, notâ verâ origine, abſtinuiſſet. Nam Romulus regni initio novum annum minime conſtituit; ſed ſolum egit, ut menſis, qui quintus ordine erat, aliis fieret ſuæ genti & populo ſecundus, & alia hujuſmodi: cum in Latio ante urbem conditam, annum decimeſtrem fuiſſe conſtet, & apud alias etiam gentes; ut Athenis, &c. *Neapol. Quam ſidera*] Anno jampridem à Numa Pompilio in duodecem menſes diſtributo, additis Januario ac Februario: poſteaque à Julio

Curaque finitimos vincere major erat.
Eſt tamen & ratio, Cæſar, quæ moverit illum,
Erroremque ſuum quo tueatur, habet.
Quod ſatis eſt, utero matris dum prodeat infans;
Hoc anno ſtatuit temporis eſſe ſatis.
Per totidem menſes à funere conjugis uxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.
Hoc igitur vidit trabeati cura Quirini,
Cum rudibus populis annua jura daret.
Martis erat primus menſis, Veneriſque ſecundus,
Hæc generis princeps; ipſius ille pater.
Tertius à ſenibus, juvenum de nomine quartus:
Quæ ſequitur, numero turba notata ſuo.
At Numa nec Janum, nec avitas præterit umbras:

Menſibu

Cæſare ad curſum ſolis accommodato, & aliorum negligentia conturbato atque confuſo, rationem temporum non ſine maxima ſua laude fundavit, intercalantium correctis erroribus. *Ant.*

31. *O Cæſar*] Germanice. *Et tamen ratio*] Quæ illum Romulum moverat, ad annum ita digerendum. *Paul.*

33. *Quod ſatis eſt, utero*] Medici opinantur, hominem gignendi ſummum finem decem menſes. Vide Aulum Gellium libro tertio Noctium Atticarum. *Ant.*

35. *Per totidem*] Secunda ratio, quod decem menſibus uxor vidua domi lugubris ſe contineat: quod inde ſumptum volunt, à tempore ſcilicet quo latet infans in matris utero. *A funere conjugis*] Ab obitu viri.

36. *Suſtinet in vidua domo*] Quia ipſa vidua, quæ jam viro diviſa. *Triſtia ſigna*] Aut lugubres veſtes, luctum indicantes: aut cupreſſos, quæ mortuorum domibus ponebantur.

37. *Hoc igitur*] His rationibus motum Romulum, inquit, cum rudi populo rationem anni traderet. *Cura Quirini trabeati*] Romuli trabea ornati: ut regem decebat. *Quirinus* Romulus dictus eſt, ab haſta, quæ lingua Sabina *quiris* dicitur.

38. *Cum daret jura annua*] Anni rationem.

39. *Martis*] Annum Romulus à Martio menſe inchoavit, & Marti patri primum anni menſem conſecravit, ſecundum Veneri, tanquam Romani generis principi & parenti, quia Æneæ mater. *Primus menſis*] Anni ſcilicet. *Secundus*] Menſis ſcil. *Erat Veneris*] Veneri conſecratus; nam *Aprilis* dictus, quaſi *Aphrilis*, ab ἀφρὸς, quod eſt ſpuma: cui ex maris ſpuma nata ſit Venus, & inde dicta *Aphrodite*.

41. *Tertius menſis*] Scilicet anni Romulei. *A ſenibus dictus eſt*] Nam *Majus* vocatus à majoribus, hoc eſt à ſenioribus. *Quartus*] Menſis. *De nomine juvenum*] Nam *Junius* à junioribus dictus. *Paul. Tertius à ſenibus*] Majus.

40. *Turba*] Menſium ſcil. *Quæ ſequitur*] Hoc eſt, cæteri menſes, qui ſubſequuntur. *Fuit notata numero*] Quaſi vocata ab ordine numeri, nam quintus menſis *Quintilis* dictus, ſextus *Sextilis*: inde September, October, November, December.

43. *At Numa*] Qui poſt Romulum regnavit. *Nec præterit*] Quaſi non prætermiſit. *Janum*] Quia menſium numero admiſit; nam ab eo *Januarium* vocavit. *Nec avitas umbras*] Parentum, ſive avorum animas: quia menſem inſtituit, quo illis parentaretur, hoc eſt, quo fierent ſacrificia pro mortuis: & *Februarium* menſem dixit à *februo*, & *februare* purgare eſt. Sed de hoc ſecundo libro dicetur.

44. Ille]

Menſibus antiquis addidit ille duos.
Ne tamen ignores variorum jura dierum,
Non habet officii lucifer omnis idem.
Ille Nefaſtus erit per quem tria verba ſilentur:
Faſtus erit, per quem lege licebit agi.
Neu toto perſtare die ſua jura putaris,
Qui jam faſtus erit, mane nefaſtus erat.
Nam ſimul exta deo data ſunt, licet omnia fari,
Verbaque honoratus libera prætor habet.

Eſt

44. *Ille*] Numa. *Addidit duos menſes*] Scilicet Januarium & Februarium. *Menſibus antiquis*] Decem menſibus à Romulo inſtitutis.

45. *Jura*] Poteſtates ſeu officia. *Variorum dierum*] Nam ut varii nomine, varii tempore, ita variis officiis attributi.

46. *Non omnis lucifer*] Partem pro toto poſuit: nam principium diei, pro toto die. *Lucifer.*] A Græcis φωσφόρος dicitur, ſtella eſt Veneris: quæ cum ſolem antecedit, ut Cicero inquit, *lucifer*: cum ſequitur, *veſper* vocatur.

47. *Ille nefaſtus*] Numa ut in menſes annum, ita in dies menſem diviſit; dieſque omnes aut feſtos, aut profeſtos, aut interciſos vocavit. Feſtos diis dicatos eſſe, quibus inſunt ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ: Profeſtos hominibus, ob adminiſtrandam rem privatam aut publicam conceſſos: his inſunt faſti, comitiales, comperendini, ſtati, præliares. Interciſos deorum hominumque communes eſſe. Vide Macrob. Sunt tamen Interciſi dies, ut Varroni placet, per quos mane & veſpere nefas jus dicere: medio autem tempore, inter hoſtiam cæſam, & exta projecta, fas, à quo quod factu intercidit, *interciſi*. *Ille dies erit nefaſtus*] Cum fari non poterit prætor. *Per quem*] Diem. *Silentur*] A prætore ſcilicet. *Tria verba*] Hæc ſunt illa tria verba, quæ à prætore proferebantur, jus dicturo, *Do, dico, addico*: hoc eſt, do leges, dico jus, addico, damno. Vel ut Ciofanus vult: Do bonorum poſſeſſionem: dico jus: addico id, de quo quæritur. *Paul. Ille nefaſtus erit*] Gloſſæ: Ἀποφράδες, *nefaſti dies*, utraque tamen vocula & Græca & Latina torqueri poteſt ad atros; & hæ voces ab auctoribus invicem uſurpantur: hoc tamen adverte diſcrimen, quod omnis ater nefaſtus, ſed non è contra; nam dies feſtus etiam nefaſtus. *Neapol.*

48. *Faſtus erit*] Hoc eſt, litigari, legem intendi, hoc eſt, cum poterit prætor jus dicere ſecundum leges & inſtituta. Nefaſti dies hac nota ſignantur, N P. *Paul. Faſtus erit, per quem*] Locutus de feſtis, quibus inſunt ſacrificia, ludi, epulæ; venit ad profeſtos, ex quibus procedunt faſti, comitiales, comperendini, ſtati, præliares.

49. *Nec toto perſtare die*] Sequuntur dies interciſi, quorum quibuſdam horis fas eſt, quibuſdam non eſt, jus dicere, nam quum hoſtia cæditur, fari nefas eſt, inter cæſa & porrecta fari licet; rurſus quum adoletur non licet. *Neapol. Nec toto*] Erant dies, in quibus mane, cum fieret ſacrificium, jus non dicebatur, ſic ea parte *nefaſti*: perfecto autem ſacrificio, cum prætor jus diceret, faſti. *Nec putaris*] Quaſi non arbitreris. *Perſtare*] Perſeverare, ſeu firma eſſe. *Sua jura*] Jura ipſa diei attributa.

50. *Qui*] Dies, abſoluto, ſcilicet ſacrificio. *Erit faſtus*] Cum fari poterit prætor. Mane, cum fieret ſacrificium. *Erat nefaſtus*] Quia non licebat fari prætorem.

51. *Nam ſimul*] Ratio cur idem dies faſtus & nefaſtus ſit. *Exta ſunt data deo*] Abſolutum eſt ſacrificium. *Exta* ſunt interiora vitalia, ut cor, jecur, pulmo, &c. quod ea bis proſecentur, quæ maxime extant eminentque.

52. *Prætor honoratus habet verba libera*] Quaſi libere ſine ullo piaculo poteſt fari. Prætor dictus, quod præiret in jure & in exercitu.

Eſt quoque quo populum jus eſt includere ſeptis:
Eſt quoque qui nono ſemper ab orbe redit.
Vendicat Auſonias Junonis cura Kalendas:
Idibus alba Jovi grandior agna cadit.
Nonarum tutela deo caret. omnibus iſtis
(Ne fallare) dies proximus Ater erit.
Omen ab eventu eſt: illis nam Roma diebus
Damna ſub adverſo triſtia Marte tulit.

Hæc

53. *Eſt quoque*] De comitiali & nundinali die agit. Comitialis dies erat, cum habebantur comitia, hoc eſt, cum conveniebat populus ad creandos magiſtratus, & ad ſuffragium ferendum. *Quo eſt jus*] In quo die eſt poteſtas. *Includere populum ſeptis*] Vocare populum in campum Martium, ubi ſeptum erat, quo populus includebatur, cum creandi eſſent magiſtratus. *Paul. Eſt quoque quo populum*] Redit ad ſpecies profeſti; comitiales videlicet dies, quibus cum populo agi poterat: *ſeptum* eſt ῥύφακτον.

54. *Eſt quoque qui nono*] Is eſt dies nundinalis, qui feſtus primo fuit: faſtus poſtea lege Hortenſia, imo fere ater, nam rebus incipiendis parum utilis habitus. Vide Dion. lib. xl. *Neapol. Eſt quoque qui nono ſemper*] Sunt & dies, qui *Nundinales* dicuntur, à nundinis, quæ à Romanis inſtitutæ ſunt, ut octo quidem diebus in agris ruſtici opus facerent, nono autem die ad mercatum legeſque accipiendas Romam venirent. De his Plin. lib. 18. Nat. hiſt. qui dies *Luſtricus* dicitur, quo infantes luſtrantur, & nomen accipiunt. *Ant.*

55. *Junonis Kalendas*] Unde ab his dicta illa *Juno Kalendaris*. Neap. *Vendicat*] Calendæ Junoni, idus Jovi ſacræ ſunt. Primi dies menſium, ut Varro inquit, nominati ab eo *calendæ*, quod his diebus calentur menſes. Dicunturque *calendæ* à calo, id eſt, voco. unde, Macrobio teſte, ipſi curiæ, ad quam vocabatur, *Calabræ* nomen datum eſt: nam curia Calabria dicebatur. Cum initium menſium majores noſtri ab exortu lunæ ſervaverint, jure Junoni calendas addixerunt, Lunam ac Junonem eandem putantes. *Vendicat*] Attribuit ſibi. *Auſonias*] Latinas, ſeu Romanas. Et hoc ideo dixit, quoniam Græci calendas non habent.

56. *Cadit*] Immolatur. *Jovi*] Ad honorem Jovis. *Idibus*] Die iduum. *Paul. Idibus alba Jovi grandior*] Idus quidem Jovi, nonæ vero nulli deo dicatæ ſunt: quas tamen populus Romanus exactis regibus maxime celebravit, nonarum diem Servii Tullii natalem exiſtimans. Dicitur autem idus ab *iduando*, quod is dies dividat menſem. *Iduare* enim lingua Hetruſca, eſt dividere. *Ant. Idibus alba Jovi*] In arce quot idibus id factum. Varro ait, *quot quot menſibus*. Dubium tollitur ex eo quod illamet ſacra nuncupata *Idulia*, agna etiam *Idulis*. Neap.

57. *Nonarum*] Nonis nulli deo ſacrificatur, ideo ſub nullius numinis tutela eſſe dicuntur. Nonæ quod ante diem nonum ſunt, dicuntur: aut à nova luna, cum pontifex eo die novam lunam obſervaret, & viſam regi ſacrificulorum indicabat. Unde *nonæ*, quaſi novæ lunæ initium: aut quod ab eo die ad idus, novem ſunt dies. *Caret deo*] Per hypallagen, hoc eſt, nonæ carent tutela dei. *Proximus omnibus iſtis*] Hoc eſt, dies qui ſequitur calendas, nonas, idus.

58. *Erit ater*] Erit infauſtus. *Ant. Faſtus erit per quem*] Locutus de feſtis, quibus inſunt ſacrificia, ludi, epulæ; venit ad profeſtos, ex quibus procedunt faſti, comperendini, ſtati, præliares.

59. *Omen ab*] Quod atri dies ſint, ab eo quod in his evenit, obſervatum eſt. Et quoties per hos dies ſacrificatum ad pugnam, male patribus ceſſit. *Omen*] Horum ſcilicet dierum atrorum, qui ſunt infauſti & ominis, & augurii. *Eſt ab eventu*] Ab eo quod his diebus accidit.

Hæc mihi dicta ſemel, totis hærentia faſtis,
Ne ſeriem rerum ſcindere cogar, erunt.
Ecce tibi fauſtum, Germanice, nunciat annum;
Inque meo primus carmine Janus adeſt.
Jane biceps, anni tacite labentis origo,
Solus de ſuperis qui tua terga vides;
Dexter ades Ducibus: quorum ſecura labore
Otia terra ferax, otia pontus agit.
Dexter ades, Patribuſque tuis, Populoque Quirini:
Et reſera nutu candida templa tuo.
Poſtera lux oritur: linguiſque animiſque favete.
Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.
Lite vacent aures, inſanaque protinus abſint

Jurgia.

61. *Hæc mihi*] Hanc dierum rationem, quæ omnibus ineſt menſibus. *Hærentia totis faſtis*] Quæ inhærent omnibus menſibus, ſic & Faſtorum libris.

62. *Ne cogar ſcindere*] Interrumpere. *Seriem*] Ordinem rerum.

63. *Ecce*] De Januario menſe acturus, qui Janus dicatus eſt, eum adeſſe, inquit, bono omine. Ecce, ô Germanice, Janus nunciat tibi fauſtum annum. Solebant enim Januarii calendis bona omina & auguria captare. *Paul.*

65. *Jane*] Janum invocat, cujus myſteria & menſem relaturus eſt. Creditur geminam faciem prætuliſſe, ut quæ ante, quæque poſt tergum eſſent, intueretur: quod ad prudentiam regis, ſolertiamque referendum eſt. *Tacite labentis*] Qui annus tacite labitur, & ad ipſum tempus reſpexit.

66. *Vides tua terga*] Quia cum biceps ſis, reſpicis & anteriora & poſteriora.

67. *Ades dexter*] Propitius. *Ducibus*] Et Tiberio & Germanico, qui militiæ præſunt. *Quorum*] Ducum. *Labore*] Induſtria & vigilantia.

68. *Habet otia ſecura*] Habet quietem & pacem, ſeorſim ab omni bellorum cura. *Pontus*] Mare. *Paul. Otia pontus agit*] Tiberio & Germanico hæc dicta, ſed præcipue Auguſto. *Neapol.*

69. *Patribuſque tuis, populoque Quirini*] Senatui populoque Romano.

70. *Et reſera nutu candida templa tuo*] Non ut aperte bellum ſignificent, ſed ut calendis Januarii ad rem divinam populus admittatur. *Ant. Tuo nutu*] Quaſi tuo numine & auſpicio. *Candida templa*] Marmorea templa, & tua, & aliorum deorum: quia tibi cæteriſque deis eſt immolandum. *Paul. Et reſera nutu, &c.*] Non precatur ſiniſtrum aliquod omen: nam Janus non cluſus belli index, ſed poſcit templi aditum ad ſacrificia.

71. *Poſtera lux*] An legend. *proſpera lux?* Kalendæ Januariæ dies totius anni celebrior novo Magiſtratu, novis munuſculis, tot ſuperſtitionibus quas tanget, tangemus & nos. *Neapol. Linguiſque animiſque favete*] Intenti eſtote, ſilete. Nam in ſacris taciturnitas neceſſaria eſt. *Ant.*

72. *Bono die*] *Bonus* hic pro feſto. Sic bona verba, quæ feſtum addecent, non mala, non impudica. *Neapol. Nunc dicenda bono ſunt bona verba die*] Admonet enim Romanos, ut orta luce adſint ſacrificiis, linguam coerceant, mentem adhibeant, deinde bona verba dicant: quoniam infœlix annus portendi putabatur, ſi quid ſiniſtri ominis calendis Januariis diceretur.

73. *Lite*] Non eſt eo die litibus aut jurgiis incumbendum, nec mala verba proferenda. *Abſint inſana jurgia*] Quaſi procul ſint inſanæ contentiones.

Jurgia differ opus livida lingua tuum.
Cernis odoratis ut luceat ignibus æther,
Et ſonet accenſis ſpica Cilissa focis?
Flamma nitore ſuo templorum verberat aurum,
Et tremulum ſumma ſpargit in æde jubar.
Veſtibus intactis Tarpejas itur in arces:
Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.
Jamque novi præeunt faſces, nova purpura fulget,
Et nova conſpicuum pondera ſentit ebur.
Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Faliſca ſuis.
Juppiter, arce ſua cum totum ſpectet in orbem;

Nil

74. *Livida turba*] Turba invida, & plena livore. Sed clariſſ. Heinſius, pro *turba* legendum cenſet *lingua*. *Differ opus tuum*] Et ad livorem in foro litigantium, & ad invidentium maledicentiam referri poteſt: quaſi abſtineas hodie à maledicentia, qua uti ſoles.

75. *Cernis*] Eo die in templis, & pro foribus templi multa odorem facientia, ut ſunt *thura, cedrus, &c.* cremabantur.

76. *Et ſonet focis*] Crepitum faciat cum aduritur: alii volunt hoc de ſpica nardi intelligi. *Paul. Et ſonet accenſis ſpica Ciliſſa focis*] Per excellentiam crocum dicit, id enim præſtantiſſimum in Cilicia naſcitur ad antrum Corycium. *Ant.*

77. *Verberat ſuo nitore*] Suo ſplendore & coruſcatione verberare & lambere videtur. *Aurum templorum*] Auream templorum cælaturam, & parietes deauratos, & deaurata laquearia. *Paul. Templorum verberat aurum*] Puta inaurata ſacrarum ædium lacunaria: de quo luxu facem pete à Criticis ſuperioris ævi.

78. *Et ſpargit jubar tremulum*] Tremulam coruſcationem & lucem.

79. *Veſtibus*] Eo die ibat populus cum conſulibus inituris magiſtratum, immolatum Jovi Opt. Maximo, in arcem Capitolinam. *Veſtibus intactis*] Novis, & ad eam diem non tactis. *In arces Tarpejas*] Ad templum Jovis, quod in arce Tarpeja erat. Dictus poſtea mons Capitolinus. Huc ergo ibant cum populo conſules & poſt ſacra magiſtratum inibant. *Paul. Tarpejas itur in arces*] Ex more ipſe ad Sext. Pompejum in gratulatione initi Conſulatus anno Dcclxvi. lib. iv. de Pont. Eleg. iv. *Neapol.*

80. *Eſt concolor ſuo feſto*] Ejus coloris cum feſto, quaſi conveniens ſuo feſto.

81. *Jamque novi*] Jam lictores cum faſcibus præeunt, & conſules Kalendis Januariis inibant magiſtratum. Nam *faſces* pro conſulari dignitate. Habebat enim conſul duodecim lictores. *Fulget nova purpura*] Prætexta purpurea, conſularis. *Paul. Nova purpura*] Novi magiſtratûs inſignia: ſed hæc purpura eſt prætexta Conſularis. Hanc & togam pictam & trabeam & palmatam dictam reperio. *Neapol.*

82. *Et nova conſpicuum pondera ſentit ebur*] Sellam curulem dicit, qua & conſules utebantur, & quidem alii magiſtratus. *Ant.*

83. *Colla*] Mactabantur eo die juvenci, qui operis eſſent expertes. *Præbent colla ferienda ſecuri*] Præbent ſe mactandos ſacerdoti, ab ara minime refugientes.

84. *Herba Faliſca aluit*] Qui adulti in Faliſcorum campis, Romam inde agebantur. Et tam ex Umbris, quam ex Faliſcis tauri Romæ immolabantur & à triumphantibus, & à novis conſulibus.

85. *Juppiter cum totum*] Cum omnes terras & maria proſpiciat è ſummo æthere, qui illi aſſignatur: & Roman ejus favore univerſum orbem poſſideant, jure eum venerantur.

86. *Quod*

Nil niſi Romanum, quod tueatur, habet.
Salve læta dies: meliorque revertere ſemper;
A populo rerum digna potente coli.
Quem tamen eſſe deum te dicam, Jane biformis?
Nam tibi par nullum Græcia numen habet.
Ede ſimul cauſſam; cur de cœleſtibus unus,
Sitque quod à tergo ſitque quod ante vides.
Hæc ego cum ſumptis agitarem mente tabellis;
Lucidior viſa eſt, quam fuit ante, domus.
Tum ſacer ancipiti mirandus imagine Janus
Bina repens oculis obtulit ora meis.
Obſtupui, tenſique metu riguiſſe capillos,
Et gelidum ſubito frigore pectus erat.
Ille tenens dextra baculum, clavemque ſiniſtra,
Edidit hos nobis ore priore ſonos.
Diſce metu poſito vates operoſe dierum
Quod petis: & voces percipe mente meas.
Me chaos antiqui (nam res fum prilca) vocabant.

Adſpice

86. *Quod tueatur*] Quod reſpiciat.

87. *Salve*] Salvere jubet diem calendarum ipſarum. *Revertere melior*] Semper vos calendæ proſperiores redeatis.

88. *Digna coli à populo potente rerum*] Digna dies, quam colat & celebret populus Romanus, qui terris imperat.

89. *Quem*] Jani myſteria relaturus, duo primum à Jano petit, ut dicat qui deus ſit, & cur ſolus ex omni deorum numero biceps ſit.

90. *Nullum habet numen par tibi*] Nullum deum habet bicipitem, nec tot poteſtatum. *Paul. Græcia numen habet*] Inde Athæneus lib. XV. Ὅτι Ἰανὸς ὁ παρ' ἡμῖν, ὑπ' οὐδενὸς παρὰ πρόσαγορεύομεν.

92. *Sitque quod à tergo, &c.*] In utroque loco, idque, ponendum ſuadent priſci libri.

93. *Hæc ego*] Dum hæc volveret ſecum, ſcripturus quicquid Janus inſpiraret, advenit ipſum numen eruditurum Poëtam. *Tabellis*] Quas ad ſcribendum paraveram. *Paul. Tabellis*] Hæ ſunt hîc pro ſchedis. *Neapol.*

95. *Tum ſacer mirandus*] Et venerandus, & admiratione proſequendus. *Ancipiti imagine*] Duplici forma.

96. *Bina ora*] Et anteriora, & poſteriora.

97. *Extimui*] Ego viſo numine. *Et ſenſi capillos riguiſſe*] Et hoc naturale eſt, ut ob metum capilli rigeant. *Paul.*

99. *Tenens baculum dextra, clavemque ſiniſtra*] Cum clavi & virga ideo, quia eſt omnium portarum cuſtos, & rector viarum. Sed utrumque idoneum eſt janitori, baculus ad vim repellendam, clavis ad claudendas & reſerandas fores. *Ant. Ille tenens baculum*] Non aliter vidi cuſum in nummis hujus ſimulacrum: in quibus iſtud & rectum notavi, & ſedens in bipede; at baculum in ſiniſtra etiam. *Clavemque ſiniſtra*] Adi Macrob. I. Saturnal. *Neapol.*

100. *Edidit nobis hos ſonos ore priore*] Ita locutus eſt ore anteriore, & non eo quod erat à tergo, ut meliùs Poëta audiret.

101. *Diſce*] Facit Janus attentionem, ut intentior ſit Poëta ad ejus verba percipienda. *O vates operoſe dierum*] O Naſo Poëta ſtudioſe temporum, qui ſcribere cupis menſium & dierum rationem.

102. *Quod petis*] Et qui deus ſim, & cur biceps.

103. *Me chaos*] Reſponſurus quæſtioni Janus, refert ſe ad primam mundi originem, hoc eſt, ad ipſum chaos. *Nam fum res priſca*] Antiqua, & ante digeſtum orbem.

Adſpice quam longi temporis acta canam.
Lucidus hic aër, &, quæ tria corpora reſtant,
Ignis, aquæ, tellus, unus acervus erant.
Ut ſemel hæc rerum ſeceſſit lite ſuarum,
Inque novas abiit maſſa ſoluta domos;
Flamma petit altum; propior locus aëra cepit:
Sederunt medio terra fretumque ſolo.
Tunc ego qui fueram globus, & ſine imagine moles;
In faciem redii dignaque membra deo.
Nunc quoque confuſæ quondam nota parva figuræ;
Ante quod eſt in me, poſtque videtur idem.
Accipe quæſitæ quæ cauſa ſit altera formæ:
Hanc ſimul ut nôris, officiumque meum:
Quidquid ubique vides, cœlum, mare, nubila, terras;
Omnia ſunt noſtra clauſa patentque manu.

Me

104. *Adſpice*] Animadverte, quam vetuſtiſſima facta tibi referam. Et auget attentionem, & ſibi ab antiquitate ultima autoritatem facit.

106. *Erant unus acervus*] Unus cumulus: quia omnia ſimul mixta erant.

107. *Ut ſemel*] Inquit Janus: Poſtquam ab initio chaos apertum eſt, & elementa ipſa ſuis in locis diſpoſita, ego, qui confuſus in ea maſſa fueram, divinam accepi formam, & faciem ſummo deo dignam. *Paul, Lite ſuarum*] Νείκεος ἐξ ὁλοοῖο. ex Orphei opinione. Vide Apoll. Rhodium ἐν τῷ πρώτῳ τῶν Ἀργοναυτικῶν. *Neapol. Lite rerum ſuarum*] A diſcordia rerum in ea pugnantium diviſa & digeſta eſt.

108. *Maſſa ſoluta*] Hoc eſt, ipſum chaos ſolutum & digeſtum. Et appellat *maſſam* & illud, in quo eſſet rerum commixtio confuſa. *In novas domos*] Nam nunc per elementa novam ſibi ſedem elegit.

109. *Flamma petit cœlum*] Ignis ob levitatem ſuperiora loca petivit.

110. *Sederunt medio loco*] Quia terra & aqua undique ipſo aëre circumdantur.

111. *Tunc*] Eo tempore, quo ſolutum & digeſtum eſt chaos. *Ego*] Janus. *Qui fueram globus*] Et in tanta rerum confuſione globatus & ipſa rerum congeries. *Et moles ſine imagine*] Quaſi maſſa ponderoſa, confuſa, & indigeſta, ſine ulla forma.

112. *Et membra digna deo*] Quia accepi formam, & membra meo magno numini convenientia. Sic ſe deum deorum videtur oſtendere, à quo cuncta habuerint initium: nec mirum, cum alii mundum eſſe Janum exiſtimaverint.

113. *Nunc quoque confuſa quoniam nota parva figura eſt*] Relaturus eſt Janus & formæ duplicis cauſas, & quæ ſint ejus officia, ut ex his apertius altera cauſa intelligatur. *Parva nota*] Signum quoddam exiguum. *Confuſa figura eſt in me*] Cum in hoc ſigno confuſionem primam repræſentem.

114. *Idem videtur quod eſt ante, & poſt*] Quaſi idem poſterior à tergo, qui & anterior.

115. *Forma petita*] De qua quæſiviſti.

116. *Ut ſimul nôris hanc, & officium meum*] Ut cognoſcas & formæ cauſam, & quæ ſit noſtra poteſtas.

117. *Quidquid ubique vides*] Primum Jani officium, quod omnia ſua manu claudantur & aperiantur. *Cœlum, mare, nubila*] Id eſt, ipſum aëra, per quem vagantur nubila. Præterea nihil aliud ſunt *nubila* quam aër denſus.

119. *Me*

Me penes eſt unum vaſti cuſtodia mundi:
Et jus vertendi cardinis omne meum eſt.
Cum libuit pacem placidis emittere tectis;
Libera perpetuas ambulat illa vias.
Sanguine letifero totus miſcebitur orbis,
Ni teneant rigidæ condita bella ſeræ.
Præſideo foribus cœli cum mitibus horis,
It redit officio Jupiter ipſe meo.
Inde vocor Janus. cui cum Cereale ſacerdos
Imponit libum, mixtaque farra ſali;

Nomina

119. *Me penes eſt unum vaſti cuſtodia mundi*] Secundum officium, ſeu poteſtas, quod præſit ſolus mundi cuſtodiæ. Tertium, quod ipſe ſit qui cœlum vertat. Quod referendum eſt ad id quod diximus, alios eum voluiſſe mundum, id eſt, cœlum eſſe: Janúmque ab eundo dictum, quod mund 's ſemper eat, dum in orbem volvitur. *Paul. Vaſti concordia mundi*] Addit & jus vertendi cardinis. Quatuor ſunt cardines, in quibus mundus vertitur: Septentrionalis & Meridionalis axis, Oriens & Occiduus. Sed vere quibus orbis innititur, eſt μεσημβρινὸν καὶ ἀρκτικόν. alia potius ſunt Solis πόλοι, quam mundi. *Neapol.*

120. *Vertendi cardinis*] Vertendi cœli, quod aſſidua vertigine rotatur.

121. *Cum libuit*] Quarta Jani poteſtas, pacem tradere: quinta, quod bello etiam præſit. *Emittere pacem placidis tectis*] Per placida tecta. Aut *placidis tectis*, è templis.

122. *Ambulat perpetuas vias*] It per omnes vias, nemine impediente.

123. *Totus orbis miſcebitur*] Confunderetur. *Letifero ſanguine*] Letifera ſanguinis effuſione, propter bella, quæ per totum orbem eſſent.

124. *Ni rigidæ ſeræ*] Niſi duræ catenæ, ſeu duri vectes. *Teneant bella condita*] Abſcondita & inclusa in templo meo: hoc eſt, niſi templum meum eſſet clauſum, quod apertum bellum indicaret.

125. *Præſideo*] Sextum officium, ſeu poteſtas, quod cœli fores ſervet, & per eum eat & redeat lux: & ideo geminum, quaſi utriuſque januæ cœleſtis potentem, qui exoriens aperiat diem, occidens claudat. *Fores* enim cœli ſunt Oriens & Occidens, unde ſol & egreditur & ingreditur. *Cum horis*] Homerus l. 5. Iliad. Horas fingit non minus phyſicè quam poëticè, cœli portas ſervare, & cum his Janus. Nec abſurde etiam diceremus, *Cum horis mitibus*, hoc eſt, matutinis & veſpertinis; quæ mites & temperatæ ſunt, reſpectu meridianarum, quæ nimis calidæ: & nocturnarum, quæ frigidæ. *Paul. Præſideo cœli foribus*] Id ſibi veteres induxerunt ob cauſam quam tetigit Macrob. Saturnal. 1. *Janum*, inquit, *quidam volunt Solem demonſtrari, & ideo bifrontem, quaſi utriuſque januæ cœleſtis ortus & occaſus potentem; qui exoriens aperiat diem, occidens claudat.* Ex hac opinione Janum *matutinum* dixit Horat. lib. 11. Satyr. 6. *Cum mitibus horis*] Hæ quoque cœli cuſtodes: ἀπὸ τῆ ὁρᾶν eis nomen. *Neapol.*

126. *It Jupiter redit officio meo*] Meo beneficio. Jupiter hic pro ipſa luce, ſeu die accipitur, qui illius beneficio redeat, qui cœli foribus præſidet.

127. *Inde*] Ex eo, quod januis præſum. *Paul. Inde vocor Janus*] Huc ſpectat locus Tullii, lib. 11. de Nat. Deor. *Quod ad eundo nomen eſt ductum, ex quo tranſitiones per ea Jani, foreſque in liminibus profanarum ædium* januæ *nominantur.*

128. *Imponit libum*] Suſpicor hoc illud eſſe, de quo Feſtus Pompeius: *Januat tibi genus, quod Jano tantummodo libatur. Farraque mixta*] Molam ſalſam. *Neapol. Imponit libum*] Cum offert libum, *Cereale*] A Cerere, quod ex cerealibus rebus fiat. Aliqui enim dicunt, libum eſſe genus panis. *Et farra mixta ſale*] Hoc eſt, molam ipſam, nam *mola* Pompeio

Nomina ridebis. modo namque Patulcius idem,
Et modo ſacrifico Cluſius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa veruſtas
Nomine diverſas ſignificare vices.
Vis mea narrata eſt: cauſſam nunc diſce figuræ.
Jam tamen hanc aliqua tu quoque parte vides.
Omnis habet geminas hinc atque hinc janua frontes;
E quibus hæc populum ſpectat; at illa Larem.
Utque ſedens veſter primi prope limina tecti
Janitor, egreſſus introituſque videt;
Sic ego perſpicio cœleſtis janitor aulæ
Eoas partes, Heſperiaſque ſimul.
Ora vides Hecates in treis vergentia partes,
Servet ut in ternas compita ſecta vias.
Et mihi, ne flexu cervicis tempora perdam:

Cernere

teſte vocatur far toſtum & ſale ſparſum; quod eo molito hoſtiæ aſperguntur.

129. *Ridebis tu nomina*] Mihi ſcilicet impoſita, & quæ humiliora ſunt mea dignitate. *Namque modo ore ſacrifico*] Ore ſacerdotis ſacra facientis. *Vocor Patulcius*] A patendo. Et idem vocor *Cluſius*, à cludendo. *Paul.*

130. *Cluſius ore vocor*] Tres apud me veteres quaſi de compacto habent, *Clauſius*. Sic ſcriptum & hoc Jani cognomentum apud Macrob. 1. Saturn. c. ix. *Neap.*

131. *Scilicet*] Quare ita appellatus ſit, ut alterno nomine alternum quoque officium oſtenderetur. *Voluit alterno nomine*] Nomine alternatim, hoc eſt, per vices repetito: cum nunc *Patulcium*, nunc *Cluſium* dicerent.

132. *Significare diverſas vices*] Contrarias, officii alternatione; cum per vices nunc claudam, nunc aperiam.

133. *Vis mea*] Poteſtas & officium meum. *Paul. Vis mea narrata eſt*] Relata jam ſua multiplici poteſtate, accedit ad cauſas formæ bifrontis; in qua aſſignanda, varia commenti ſunt veteres, ut C. Baſſus & alii. *Neapol.*

134. *Aliqua parte*] Quia jam multa narravi, ex quibus percipere potes, cur bicep ſim.

135. *Omnis janua habet geminas frontes*] Exteriorem & interiorem.

136. *Hæc*] Exterior ſcilicet. *Spectat populum*] Quaſi reſpicit eos qui foris ſunt. *At illa*] Altera frons, quæ interior eſt, *ſpectat larem*, ea quæ in lare, hoc eſt, quæ domi ſunt.

140. *Perſpicio partes Eoas*] Obſervo partes Orientis. *Et Heſperias*] Regiones Occidentis

141. *Ora vides*] Arguit ab exemplo Dianæ: quæ quia in triviis colebatur, & Trivia dicta, & tricipitem eſſe finxerunt: Præterea & triplex eſt illi cum triplici poteſtate nomen: nam Diana in nemoribus, Luna in cœlo, Proſerpina in erebo dicta. Quin etiam & Hecaten vocarunt, non modo à triplici, ſed à multiplici poteſtate: ſive ita appellata eſt, quod centum victimis placetur. Sed ut varia poteſtas, ita & ſimulachra ſunt. *Tu vides ora Hecates*] Vultus Dianæ. *Vergentia*] Quaſi ſeſe vertentia. *In treis partes*] Nam cum triceps ſit, in tres partes ſeſe vertit. *Paul. In treis vergentia partes*] Hinc Hecate vulgo Græcis τριπρόσωπος, τρίμορφος, τριόδιτις, τρίγλυφος. Quid τρίγλη, in Heſychio legas. Vide & Athenæum l. viii. *Neap.*

142. *Compita ſecta*] Diviſa. *Compita* dicta, à pluribus ſimul viis competentibus: ut ſunt trivia, & quadrivia.

143. *Ne perdam tempora flexu cervicis*] Ne converſione & inclinatione cervicis fruſtra tempus conteram.

144. *Non*

Cernere non moto corpore bina licet.
Dixerat: & vultu, ſi plura requirere vellem,
Difficilem mihi ſe non fore taſſus erat.
Sumpſi animum, grateſque Deo non territus egi:
Verbaque ſum ſpectans pauca locutus humum.
Dic age frigoribus quare novus incipit annus,
Qui melius per ver incipiendus erat?
Omnia tunc florent: tunc eſt nova temporis ætas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modo formatis amicitur vitibus arbos;
Prodit & in ſummum ſeminis herba ſolum:
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit & in pratis, luxuriatque pecus.
Tum blandi ſoles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celſa ſub trabe fingit opus.
Tum patitur cultus ager, & renovatur aratro.
Hæc anni novitas jure vocanda fuit.
Quæſieram multis: non multis ille moratus,
Contulit in verſus ſic ſua verba duos.
Bruma novi prima eſt veteriſque noviſſima Solis:

Prin-

144. *Non moto corpore*] Sine motu & inclinatione corporis.

145. *Dixerat*] Jam Janus cauſam formæ bicipitis. *Si vellem plura requirere*] Si quid aliud vellem ab eo ſciſcitari, in quo dubitarem. *Paul.*

148. *Spectans humum*] Demiſſis oculis, ταπεινοφροσύνης indicium.

149. *Dic age*] Quærit nunc poëta, quæ ratio eſt, quod annus potius incipiat ab hyemali tempore, quam à verno: videtur enim magis anni principio vernum tempus, quam hyemale convenire, præſertim cum verno tempore omnia renovari videantur, & ipſa tellus, quaſi novam veſtem reſumit.

152. *Et nova gemma*] Novus vitis oculus. Virgil. *Turgent in palmite gemmæ.*

153. *Arbor operitur*] Tegitur.

154. *Et herba ſeminis*] Quæ à ſemine procedit. *Prodit in ſummum ſolum*] Exit in telluris ſummitatem: quia tunc ſegetes & cæteræ herbæ emergunt.

155. *Et volucres*] Lætæ jam verno tempore. *Mulcent*] Demulcere & delinire videntur. *Aëra tepidum*] Aëra vernum. *Concentibus*] Varia cantuum ſuavitate.

156. *Et luxuriat in pratis*] Laſcivit.

157. *Ignota*] Quia non ſcitur unde veniat, aut quò ſeceſſerit.

158. *Et fingit*] Componit. *Opus luteum*] Nidum ex luto.

159. *Tunc ager patitur cultus*] Quia congruum illud tempus ad excolendum agrum. *Et renovatur aratro*] Nam aratro proſcinditur.

161. *Ille*] Janus.

162. *Contulit ſua verba in duos verſus*] Suam ſententiam & rei rationem duobus tantum verſibus explicuit.

163. *Bruma novi, &c.*] Rationem affert Janus, in bruma ſolarem curſum terminari & renovari, ſic ab ipſa ſolaris curſus renovatione renovari annum, qui ad ipſius ſolis curſum inſtitutus eſt. Optime ergo faciunt, qui poſt hybernum tropicum annum inchoant, cum ſol finem ulterius progrediendi faciat, rurſus ad nos ſe recipit: fit enim naturale quodammodo hujuſmodi principium, quo, & lucis tempus augetur, tenebra-

Principium capiunt Phœbus & annus idem.
Poſt ea mirabar, cur non ſine litibus eſſet
Prima dies. Cauſſam percipe Janus ait.
Tempora commiſi naſcentia rebus agendis;
Totus ab auſpicio ne foret annus iners.
Quiſque ſuas artes ob idem delibat agendo:
Nec plus quam ſolitum teſtificatur opus.
Mox ego, Cur, quamvis aliorum numina placem,
Jane, tibi primo thura merumque fero?
Ut poſſis aditum per me, qui limina ſervo,
Ad quoſcunque voles, inquit, habere deos.
At cur lætaruis dicuntur verba Kalendis,
Et damus alternas accipimuſque preces?
Tum deus incumbens baculo, quem dextra gerebat;
Omina principiis, inquit, ineſſe ſolent.
Ad primam vocem timidas advertitis aures,

Et

rum vero & noctis diminuitur. *Bruma*] A brevitate dierum dicta, tempus illud eſt, cum breviores dies ſunt. *Et veteris Solis noviſſima*] Ultima ſolis, cum curſum perficit.

164. *Phœbus & annus capiunt idem principium*] Solis curſus & anni idem eſt principium.

165. *Poſt ea mirabar, cur non, &c.*] Quærit, cur prima dies non vacaret contentione & certamine. De more enim erat, calendis Januariis certare demonſtratione artis, quam quiſque profiteri potuiſſet: ut bono omine ab anni initio captato, idem toto anno profeſſuri eſſent. *Paul. Cur non ſine litibus eſſet*] Kalendis ergo Januarii fari licebat; & moris erat, ut quicunque munus aut artem aliquam exerceret, leviter eo die aliquid libaret, auſpicii ſaltem cauſa; propterea hunc diem veteres vocarunt, *auſpicalem*, Neapol.

167. *Tempora naſcentia*] Hoc eſt, ipſorum temporum principia. *Rebus agendis*] Demonſtrationi & deliberationi rerum agendarum.

168. *Ne totus annus foret iners*] Ne inertia conſumeretur annus, ſed arte, ſolertia & induſtria. *Auſpicio*] Ob auſpicium: hoc eſt, augurium à primo die captatum.

169. *Ob idem*] Hoc eſt, ut ſauſtum ſuſque omen & auſpicium ab initio capiet. *Prælibat ſuas artes*] Præguſtat, & certatim præmonſtrat artes, quas profiteri poteſt. *Agendo*] Aliquid faciendo & certando. *Paul. Quiſque ſuas artes*] Hoc eſt, fullo fulloniam, ſutor ſutoriam delibabat, agricolæ rureſtre opus: Sed hoc apage lucelli cauſsâ. Pari modo quiſque ſupellectilem domeſticam poliebat, ut toto fere anno ſine macula exſtaret. Vide & Senec. Epiſt. lxxxiii.

172. *Cur fero tibi Jane primum thura & merum*] Cur ego primum tibi ſacrifico, thura & merum offerens. *Quamvis placem*] Quamvis alios deos placaturus ſum, & illis ſacrificaturus.

173. *Ut per, &c.*] Ut per eum pateat ad illum cui immolatur, acceſſus: quaſi preces ſupplicum per portas ſuas ad deos ipſe tranſmittat. *Per me*] Opera mea. *Qui ſervo limina*] Qui ſum janitor cœli, & ſervo deorum limina.

178. *Omina ſolent eſſe principiis*] Initio rerum agendarum ſolent omina & auguria captari, ſic etiam ab anni principio: quæ ſi bona ſunt, ſequetur ſauſtus annus. Apud antiquos enim non ſolum publicè, ſed etiam privatim nihil gerebatur, niſi auſpicio prius ſumpto.

179. *Advertitis aures timidas*] Dubias de augurio & omine, bonúmne an malum futurum ſit.

180. *Con-*

Et viſam primum conſulit augur avem.
Templa patent aureique dei: nec lingua caducas
Concipit ulla preces, dictaque pondus habent.
Deſierat Janus: nec longa ſilentia feci,
Sed tetigi verbis ultima verba meis:
Quid vult palma ſibi, rugoſaque carica, dixi,
Et data ſub niveo candida mella cado?
Omen, ait, cauſſa eſt, ut res ſapor ille ſequatur,
Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.
Dulcia cur dentur video, ſtipis adjice cauſſam,
Pars mihi de feſto ne labet ulla tuo.

Riſit,

180. *Conſulit avem primum viſam*] Obſervat aves, & conſulit quam primum videt: in ea enim eſt auſpicii pondus: & hoc ad aves præpetes referendum. Aves enim oſcines cantu, præpetes volatu futura prænunciant. *Paul. Conſulit augur avem*] Probat omnia principiis ineſſe ex prima obſervatione in utroque augurio, oſcinum & præpetum: illud aure, hoc viſu captabatur. *Neapol.*

181. *Patent templa*] Deorum ædes calendis Januariis apertæ ſunt, idque Jano duce, qui aperit & claudit. *Et aures deûm patent*] Quia paratæ ſunt ad audiendas preces, & vota ſuſcipienda. *Nec lingua concipit caducas preces*] Quaſi non effunduntur preces fruſtra: nam à diis audiuntur. *Paul. Nec lingua caducas*] Caducæ preces eæ ſunt, quæ à ſurdis numinis auribus excidunt. *Caduca auſpicia* dixerunt veteres, cum aliquid in templo excidebat: *velut virga è manu*, inquit Feſtus. *Neapol.*

182. *Concipit*] Dixit, cum mente concipiantur, & lingua pronuncientur preces. *Habent pondus*] Sortiuntur effectum: nam à diis exaudiuntur.

183. *Deſierat, &c.*] Quærit qua ratione iiſdem calendis tam ſuaves fructus offerantur: ut caricæ, & mella? in omen futuræ ſuavitatis ineuntis anni.

184. *Sed tetigi ultima verba*] Jani ſcilicet. *Verba meis*] Nam ſtatim cum ille deſiit, ego ſubſecutus ſum, & dixi.

185. *Quid vult ſibi palma*] Quaſi quid ſibi volunt palmarum fructus, qui eis calendis offeruntur. *Et rugoſa carica*] Caricas inter ficus Plinius refert. *Paul.* *Quid vult palma ſibi*] Anni novi initio, amici ſuis mella, palmulas & caricas miſſitabant. Vide Senec. Epiſtol. lxxxvii. *Rugoſaque carica*] Caricam, ficum ſiccatam dixere Latini. Græce τὰ σῦκα vocant recentes: has vero Sole aduſtas ἰτρὰς δύας. Eæ autem ideo *carica* dictæ, quia ex Caria in Italiam tranſlatæ: unde eædem caunææ, à Cauno urbe ejuſdem Cariæ. Sed caricas noſtri poſtea pro qualibet ficu ſicca tranſmarina uſurparunt. *Neapol.*

186. *Candida ſub niveo cado*] Quæ condita erunt ſub quocunque vaſe candido, ſive novo.

187. *Omen*] Ominis ratio. *Ut ille ſapor*] Ut res illæ dulces, ſic omnia ſint per totum annum dulcia.

188. *Et ut dulcis annus*] Qui dulce principum habuit: ſequatur iter cœptum, quod incœpit à dulcibus. *Paul. Dulcis ut annus iter*] O animem veterum ſuperſtitionem! Vide Julian. Imperatorem Epiſtola xxiv. ad Saraphionem.

189. *Stipis adjice cauſſam*] Antiquiſſimum ſtrenarum commercium, & ſub Auguſto viguit. Vide Suet. lib. iv. c. xlii. Et vetera hæc rudera: IMP. CÆSAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIFEX MAXIMUS IMP. xiii. COS. xi. TRIB. POTEST. xv. EX STIPE QUAM POPULUS ROMANUS NERONE CLAUDIO DRUSO T. QUINTIO CRISPINO COS. VOLCANO. *Neapol.*

190. *Ne ulla pars de feſto tuo*] Ne quid eorum, quæ tuis calendis aguntur. *Labet mihi*] Excidat à me. Etenim apud veteres calendis Januariis ſtrena dari accipique

Risit, & O quam te fallunt tua sæcula, dixit,
Qui stipe mel sumpta dulcius esse putes.
Vix ego Saturno quenquam regnante videbam,
Cujus non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi.
Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.
Pluris opes nunc sunt, quam prisci temporis annis;
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit:
Dum casa Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva torum.
Juppiter angusta vix stabat totus in æde,
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis:
Pasce-

pique solebat: *Strena* munus ipsum appellatum est.

191. *Risit, &c.*] Id arguit Janus, dulciora esse stipis munera, quam mellis. Verum ejus nunc sermo descendit usque ad sextum & trigesimum versum. Inquit enim ab regno usque Saturni fuisse homines lucri cupidos, & aviditatem tempore crevisse. Laudat tamen antiquam paupertatem, damnatque & opulentiam, & luxuriam. *Risit*] Janus, cum ita rogaretur. *Et dixit*] O quantum decipiunt te tua tempora. *Qui putas*, Magis esse mel dulce, quam sit nummus.

195. *Tempore crevit amor, &c.*] Nunc in cupiditatem mortalium invehitur, quod eo ventum est, ut nullus sit avaritiæ modus.

197. *Pluris opes nunc sunt, &c.*] Pluris quidem hoc tempore æstimantur divitiæ, quod ab initio urbis. *Sunt pluris*] In majore pretio habentur.

199. *Dum parva casa*] Exiguum tuguriolum. *Quirinum*] Romulum. *Martigenam*] Marte genitum: hoc est, dum Romulus parvum tugurium incolebat, etiam urbe condita. *Paul. Dum casa Martigen.*] Hæcubi sita addubito, si una; si duæ, altera erat in Capitolio, altera in Palatio. *Neapol.*

200. *Et herba fluminis*] Seu palustris ulva, aut alga. *Dabat exiguum torum*] Non enim in pulvinaribus, sed in toris asperioribus & duriusculis recumbebat.

201. *Juppiter angusta, &c.*] Non modo in humanis rebus, sed in divinis vigebat ipsa paupertas, cum dii quoque modico contenti essent. *Juppiter*] Jovis effigies. *In angusta æde*] Parva enim erat ædes, ut recte collocari vix posset simulacrum. *Paul. Angusta in æde*] Pro hac intellige Pompilianum Capitolium humile & vetus, quod situm in regione VI. non illud novum & celebre in viii. ni capias de Jovis Feretrii templo, quod Romuli opus, angustum etiam, vix enim longitudine erat pedum xv. *Vix totus stabat*] Haud dubie de Feretrio loquitur: cujus simulacrum fortassis erectum: non illud Jovis Capitolini fuit sessile: id verum nummi clamant; & illud notum à triumphantibus in gremio Jovis lauream apponi solitam. Vide Dionem lib. liv. Sed forsitan potius legas, *stares*, quasi dicat, in paupere templo non servatam symmetriam, & si forte signum illud Jovis surgeret, templi tectum secum auferret. Vide & Strab. lib. viii.

202. *Inque Jovis dextra*] Nam in sinistra σκῆπτρον sive hastam habebat. *Fictile fulmen*] E figulinâ, simulacra illa antiquissima prodiisse, jam toties à Criticis repetitum, ideo exempla sileo, ni videar prorsus ἄσκωπτος. *Neapol. Fulmen fictile*] Creteum à figulis effictum.

203. *Frondibus ornabant, &c.*] Ornabant Capitolia frondibus, quæ nunc gemmis, quæ hoc tempore margaritis, & quibuscunque lapillis preciosis ornantur.

205. *Nec*

Paſcebatque ſuas ipſe ſenator oves.
Nec pudor, in ſtipula placidam cepiſſe quietem,
Et fœnum capiti ſuppoſuiſſe ſuo.
Jura dabat populis poſito modo conſul aratro,
Et levis argenti lamina crimen erat.
At poſtquam fortuna loci caput extulit hujus,
Et tetigit ſummos vertice Roma deos;
Creverunt & opes, & opum furioſa cupido:
Et, cum poſſideant plurima, plura volunt.
Quærere ut abſumant, abſumpta requirere certant:
Atque ipſæ vitiis ſunt alimenta vices.
Sic, quibus intumuit ſuffuſa venter ab unda,
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.
In pretio pretium nunc eſt. dat cenſus honores,
Cenſus amicitias: pauper ubique jacet.
Tu tamen auſpicium ſi ſit ſtipis utile quæris,
Curque juvant noſtras æra vetuſta manus.
Æra dabant olim: melius nunc omen in auro,

Victa-

205. *Nec pudor*] Nec erat illis rubori aut dedecori. *Cepiſſe placidam quietem in ſtipula*] Placide requieviſſe, aut quiete dormiviſſe in ſtipula, non in pulvinaribus, non in tapetibus, ſed in nudis paleis. *Paul. Nec pudor, in ſtipula*] Hæc nuda tritici aut hordei palea, quam antiqui legebant ad ſua cubilia: & unde lectus, niſi à legendo? Vide Varron. lib. iv. de Ling. Lat.

207. *Poſito aratro*] Repetit id ſæpiculè noſter in Faſtis. *Neapol. Jura dabat populis, &c.*] Poſt exactos reges, cum conſules creari cœpiſſent, ab ipſo aratro interdum ſunt accerſiti, qui rempubl. adminiſtrarent, & populo jura dicerent: & exacto magiſtratus tempore, arva reperebant, & ipſorum imperatorum manibus colebantur agri.

208. *Et levis lamina*] Pro ſcelere habebatur, argentum habere. Etenim ex cenſoria nota damnabantur, qui quinque argenti pondo poſſiderent. *Lamina*, proprie eſt rudis & infabricata materia metalli. *Paul.*

Levis lamina] Quæque tenuiſſima. *Chartam* hanc etiam dixere veteres: ſit mihi fides. *Neapol.*

209. *At poſtquam, &c.*] Aucto imperio, auctæ etiam ſunt opes, & cum ipſis aucta eſt habendi cupido.

210. *Et Roma tetigit deos ſummo vertice*] Quaſi extulit caput uſque ad ſidera.

213. *Quærere*] Opes ſcilicet. *Requirere abſumpta*] Ea quæ jam abſumpſerint & profuderint.

214. *Atque ipſa vices*] Alternationes, ſeu viciſſitudines quærendi & abſumendi. *Sunt alimenta vitiis*] Alunt cupiditatem ipſam inſatiabilem.

215. *Sic, quibus intumuit, &c.*] Comparat avaritiam hydropiſi. Sic & Horat. *Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops. Ab unda ſuffuſa*] Ab aquoſitate ipſa ſuffuſa per epar. *Paul. Sic, quibus intumuit*] Avarus, inquit, ut ὑδρωπικὸς, qui quo plus bibit, plus ſitit.

217. *In pretio*] Quaſi quicquid pretioſum eſt, & alicujus æſtimationis, venale. *Dat cenſus honores*] Tangit publicam querelam eorum temporum, vide & Plin. procem. lib. xiv. *Neapol. Cenſus dat honores*] Pecunia dat publica munera, hoc eſt, ipſos magiſtratus.

218. *Cenſus dat amicitias*] Et amicitiæ etiam pretio parantur. *Jacet ubique*] Quia pro abjecto & vili habetur.

Victaque concedit priſca moneta novæ.
Nos quoq; templa juvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea majeſtas convenit iſta deo.
Laudamus veteres, ſed noſtris utimur annis,
Mos tamen eſt æque dignus uterque coli.
Finierat monitus: placidis ita rurſus, ut ante,
Clavigerum verbis alloquor ipſe deum:
Multa quidem didici, ſed cur navalis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?
Noſcere me duplici poſſes in imagine, dixit;
Ni vetus ipſa dies extenuaret opus.
Cauſſa ratis ſupereſt: Thuſcum rate venit in amnem
Ante pererrato falcifer orbe deus.
Hæc ego Saturnum memini tellure receptum,
Cœlitibus regnis ab Jove pulſus erat.

Inde

222. *Concedit novæ*] Ceſſit aureo nummo. *Paul. Priſca moneta novæ*] Non tamen ea abiit, ſed in uſu fuit; habitaque ut vilior hæc moneta eſt: quam nigram alicubi vocat Martialis, ob mixturam plumbi. *Neapol.*

223. *Nos quoque*] Nos etiam dii. *Antiqua templa*] Quæ à pauperibus antiquis fuere condita, & ære tantum ornata. *Juvant tamen templa Aurea*] Auro exornata, à poſteris magnificentiore ſumptu poſita.

224. *Iſta*] Auri, & ditioris templi.

225. *Sed utimur noſtris annis*] Quaſi moribus noſtri temporis.

226. *Tamen uterque mos*] Utraque conſuetudo, & vetus & nova.

227. *Finierat monitus, &c.*] Quærit nunc Poëta cur in antiquis numiſmatibus ex altera parte ſit Janus biceps, ex altera ſit navis.

228. *Alloquor deum clavigerum*] Janum, qui cum clavi & virga figuratur.

229. *Navalis*] Quaſi, cur ex altero latere eſt navis.

231. *Noſcere me duplici, &c.*] Bicipitem formam ſibi aſcribit Janus, navalem Saturno in Italiam rate advecto. De hoc Macrobius ita inquit: Janus cum Saturnum claſſe pervectum hoſpitio cepiſſet, & ab eo edoctus peritiam ruris, ferum & rudem illum ante fruges cognitas victum, in melius redegiſſet, regni eum ſocietate muneravit. Cum primus æra fignaret, quoniam ille navi fuerat advectus, ſervavit in hoc Saturni reverentiam, ut ex una parte ſui capitis effigies, ex altera navis exprimeretur.

232. *Extenuaret opus*] Excidiſſet & attriviſſet imaginis notam, ſeu nummum ipſum.

233. *Supereſt cauſſa ratis*] Reſtat ut abſolvam, cur navis eſt in æreo nummo. *Deus falcifer*] Saturnus. *Venit in amnem Thuſcum*] In Tybrim. Hetruriæ fluvium.

234. *Ante*] Hoc eſt, prius quam ſignaretur nummus. *Pererrato orbe*] Cum diu per orbem erraſſet, fugiens Jovis filii vires & iracundiam. *Falcifer Saturnus* dicitur, & cum falce figuratur, vel ob meſſis peritiam, vel quia Italis primus vitem putare oſtendit. *Paul.*

Ante pererrato falcifer] Id eſt, peragrato prius orbe, non ante quam nummus ſignaretur, ut placet rudi Scholiaſtæ: non ante Janum, ut videtur capiendus hic locus prima fronte; nam ille Saturno prior in Italiam venit, unde ſumpſit initium Dynaſtia Aboriginum.

235. *Ego memini Saturnum receptum hac tellure*] Quaſi memini me recepiſſe Saturnum hoſpitio in hac terra Latina, cum diu erraſſet, & vix in Italia locum quo lateret, inveniſſe. Verum quia Italia inferior eſt quam Græcia, in qua mons eſt Olympus, fixere Poëtæ, illum ætherio Olympo ad Italiam adveniſſe.

237. *Inde*

Inde diu genti manſit Saturnia nomen:
Dicta quoque eſt Latium terra, latente deo.
At bona poſteritas puppim formavit in ære;
Hoſpitis adventum teſtificata dei.
Ipſe ſolum colui, cujus placidiſſima lævum
Radit arenoſi Tibridis unda latus.
Hic, ubi nunc Roma eſt, incædua ſylva virebat:
Tantaque res, paucis paſcua bubus erat.
Arx mea collis erat, quem vulgus nomine noſtro
Nuncupat, hæc ætas Janiculumque vocat.
Tunc ego regnabam; patiens cum terra deorum
Eſſet, & humanis numina mixta locis.
Nondum Juſtitiam facinus mortale fugarat.
Ultima de ſuperis illa reliquit humum.
Proque metu populum ſine vi pudor ipſe regebat.
Nullus erat, juſtis reddere jura, labor.

Nil

237. *Inde diu genti*] Hoc eſt, quod modo dicebamus, à Saturno regionem & urbem, & gentem *Saturniam* denominatam. *Inde*] Ex eo: nam diu & gens Latia, & regio *Saturnia* dicta. *Paul.*

238. *Dicta quoque, &c.*] Varroni placet, Latium dici Italiam, quod lateat inter præcipitia Alpium & Apennini. vel ſic dicta, quod Saturnus ibi latuerit.

239. *At bona poſteritas*] Ipſi poſteri pii, & memores meritorum. *Formavit in ære puppim*] In æreo nummo navim formavere: quia navi fuerat Saturnus in Italiam advectus.

240. *Adventum hoſpitis dei*] Ea nota teſtimonium perhibens de Saturno, quem ego hoſpitio ſuſcepi. *Paul. Adventum teſtificata Dei*] Si vera hæc, cur in Græciâ cuſa etiam numiſmata cum Jano & rate? an ex Italia in Græciam; an Janus è Græcia in Italiam ſecum tulit? id certius: & puto, fictum illud pro ſervanda adventus Saturni memoria.

241. *Cujus placidiſſima lævum*] Fabius Pictor: *Is Janus ſub initium aurei ſæculi lævum latus Tiberis Hetruria tenuit.* Neapol. *Ipſe ſolum colui, &c.*] Saturnus cis Tybrim, & Janus trans Tybrim habitavere. *Solum*] Tellurem. *Cujus lævum*] Quaſi partem ſiniſtram. *Radit unda*] Aqua Tyberina abluit. *Paul.*

243. *Incædua ſylva virebat*] Fabius Pictor, in 111. *Jam modo qua fuerant ſylva pecorumque receſſus, Urbs erat.* Neap.

244. *Tantaque res*] Quanta eſt ipſa Roma, aut locus in quo condita eſt. *Erat paſcua paucis bubus*] Quia pauperes coloni paucos habebant boves.

245. *Arx mea eſt collis*] Fidem facit verbis ſuis, quod ſacellum ſuo numini dedicatum, adhuc extet in eo colle quem incoluit, & qui ab eo *Janiculus* nuncupatur. Heinſ. leg. *Arx mea collis erat. Paul. Arx meq collis*] Agit hic de ſua veteri habitatione, quæ fuit in Janiculo, ubi oppidum ejuſdem nominis condidit. *Neapol.*

247. *Tunc ego regnabam, &c.*] Eo ego tempore in terris regnabam, cum inter homines dii erant. *Eſſet patiens deorum*] Hoc eſt, antequam ab hominum ſceleribus pellerentur.

250. *Reliquit humum*] Et in Metamorph. *Ultima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.* Tamdiu enim in orbe fuit, quamdiu ſine ſcelere vixit mortale genus.

251. *Ipſe pudor*] Quaſi cum unuſquiſque turpe ſibi duceret peccare. *Paul. Sine vi pudor ipſe regebat*] Fabius Pictor: *Ea ætate nulla erat Monarchia, quia mortalium pectoribus non hæſerat ulla regnandi cupiditas: Principes quaſi juſti erant & religionibus dediti: non enim arbitria illorum ab æquo, vel populus à jure innato*

Nil mihi cum bello : pacem poſteſque tuebar :
Et clavem oſtendens, Hæc, ait, arma gero.
Preſſerat ora deus, tunc ſic ego noſtra reſolvi,
Voce mea voces eliciente dei.
Cum tot ſint Jani ; cur ſtas ſacratus in uno,
Hic, ubi juncta foris templa duobus habes ?
Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam,
Protinus Oebalii rettulit arma Tati.
Utque levis cuſtos armillis capta Sabinis,
Ad ſummæ Tatium duxerit arcis iter.

Inde

diſcedebat ; nullo tunc vindice aut metu, ſed ſua ſponte retinebant fidem & reſtum. Pudor ipſe regebat populos & jus principes. Neapol.

253. *Tuebar pacem poſteſque*] Defendebam pacem, cui præeram, & ſervabam januas.

256. *Voces dei*] Verba Jani. nam ſciſciranti mihi reſpondebat ille, ſic eliciebam ejus voces.

257. *Cum ſint tot Jani*] Tot ſacella tibi Jano dedicata. *Cur ſtas ſacratus in uno*] Cur uno in loco ſacrata eſt tua effigies, & ſacrificia tibi fiunt ? *Paul. Cum tot ſint Jani*] Non templa, ut interpretes volunt : Unum fuit præcipuum Romæ Jani templum, at Jani plures. Occurrit ſæpe in lapidibus, primus, imus & medius : ut in hoc :

C. JULIUS C. L. NICOMACHUS
A JANO PRIM. PAL. & in iſto :
C. LEPIDUS
C. L. ANICETUS
A JANO MEDIO.

Imi fit mentio ab Horatio lib. 1. Epiſt. 1. Sed hi tres in foro erant Romano. Excitatos puto anno Dlxxx. à Fulvio Flacco Cenſore : de quo, *Curavit*, inquit Livius lib. xli. *in his & cloacam circumducendam, & forum porticibus taberniſque claudendum, & Janos tres faciendos.* Suſpicantur Eruditi, pro marmoreis arcubus & fornicatis tranſitionibus *Janos* accipiendos : Græci interpretati ἀψῖδας.

258. *Templa duobus*] Piſcario & Boario. Hujus vero certus ſitus fuit unde calida illa aqua exiit, adverſus Tatium, Jani opera, ut fingit hic apud noſtrum. Eum locum dixere antiqui *Lautolas*. Varro lib. iv. de L. L. *Lautola à lavando ; quod ibi ad Janum geminum aqua calida fuerint.* Neapol. *Hic ubi habes templa juncta duobus foris*] Ubi eſt templum tuum, quo in loco terminantur duo fora, Romanum & boarium.

259. *Ille manu mulcens, &c.*] Et ſequuntur verba Jani uſque ad decimumſextum verſum, refertque cauſam hujus rei, de qua ſciſcitatus eſt Poeta, ad bellum Sabinum, cum hoſtes irrupturi fuiſſent, ſua ope repulſi. *Paul. Propexam barbam*] Sic plerumque ſculpta & picta ab antiquis ejus effigies. *Neapol. Barbam propexam*] Longam, ſeu longe pexam. *Tatii Oebalii*] Tatii Oebalii, regis Sabinorum, ab ipſis Laconibus illuc profectis. *Paul.*

260. *Oebalii Tatii*] Nam Sabini τῶν Λακεδαιμονίων ἄποικοι. *Neapol.*

261. *Utque levis*] Et retulit Janus. *Ut levis cuſtos*] Tarpeia quæ cuſtodiæ arcis præerat. *Capta armillis Sabinis*] Capta cupidine Sabinarum armillarum.

262. *Duxerit Tatium*] Tatii milites, ipſos Sabinos, qui ſub eo militabant. *Ad iter ſummæ arcis*] Ad viam, qua in arcem Capitolinam aſcendebatur. Ideo *levis cuſtos* dixit, quia pro re vili magnam prodidit. *Armillæ* ſunt ornamenta virorum, quæ in ſiniſtris brachiis ferebantur.

263. *Inde*

Inde, velut nunc eſt, per quem deſcenditis, inquit,
Arduus in valles ad fora clivus erat.
Et jam contigerat portam, Saturnia cuſtos
Dempſerat oppoſitas inſidioſa feras.
Cum tanto veritus committere numine pugnam,
Ipſe meæ novi callidus artis opem.
Oraque, qua pollens ope ſum, fontana recluſi,
Sumque repentinas ejaculatus aquas.
Ante tamen calidis ſubjeci ſulfura venis:
Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.
Cujus ut utilitas pulſis percepta Sabinis;
Quæque fuit, tuto reddita forma loco;
Ara mihi poſita eſt parvo conjuncta ſacello:

Hæc

263. *Inde*] Ex ea arce. *Erat clivus*] Erat deſcenſus difficilis. *In valles*] Quæ ſunt inter eos montes, Tarpeium, & Palatinum, & Aventinum. *Ad fora*] Romanum, boarium, & piſcarium. *Velut nunc eſt*] Quia nunc quoque eſt ipſe clivus. *Per quem deſcenditis*] E Capitolio ſcilicet in valles, & in ipſa fora. *Paul. Per quem deſcenditis*] Hunc puto, quem vocant urbis togographi *clivum Capitolinum*, non illum poſtea dictum *Publicium*, ut argutantur Interpretes, ab Ædilibus ejuſdem cognominis: de quo ſermo nobis erit in Feſtis Floralibus lib. v.

264. *Arduus in valles*] Expoſuit clivi naturam: hinc antiquis quæ difficilia, *clivia*.

265. *Et jam contigerant portam*] Quæ dicta Palatina, ſive porta vetus Palatii. *Neapol. Et jam contigerant portam*] Jam venerant Sabini magno impetu ad portam, ſub radicibus Viminalis, ut inde ingredientes arcem aſcenderent. *Saturnia invidioſa*] Juno, quæ ſummo odio Trojanos inſectata eſt, ſic & Romanos ab illis progenitos.

266. *Dempſerat*] Removerat vectes & obices, quibus clauſa tenebatur porta.

267. *Committere pugnam cum tanto*] Quaſi propter reverentiam nolens ego manus conſerere cum Junone, quæ portam aperuerat.

268. *Ipſe callidus*] Prudens & aſtutus. *Novi opem meæ artis*] Succurri Romanis ea arte qua poteram.

269. *Oraque recluſi*] Aperui, hoc eſt, ipſas aquarum ſcaturigines. *Qua ope ſum pollens*] Qua potentia præ cæteris valeo. Pollet ea ope Janus, quia exitus & introitus deus eſt.

270. *Aquas repentinas*] Repente ſcaturientes. nam magna vis aquarum ferventium ſubito in adverſos hoſtes erupit. *Paul. Repentinas ejaculatus aquas*] Hoc aliter ſe habet apud Hiſtoricos. Tabellæ vero etiam mentio apud Fab. Pictorem lib. II. & Macrob. Saturn. I. ubi ineptæ quædam: ut ex æde Jani aquam prorupiſſe, cum nondum ea per id tempus in nova urbe. *Neapol.*

271. *Ante tamen calidis, &c.*] Scaturigini ipſarum aquarum ſuppoſuiſſe ſe ſulphura dicit, ut eſſet humor fervens, quo magis hoſtes obrueret. *Tamen ante*] Quam ipſa aqua erumperet. *Subjeci ſulphura*] Suppoſui ſulphur.

272. *Ut humor fervidus*] Aqua fervens. *Clauderet iter Tatio*] Intercluderet iter Sabinorum regi, ne ingredi poſſet.

273. *Utilitas eſt percepta pulſis Sabinis*] Poſteaquam Romani percepêre ipſius aquæ utilitatem, quia ea Sabinos pepulerat.

274. *Forma*] Hoc eſt ipſius loci facies. *Quæ fuerat prius*] Scilicet quam id fieret. *Eſt reddita loco tuto*] Reſumpſit priorem formam locus, cedentibus aquis.

275. *Ara mihi poſita, &c.*] Romani hac ope jam ſervati, eo in loco, unde eruperant aquæ, aram templo junctam dedicaverunt. *Sacello*] Ædiculæ meæ.

Hæc adolet flammis cum ſtrue farra ſuis.
At cur pace lates, motiſque recluderis armis?
Nec mora, quæſiti reddita cauſſa mihi.
Ut populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet dempta janua noſtra ſera.
Pace fores obdo; ne qua diſcedere poſſit:
Cæſareoque diu nomine clauſus ero.
Dixit: & attollens oculos diverſa tuentes,
Adſpexit toto quidquid in orbe fuit.
Pax erat, & veſtri, Germanice, cauſſa triumphi

Tra-

Paul. Ara mihi poſita eſt] Ubi fuere antiqua illa κτρά. Diſce ex his, Naſonem, præter vulgum ædis hujus, Romulum, non Pompilium, auctorem feciſſe. Et hæc vetus opinio Varronis apud Auguſtinum. *Parvo conjuncta ſacello*] De hoc Procopius primo de bello Gothico: *Id vero jam ſacellum totum ex ære conſtructum fuiſſe ſat conſtat, &c.*

276. *Cum ſtrue*] *Jano ſtruem commovet*, inquit luſtricum Catonis carmen. *Strues* libi genus de quo vide Feſtum. Solita hæc in ſacrificiis miſceri cum ferculo; imo vero nunquam hoc ſine illa. Quæ qui adferebant *ſtruferctarii* appellabantur. Inde in veteri lapide: PORCAM ET AGNAM STRUIBUS ET FERTIS. Fertum & ferctum pronunciatum à priſcis. *Neapol. Hæc adolet*] Ara. *Adolet*] Urit. *Suis flammis farra, &c.*] Nam ut diximus, farre & ſale Jano ſacrificabatur. *Cum ſtrue*] Eſt enim *ſtrues* libi genus, quod addebatur in ſacris. Et ſuperius: *Imponit libum, farraque mixta ſale.*

277. *At cur pace, &c.*] Quærit nunc Poëta, cur pace claudatur, bello pateat. *Et recluderis*] Aperiris. *Paul. Motiſque recluderis armis*] Scita vetuſque ſuperſtitio, ſed quæ facile in Urbe reſecari non valuit. Legi in hac hæreſi quoſdam Romanorum perſtitiſſe uſque ad tempora Silverii P. M. & illius clari Ducis Beliſarii. Vide Procop. 1. de bello Gothico. *Neapol.*

278. *Reddita mihi*] Statim Janus reſpondit, & propoſitæ quæſtionis rationem reddidit.

279. *Ut populo pateant, &c.*] Bello, inquit Janus, patêre, ut pateat militiæ reditus: pace clauditur, ne pax ipſa diſcedat.

280. *Dempta ſera*] Amotis vectibus & obicibus.

281. *Obdo*] Claudo vectibus ſeu obicibus januas. *Paul. Pace fores obdo*] Huic portæ nomen fuit *Janualis*. Vide Varronem lib. iv. de L. L. *Neapol.*

283. *Tuentes diverſa*] Diverſas partes, & à tergo, anteriora & poſteriora.

285. *Pax erat*] O Germanice, erat pax, cum hæc ſcribebam, aut cum ita mecum loqueretur Janus. *Paul. Germanice cauſſa triumphi*] Hæc victoria ἀναμφισβητήτως Cæſari Germanico, non Tiberio datur. Vide Tacit. Annal. II. *C. Cælio, L. Pomponio Coſſ. Germaniam Cæſar A. D. VII Kalendas Junias triumphavit de Cheruſcis Chattiſque, &c.* Fuit hoc anno Dcclxix, male apud Euſebium anno MMxxxiii. præter unius anni metachroniſmum, legitur pro *Chattis*, Germanicus Cæſar de *Parthis* triumphavit. Nunc videamus, an potuerit noſter hujus victoriæ meminiſſe, cum pleriſque eo anno ſit mortuus. nugæ: nam ipſe natus ab V. C. anno Dccx. Hirtio ac Panſa Coſſ. cui Chronologo ac de re fides, niſi ipſimet Naſoni habeam, lib. iv. Triſt. *Cum cecidit fato Conſul uterque pari*: Deceſſit Poëta noſter anno Urbis Dcclxx. Plene igitur potuit Ephemerides ejuſdem anni ſcriptitaſſe, multo magis Germanici victoriam, quæ incidit in annum Dcclxix. *Neapol.*

286. *Tra-*

Tradiderat famulas jam tibi Rhenus aquas.
Jane face æternos, pacem, paciſque miniſtros:
Neve ſuum præſta deſerat autor opus.
Quod tamen ex ipſis licuit mihi diſcere faſtis;
Sacravêre patres hac duo templa die.
Accepit Phœbo Nymphaque Coronide natum
Inſula, dividua quam premit amnis aqua.
Jupiter in parte eſt. cepit locus unus utrumque,
Junctaque ſunt magno templa nepotis avo.
Quid vetat & ſtellas, ut quæque oriturque caditque,

Dice-

286. *Tradiderat jam tibi aquas famulas*] Servire jam cœperat tuæ domui, & hoc propter accolas Rheni, qui jam domiti fuerant. *Cauſa veſtri triumphi*] Quia de Germanis triumphaſtis. Et hoc arguunt Germanico non convenire, quia non vivente Ovidio triumpharit. Vel *veſtri triumphi*] Potes intelligere, triumphi veſtræ domus. Adde, quod facta parentum ſunt filiis quoque communia.

287. *O Jane face*] Pro fac. *Æternos pacem & pacis miniſtros*] Fac ut æterna ſit pax, & æternum imperitent Cæſares, qui pacem populis ſuggerunt, qui pacem orbi peperere. *Paul. Jane face*] Pro *fac.* Additio literarum grata veteribus. geminationem paſſim legimus: ut *ollim, querella, &c.* nec minus omiſſionem; *ut macelum, connubium, &c.* Neap.

288. *Præſta neve autor deſerat ſuum opus*] Quaſi concede, ne ego, qui ſum autor Faſtorum, deſeram inſtitutum opus, ſed proſequar uſque ad finem. Quod tamen hactenus cum Jano ſermonem habuit, & ab eo multa didicit, nunc ea quæ ex Annalibus, & veteribus Faſtis, & Pontificum libris excerpſit, aperiet.

289. *Tamen quod licuit*] Quod potui percipere ex ipſis Faſtorum libris.

290. *Patres*] Quaſi majores noſtri. *Sacravêre*] Conſecravere. *Hac die*] Calendarum ſcilicet Januariarum. *Duo templa*] Alterum Jovi, alterum Æſculapio. *Neapol.*

291. *Accepit Phœbo, &c.*] Ex Phœbo & Coronide nympha filia Phlegyæ, filii Martis, natus eſt Æſculapius, qui in Epidauro urbe colebatur. *Paul. Accepit Phœbo*] Æſculapio ergo templum in inſula Tyberina ſacratum. Motus & cauſa dedicationis exſtitit peſtilentia urens urbem & agros: hinc aditi libri Sibyllini, in quibus inventum ait Liv. lib. x. *Æſculapium ab Epidauro Romam accerſendum, &c.* Accerſitus tandem hic: ne cogites ſignum aliquod æreum aut ligneum ſimulacrum; anguis ſane fuit: ſed prô! quot mira iſte anguis eſt auſus? Vide Valerium lib. 1. de Miraculis, cap. viii. *Neapol.*

292. *Inſula quam premit amnis aqua dividua*] Inſula Tyberina, quæ fluvio cingitur, cum aquam dividit, & in ea inſula dedicatum eſt illi templum. *Paul. Dividua aqua*] Bene, quia flumen finditur in duas partes, ob inſulæ impedimentum. *Neapol.*

293. *Jupiter in parte eſt*] Hoc templum ſi dicatum eodem die quo Æſculapii, illud incidet in annum Delxii. Ni mens Poëtæ ſit, dedicationem utriuſque templi in eundem diem incidiſſe, non vero in eundem annum. *Neapol. Jupiter eſt in parte*] Ipſius inſulæ: quia & ibi templum eſt illi conſecratum. *Unus locus*] Una inſula. *Utrumque*] Et Jovem & Æſculapium: quia in eadem inſula & ſimul juncta habent templa.

294. *Templa nepotis*] Æſculapii, qui nepos eſt Jovis: quoniam hic Phœbi pater, cujus ille filius. *Magno avo*] Templo magni Jovis.

295. *Quid vetat*] Quis prohibet me de ortu & occaſu ſtellarum agere.

296. *Par-*

Dicere? promiſſi pars ſit & iſta mei.
Fœlices animæ, quibus hæc cognoſcere primis,
Inque domos ſuperas ſcandere, cura fuit.
Credibile eſt, illas pariter vitiiſque locisque
Altius humanis exeruiſſe caput.
Non Venus, & vinum ſublimia pectora fregit,
Officiumve fori, militiæve labor.
Nec levis ambitio, perfuſaque gloria fuco,
Magnarumve fames ſollicitavit opum.
Admovere oculis diſtantia ſidera noſtris,
Ætheraque ingenio ſuppoſuêre ſuo.
Sic petitur cœlum: non, ut ferat Oſſan Olympus,
Summaque Peliacus ſidera tangat apex.
Nos quoque ſub ducibus cœlum metabimur illis,

Pone-

296. *Pars mei promiſſi*] Nam in principio dixit: *Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna canam.*

297. *Fœlices animæ, &c.*] Magna illorum philoſophorum commendatio, qui cœleſtia primum indagarunt, & aliis quoque percipienda tradiderunt: & præ cæteris à ſumma vitiorum & laſciviæ continentia ac fobrietate commendat, qui nec ſtrepitui forenſi obnoxii, nec rei militari, nulla ambitione, aut inani gloria, aut habendi cupiditate tangebantur. *Paul. Fœlices animæ*] Ad has etiam Plinius: *Mafte ingenio eſte cœli interpretes, rerumque natura capaces, argumenti repertores, quo homines Deoſque viciſtis.* Neapol.

298. *Et ſcandere domos ſuperas*] Id eſt, aſcendere cœlum: hoc eſt, ſummo ſtudio indagare cœleſtia.

300. *Exeruiſſe*] Hoc eſt, elevaſſe mentem ad altiora contemplanda, magis quam liceat vitiofis & laſciviæ deditis hominibus.

301. *Pectora ſublimia*] Mentes ad ſublimia tendentes, quaſi rerum cœleſtium indagationi deditas. *Paul. Sublimia pectora*] *Regales animos* dixit Manilius ſub initium primi. *Neapol.*

302. *Officiumve fori*] Munus ſeu ratio agendarum in foro cauſarum. *Militiave labor*] Militaris induſtria non fregit ea pectora: quia nihil harum rerum, quæ vel ad quæſtum, vel ad inanem gloriam pertinent, ab incœpto revocavit.

303. *Ambitio*] Indigna honoris appetitio. *Et gloria perfuſa fuco*] Nec ſollicitavit eos inanis & falſa gloria. *Perfuſa fuco* dixit, quaſi non vero, ſed ficto colore. *Paul. Perfuſa fuco*] Falſo & fictitio medicata colore. Gloſſæ: *fucus, χρῶμα. Neapol.*

304. *Fames opum*] Nec eos ſollicitavit immenſa cupiditas habendi. Sic & Virgil. *Auri ſacra fames.*

305. *Admovere*] Illi quidem philoſophi propinquam fecere oculis noſtris. *Sidera diſtantia*] Longe à nobis remota. Ideo *admovere*, quia ſua inquiſitione patefecere.

306. *Et ſuppoſuere*] Etiam aſpectui noſtro. *Æthera*] Cœlum ipſum. *Suo ingenio*] Acumine ingenii, & diligenti indagatione. Aut *ſuppoſuere ingenio ſuo*, quia totum illud perſcrutati ſunt, & omnem ejus rationem intellexere.

307. *Sic petitur cœlum, &c.*] Hac via in cœlum itur, non qua Gigantum inſolentia tentavit, qui (ut eſt in fabulis) ad oppugnandum cœlum montes conſtruxere, Olympum, Oſſan, Pelion. *Ferat*] Suſtineat.

308. *Apex Peliacus*] Summitas Pelii montis.

309. *Nos quoque, &c.*] Nos etiam in rerum deſcriptione, præſertim occaſus & ortus, ſequemur illos ſanctiſſimos philoſophos. In multis codicibus eſt, *Medit abimur*, id eſt, meditando ſcribemus. *Paul. Sub ducibus*] Significat veteres

Ponemuſque ſuos ad ſtata ſigna dies.
Ergo ubi nox aderit venturis tertia Nonis,
Sparſaque cœleſti rore madebit humus;
Octipedis fruſtra quærentur brachia Cancri:
Præceps occiduas ille ſubibit aquas.
Inſtiterint Nonæ: miſſi tibi nubibus atris
Signa dabunt imbres exoriente Lyra.
Quattuor adde dies ductis ex ordine Nonis;
Janus Agonali luce piandus erit.
Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſſa miniſter,
Hoſtia cœlitibus quo feriente cadit.

Qui

teres Aſtronomos. *Cælum metabimur*] Ad condendum noſtrum parapegma: idem μετρητὸν πόλον dictum à Leone Philoſopho. Ad hoc à patribus inventa inſtrumenta dioptrica; quæ primum excogitavit Hipparchus. *Neapol.*

310. *Suos*] Proprios dies. *Ad ſtata ſigna*] Ad ea quæ ſunt ſuis circulis fixa: ut ſunt 12 illa ſigna fixa zodiaco circulo, cujus vertigine vertuntur & ipſa.

311. *Ergo ubi aderit nox*, &c.] Cum venerit nox, quæ diem tertium calendarum Januariarum præcedit. *Paul. Venturis tertia Nonis*] III Nonas Januarias Cancer mane occidit. *Neapol.*

312. *Madebit ſparſa rore*] Flet uda ſeu madida propter rorem matutinum è cœlo decidentem.

313. *Fruſtra quærentur brachia Cancri*] Incaſſum tolles in cœlum oculos, ut Cancrum videas: quoniam tertio die à nonis, ſic & tertia die Januarii occiderit coſmice. *Octipedis*] Quoniam octo pedes habet.

314. *Præceps*] Quaſi pronus occidens. *Subibit aquas occiduas*] Immergetur Oceano, & ſic occidet.

315. *Inſtiterint imbres miſſi*, &c.] Circa exortum Capricorni, vel paulo poſt, quoniam hoc ſignum & frigidum & humidum eſt, imminent plerumque imbres. Id maxime erit nonis Januariis, cum Lyra exoritur. *Paul. Inſtiterint nonæ*, &c.] Oſtendit ipſiſmet nonis futuram tempeſtatem, & Lyræ ortum heliacum: hic eodem tempore eſt Cæſari apud Plin. lib. 18. cap. 26. *Neapol.*

316. *Nona dabunt ſigna*] Pluviæ ſcilicet, ſi erit dies pluvius aut ſerenus. Quo etiam die prognoſtica aut ſerenitatis aut tempeſtatis capiebantur ab ipſa luna, nam pura & nitida ſerenitatem: obtuſa & aliqua caligine obſeſſa, pluvium tempus portendit.

317. *Quattuor adde dies*] Quarto die poſt nonas, hoc eſt, nono die menſis, quod erit quinto ab idibus, mactatur aries Jano, vocaturque dies *Agonalis*, & agonalia ipſa feſta. *Adde quattuor dies nonis*] Adjungas nonis hos quatuor dies, nec retrograde numerato, ſed ex ordine poſt nonas. *Paul. Quattuor adde dies*] V. Idus Januarias Agonalia Romæ erant: initium à Numa Pompilio ducunt. Iterabant hæc feſta veteres XII. Kalendas Junias. Et pro pridie Idus Decembris extat memoria in antiquo Kalendario: in eo Conſtantini Magni notatur ipſamet dies SEPTIMONIA, & bene: ne titubes. Vide Feſti fragmentum in vocula *ſeptimontium*, ſed aliqua in parte ſemirofum. *Neapol.*

318. *Janus erit piandus*] Quaſi hoſtia placandus. *Luce Agonali*, die quo Agonalia celebrantur arietis immolatione.

319. *Nominis eſſe poteſt ſuccinctus cauſſa miniſter*] Prima opinio cauſæ nominis, à rogando: cum rex ſacrificulus mactaturus arietem, rogat populum ſeu principem civitatis, *Agone*? ab ea voce rogantis putat *Agonalia* dici. *Succinctus miniſter*] Ipſe ſacerdos, ſeu rex ſacrificulus, qui ſe ſuccingit, ut expeditior ſit ad opus *Paul. Succinctus miniſter*] Is erat victimarii cultus. *Neapol.*

Qui calido ſtrictos tincturus ſanguine cultros,
Semper (Agone) rogans, nec, niſi juſſus, agit.
Pars, quia non veniant pecudes, ſed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Pars putat hoc feſtum priſcis Agnalia dictum;
Una ſit ut proprio littera dempta loco.
An quia præviſos in aqua timet hoſtia cultros;
A pecoris lux eſt ipſa notata metu?
Pars etiam, fieri ſolitis ætate priorum
Nomina de ludis Graja tuliſſe diem.

Et

321. *Qui*] Rex ſacrificulus. *Tincturus cultros*] Infecturus gladios. *Sanguine calido*] Cruore immolatæ hoſtiæ.

322 *Agone*] An agat, an victimam immolet. *Nec agit, niſi juſſus*] Niſi cum jubetur à principe, ſeu à populo. *Semper agatne rogat*] Perplacet etymon: mos vero imæ plebi notus. M. Varro lib. V. de L. L. *Dies Agonales, per quos Rex in regia arietem immolat, dicti ab agone. eo quod interrogatur Princeps civitatis, & princeps gregis immolatur. Nec, niſi juſſus, agit*] Ex ritu Dionyſ. Halicar. lib. VII. Antiq. Συντελεσθείσης δὲ τῆς πομπῆς, ἐβυβύτων ἐυθὺς οἵτι ὕπατοι, καὶ τῶν ἱερείων οἷς ὅσιον. Et paucis interjectis: Ἔπειτα κατευξάμενοι, θύουν τότε τοῖς ὑπηρέταις αὐτὰ ἐκέλευον. Sed ſi in omni ſacrificio popa juſſus victimam jugulabat, præmiſſa formula agone? quare hæc feſta potiſſimum, non etiam reliqua dicta *Agonalia?*

323. *Sed agantur ab actu.*] Inde Feſtus: *Agonium dies appellabatur, quo Rex hoſtiam immolabat: hoſtiam enim antiqui agoniam vocabant.* Idem: *Agonia hoſtia ab agendo dicta.* Neapol. *Pars, quia non, &c.*] Altera opinio, quod pecudes ad ſacrificium ſponte non veniant, ſed aguntur, ſeu abiguntur, & inde *Agonalia* dici. *Sed agantur*] A miniſtro ſacrorum.

325. *Pars putat hoc feſtum Agnalia*] Per detractionem unius literæ ab *Agonalia. Hoc feſtum*] Hæc Agonalia. *Paul. Priſcis Agnalia*] Dempta enim O, remanet ex τῦ Agonalia, Agnalia. Subtilitas etymo magis ineſt quam veritas: non agna, ſed aries tunc cæſus.

327. *Timet hoſtia cultres*] Sive, inquit, ducit originem ἀπὸ τῦ ἀγωνιᾶν, quod Græcis uſitatiſſimum, pro *metu angi*: unde qui timet, ἀγωνιάτης dicitur apud Diog. Laërtium. *Neapol. An quia prævisos in aqua, &c.*] Quarta opinio, quod immolandus aries ad aram, cum videt pelvim aqua pura plenam, cum gladiis, quæ quidem hujuſmodi ſacris adhibebantur, extimeſcere videtur. Inde ab illo metu *dies agonalis* dictus. nam ἀγωνιῶ, vel ἀγωνιῶμαι, idem quod *metuo*, aut *angor. Prævisos in aqua*] Quos in aqua viderit.

328. *An ipſa lux*] Agonalis dies. *Eſt notata*] Signata, & ita appellata. *A metu pecoris*] Arietis immolandi.

329. *Pars etiam, &c.*] Ultima opinio quam veriorem aſſerit: quod traxerit appellationem Græcam à ludis veteribus certaminum. Nam ἀγὼν Græcè certamen eſt. ἀγωνίζω, vel ἀγωνίζομαι, contendo, ſeu certo. *Pars etiam eſt*] Licet, & credi par eſt.

330. *Diem*] Agonalem. *Tuliſſe Graca nomina*] Græcam appellationem. *De ludis ſolitis fieri atate priorum*] A ludis, quos veteres exercebant. Dicebantur enim *ludi Agonales.* Primus eos inſtituit Hercules in Elide, apud Jovem Olympium. *Paul. Nomina de ludis Græcâ*] Huc pertinent illa Feſti: *Agonia ſacrificia, qua fiebant in monte: hinc Roma mons Quirinalis Agonus, & Collina porta Agonenſis, Agonium, locus in quo ludi initio facti ſunt, ob hoc dictum, quia fuerit ſine angulo.* Græcis angulus γωνία, locus angularis γωνιαῖος; unde angulo carens ἀγώνιος. *Neapol.*

331. *Et*

Et pecus antiquus dicebat Agonia ſermo,
Veraque judicio eſt ultima cauſſa meo.
Utque ea nunc certa eſt; ita rex placare ſacrorum
Numina lanigeræ conjuge debet ovis.
Victima, quæ cecidit dextrâ victrice, vocatur.
Hoſtibus à domitis, hoſtia nomen habet.
Ante, deos homini quod conciliare valeret;
Far erat, & puri lucida mica ſalis.
Nondum pertulerat lacrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hoſpita navis aquas.
Thura nec Euphrates, nec miſerat India coſtum,

Nec

331. *Et antiquus ſermo dicebat prius Agonia*] Antiqui vocabant ipſa feſta Agonia. De quo Pompeius: *Agonium* diem appellabant, quo rex hoſtiam immolabat. Hoſtiam enim antiqui *agoniam* vocabant. *Agonum* etiam putabant dici deum præſidem rebus agendis, *Agonalia* ejus feſtivitatem. *Paul.*

333. *Utque ea nunc certa eſt*] Longe diverſa priſci libri lectio: *utque ea non certa eſt.* & palam probior. *Neapol. Ita rex ſacrorum*] Sacrificulus.

334. *Debet placare numina conjuge ovis*] Placare Janum immolatione arietis, qui eſt velut conjux, hoc eſt, vir ovium.

335. *Victima, quæ cecidit, &c.*] Unde victima, & unde hoſtia dicatur: illa à manu victrice, & hæc à victis hoſtibus. utrumque autem accipitur pro eo quod diis immolatur. *Victima vocatur*] Illa immolanda beſtia appellatur victima, quæ à victoribus immolatur. *Paul. Victima, quæ cecidit*] Intrudit huc multa de ſacrificiis veterum, anſa ſumpta ex iis quæ dixit in Agonalibus. Victimæ vero & hoſtiæ etymon non arridet. *Neapol.*

336. *Hoſtia fuit dicta*] Cum quis victiſſet hoſtes, ſacrificabat, & hoſtiam ab hoſtibus appellabat.

337. *Ante, deos homini, &c.*] Ab initio vilia erant, quæ diis offerebantur, quia in Italiam preciosa nondum erant advecta. *Quod valeret conciliare deos homini*] Quod poſſet numina placare mortalibus. Nam aliud diis non offerebant, quam far cum ſale mollito.

338. *Far, & lucida mica ſalis*] Ipſa mola, quæ ex farre & ſale mollito fit. *Lucida mica*] Quod purum ſal lucere videatur. *Paul. Far erat*] Idque à Jani ævo, teſte Q. Fabio lib. 1. de aureo ſæculo.

339. *Nondum pertulerat*] Suſpicor myrrham, coſtum, crocum, eodem tempore quo thus, noſtris avis fuiſſe cognita; cum ex iiſdem fere regionibus afportata. Thuris vero notitia ad eos quando pervenerit, dubium: multa tamen ediſces è loco quodam trito Arnobii lib. VII. adverſus Gentes. *Lacrymatas cortice*] Nam ſtillant ab ipſo ligno: inde ferè omnes voce *Lacryma* hac in re uſi. Myrrhæ vero duæ ſpecies, liquida & dura, σταχτὴ καὶ πλαστή. Vide Theophraſt. *Neapol. Nondum hoſpita navis*] Peregrina navis. *Pertulerat myrrhas*] Myrrhas, quæ ex ſuarum arborum cortice tanquam ex oculis lacryma emanant. Et ad illud alludit, quod in 10. lib. Metam. dixit: *Eſt honor & lacrymis, ſtillatque cortice myrrha Nomen herile tenet, nulloque tacebitur ævo.*

341. *Euphrates nec miſerat thura*] Nondum ex ſinu Perſico, qui ab Oriente fœlicem Arabiam claudit, & in quem exit Euphrates, accepta inde thura ad nos miſerat: quia nondum in Italiam advecta fuerant, ut diis cremarentur. *Nec India miſerat coſtum*] Quaſi nondum ex India delata fuerat coſti fruticis radix, quæ quidem ex India & Patale Inſula Indi fluminis transfertur. De quo Plin. *Indis maximi precii radix coſti, guſtu fervens, odore eximio.*

Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis,
Et non exiguo laurus adusta sono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis,
Qui posset violas addere, dives erat.
Hic, qui nunc aperit percussi viscera tauri,
In sacris nullum culter habebat opus.
Prima Ceres avidæ gavisa est sanguine porcæ,
Ulta suas meritâ cæde nocentis opes.
Nam sata vere novo teneris lactentia sulcis
Eruta setigeræ comperit ore suis.
Sus dederat pœnas. exemplo territus hujus
Palmite debueras abstinuisse caper.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia

342. *Nec fuerant cognita fila rubri croci*] Nondum erat usus croci in Italia, nec ulla ejus notitia: quia è Cilicia nondum advehebatur in Italiam.

343. *Ara contenta herbis Sabinis*] Hoc est, sacerdotes erant contenti solis herbis Sabinis & lauro, quæ Sabina in templorum dedicatione adhibebatur semper à veteribus. Et sic dicitur à σέβομαι, quod est colo, seu veneror; quia pertinet ad cultum deorum. *Herbis contenta Sabinis*] Hæ ante thuris notitiam veteribus in usu: hinc magnus Vates in Culice: *Herbaque thuris opes priscis imitata Sabina:* neque post thuris inventionem spreta, sed frequens fuit ad suffitus. De hac Dioscorides: χρῶνται δέ τινες τοῖς φύλλοις ἀντὶ θυμιάματος.

344. *Non exiguo sono*] Nam omen inerat multæ crepitationi. *Neapol. Laurus adusta non exiguo*] Nam semper cum aduritur, magnum facit crepitum, ut refugere ab ipso igne velle videatur.

346. *Qui posset violas addere*] Sed hæ etiam postea inter flores coronarios habitæ in pretio. Vid Athenæum lib. XV. *Neapol.*

347. *Hic culter, qui nunc aperit, &c.*] Gladius quo & taurum, seu bovem mactamus, & interiora aperimus, seu nudamus.

348. *Nullum opus habebat*] Quasi, non erat eo opus in re divina, cum nullum adhuc pecus immolaretur. *Paul. Nullum culter habebat opus*] Concludit tandem, priscos illos ἀναθήματα Diis obtulisse, non θυσίας: dona, non victimas.

349. *Avida gavisa est sanguine porcæ*] Ab hoc igitur sumpsit initium rei animatæ sacrificium. Scripsit & Varro lib. II. de Re rustica: *Sus Græcè dicitur ὗς, olim thysus dictus, ab illo verbo quod dicunt θύειν, quod est immolare, &c.* Neap. *Prima Ceres avida, &c.*] Unde pecorum mactatio habuerit originem docet. Ceres prima porcam immolavit, quoniam fruges eruerat. Ea enim invenit frumenta cum antea glande vescerentur.

350. *Ulta suas opes*] Quasi vindictam sumens pro erutis frugibus, quæ erant suæ opes. *Merita cæde nocentis*] Cæde suis, quæ mactari meruerat, quia nocuerat frugibus.

351. *Sata lactentia*] Segetem tenellam & virentem, quæ lactere videbatur.

352. *Eruta vere novo*] Verno tempore. *Ore suis*] Rictu porcæ.

353. *Sus dederat pœnas, &c.*] Post mactatam Cereri porcam, mactatus est Baccho caper: quoniam vites abroserat, quæ Bacchi sunt. *Tu territus exemplo hujus*] Monitus & exterritus pœna suis, debueras dentem à vitibus continere.

355. *Aliquis prementem dentes in vite*] Quasi dentes vitibus infigentem, & eas abrodentem.

356 *Dolore*

Talia non tacito dicta dolore dedit:
Rode caper vitem: tamen hinc cum ſtabis ad aram,
In tua quod ſpargi cornua poſſit, erit.
Verba fides ſequitur: noxæ tibi deditus hoſtis.
Spargitur effuſo cornua, Bacche, mero.
Culpa ſui nocuit: nocuit quoque culpa capellæ.
Quid bos? quid placidæ commeruiſtis oves?
Flebat Ariſtæus, quod apes cum ſtirpe necatas
Viderat incœptos deſtituiſſe favos.
Cœrula quem genitrix ægre ſolata dolentem,
Addidit hæc dictis ultima verba ſuis.
Siſte puer lacrymas: Proteus tua damna levabit,
Quoque modo reparet quæ perière dabit.

Decipiat

356. *Dolore non tacito*] Dolebat enim ita ſævitum eſſe in ſacras vites. *Paul.*

357. *Rode caper vitem.*] Expreſſum hoc diſtichon ex verſiculis Eveni: Κῆρ, μὴ φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅσον ὑπὸ καρποφορήσω, Ὅσσον ἐπιστεῖται σοι τράγε θυσιάγῳ. Neapol. *Cum ſtabis ad aram*] Ubi eris immolandus. *Paul.*

358. *Spargi cornua*] Mos enim veteribus, uti ſupra caput hoſtiæ immolandæ vinum infunderetur & mola. *Neapol.*

Erit quod ſpargi poſſit]Erit]vinum,quod tibi mactando in cornua ſpargetur.Erat enim uſus vini in ſacris, & ex eo in victimarum cornua infundebatur, præterquam in ſacris Cereris.

359. *Fides ſequitur verba*] Verba illius ſortita ſunt fidem: nam vera fuere, quoniam caper mactatus eſt. *Hoſtis*]Ipſe caper. *Deditus tibi noxa*] Traditus tibi pro peccato, aut pro peccati pœna. *Paul. Noxa tibi deditus hoſtis*]. *Cum lex jubet*, inquit Feſtus, *noxa dedere, pro peccato dedi jubet.* Neapol.

361. *Nocuit quoque culpa capellæ*] Hæc ob eroſam oleam Palladi ſacrificata. *N. Culpa ſui nocuit, &c.*] Sus & caper meruêre mactari, quoniam deliquerunt: ſed quid deliquit innocens ovis? & bos, quem capitale erat mactare? *Nocuit ſui*] Porcis, quia fruges eruerat. *Capellæ*] Ob vites abroſas.

362. *Quid bos*] Meruit ſcilicet: & tamen mactatur. *Quid commeruiſtis oves*] Quaſi dicat, nihil: & tamen neque ovi, neque bovi parcitur.

363. *Flebat Ariſtæus, &c.*] Mactatio bovis initium ſumpſit ab Ariſtæo: primus enim ille pro reparandis apibus bovem immolaſſe fertur. Vide in fine Georgicorum Virgil. *Ariſtæus*] Apollinis & Cyrenes filius. *Necatas cum ſtirpe*] Apes extinctas cum omni ſpe ſobolis. *Paul. Flebat Ariſtæus*] Hic primus reperit confectionem mellis. Vide Maronem IV. Georg. *Neapol.*

364. *Deſtituiſſe incœptos favos*] Mella cum toto opere, quod incœperant, nec perfecerant. Verum *favus* eſt, ubi ceram fingunt, & mella diſponunt.

365. *Quem*] Ariſtæum. *Ægrè dolentem*] Quaſi verſaretur in magna animi ægritudine. *Genitrix*] Cyrene. Et ideo *cærula* dixit, quia aquarum nympha. *P. Cærula genitrix*] Κυρήνη. *Neapol.*

366. *Addidit hæc ultima verba dictis ſuis*] Nam pluribus verbis uſa in leniendo dolore, deinde hæc addidit.

367. *Proteus levabit*] Allevabit & rependet extinctarum apium jacturam.

368. *Et dabit*] Docebit, quo pacto reparare poſſis examina extincta. *Proteus* à multis Oceani & Tethyos filius creditus eſt, & marinorum piſcium paſtor. Hunc artium peritum, & in varias ſe formas ſolitum vertere tradiderunt. Mater igitur nunc inſtruit filium, ne mutatione formæ decipiatur: ſed cum primum invenerit, alliget.

Decipiat ne te verſis tamen ille figuris ;
Impediant geminas vincula firma manus.
Pervenit ad vatem juvenis : reſolutaque ſomno
Alligat æquorei brachia capta ſenis.
Ille ſuâ faciem transformis adulterat arte :
Mox domitus vinclis in ſua membra redit.
Oraque cœrulea tollens rorantia barba,
Qua, dixit, repares arte requiris apes ?
Obrue mactati corpus tellure juvenci :
Quod petis à nobis, obrutus ille dabit.
Juſſa facit paſtor, fervent examina putri
De bove : mille animas una necata dedit.
Poſcit ovem fatum, verbenas improba carpſit ;
Quas pia Dis ruris ferre ſolebat anus.
Quid turi ſupereſt ? animam cum ponat in aris
Lanigerumque pecus, ruricolæque boves ?

Placat

369. *Ve ſis figuris*] Variis formis in quas ſolet ſe vertere.

370. *Impediant*] Alligato utrumque Protei manum firmis nexibus.

371. *Pervenit ad vatem, &c.*] Paruit Ariſtæus matri, dormienti Proteo laqueos injecit, apprehenſum tenuit : & cum ille in varias ſe formas tranſmutaſſet, nihilque proficeret, reſumpta vera forma, docuit obruendum eſſe juvencum, & eo pacto examina reparari. *Reſolutus a ſomno*] Cum altius dormiret, & eſſet ſomno reſolutus.

372. *Et alligat*] Laqueis nectit.

373. *Et alterat arte*] Dolo & induſtria, ut juvenem exterreret, modo illam, modo alteram aſſumebat. *Aut arte*] Intelligas venefica & magica, qua forte plurimum poterat.

374. *Redit in ſua membra*] Id eſt, in propriam formam.

375. *Tollens ora rorantia*] Elevans vultum aquis madentem.

377. *Obrue corpus*] Defodias.

378. *Obrutus*] Fimo defoſſus. *Quod petis à nobis*] Hoc eſt, apes, quas petis à me tibi reparari : juvenco enim obruto renaſcentur.

379. *Paſtor*] Ariſtæus. *Examina*] Ipſa apium agmina. *Fervent*] Fervere & emicare pullulantes videntur.

380. *Dedit mille animas*] Mille viventes apes. *Paul. Una necata dedit*] Inde apud Græcos apis epithetum βυγενὴς : & vetus illud poema, fortaſſis Eumeli, dictum βουγονία, de hac Ariſtæi fabella ſuſpicantur litteratores egiſſe. *Neapol.*

381. *Poſcit ovem, &c,*] Ovis tum primum immolata eſt, cum paſcens verbenas è prato carpſit, ſacra ipſa viſa violare. verbena à Græcis ἱερόβοτάνη, id eſt, ſacra herba dicitur. Hac aræ decorabantur. *Ovis carpſit*] Paſcens abroſit prati gramina. *Improba*] Temeraria, aut imprudens. *Paul. Verbenas improba carpſit*] Quas diis offerre, frugali & antiquo more erat receptum, Vid. Dioſcor. lib. 4. cap. 61. *Neapol.*

382. *Ferre ſolebat Dis ruris*] Offerebat illis numinibus, quæ ruris tutelam ſimul & agrorum habent, ut Cereri, Baccho.

383. *Quid turi ſupereſt ? &c.*] Cum igitur & bovi, qui noſter eſt colonus : & ovi cujus lana veſtimur, non parcatur, ecquod erit illud è brutis animal, cui parci poſſit ? nullum quidem : paulatim enim licentia ad omnia mactanda tranſiit. *Quid turi*] Quaſi quod animal erit jam tutum. *Ponat animam in aris*] Mactetur ad aram.

384. *Pecus lanigerum*] Ovis lanata.

385. *Pla-*

385 Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda deo.
Quæ ſemel eſt triplici pro virgine cæſa Dianæ,
Nunc quoque, pro nulla virgine, cerva cadit.
Exta canum Triviæ vidi libare Sapæos,
390 Et quicumque tuas accolit, Hæme, nives.
Cæditur & rigido cuſtodi ruris aſellus,
Cauſſa pudenda quidem, ſed tamen apta, deo.

Feſta

385. *Placat equo Perſis, &c.*] Perſæ equum ſoli mactant ea ratione, quod celerrimo numini, celeris ſit offerenda victima. *Perſis*] Ipſa Perſarum regio, vel ipſi Perſæ. *Placat Hyperiona cinctum*] Placat Solem ipſum radiantem. *Equo*] Immolatione equi. *Paul. Placat equo Perſis*] Et aliæ pleræque gentes, ut populi Armeniæ.

387. *Pro virgine*] Iphigenia. *Cerva datur*] Si non erat, hujus ſuccedanea ovis; quam dixere *cervariam*. Neapol. *Quod ſemel, &c.*] Dianæ cerva immolatur, id inde ſumpſit initium: Cum Agamemnon in Aulide Dianæ cervam ignarus occidiſſet, & ob id Diana ventos ſuſtuliſſet, habitum eſt à reſponſo, ut Agamemnonio ſanguine, hoc eſt, virgine filia dea placaretur. Iphigeniam igitur ex Clytæmneſtra Agamemnonis filiam Ulyſſes dolo à matre tradendam Achilli matrimonio fingens, extorſit: quæ cum immolanda eſſet, miſeratione deorum oblata eſt cerva, quæ pro ipſa virgine immolata. Iphigenia in Tauricam delata, atque ibi Dianæ ſacris præfecta. *Quod cerva caſa ſemel*] Quod Dianæ tricipiti cervam ſemel immolaverunt. *Pro virgine*] Loco Iphigeniæ virginis.

388. *Pro nulla virgine*] Quemadmodum tunc pro Iphigenia. *Diana triplici*] Quia trivia & triceps, ut ſuperius diximus.

389. *Exta canum vidi, &c.*] Quia venatrix dea canibus delectatur. Vel quia Thraces aliqui Triviam cane immolant: nec ab re, cum Triviæ canes aſſignentur. *Paul. Exta canum Trivia*] Ideo κυνοφαγὴς διὰ Lycophroni nuncupatur, cauſa eſt, quod Deam, teſte magno Euſtathio, τῶν νυκτερινῶν φόβων αἴτιον νομ. veteres putarint & omnium ſpectrorum. Ea per canis latratum credita eiſdem evaneſcere. *Libare Sapæos*] Hi Thraciæ populi. Herodot. lib. vii. Ἔθνεα δὲ Θρηίκων, ὅτι ἀν τῆς χώρης ὁδὸν ἐπεποίητο, τοσάδε· Παίτοι, Κικόνες, Βίστονες, Σαπαῖοι, Δερσαῖοι, Ἠδωνοὶ, Σάτραι. Hos Sapæos, ab Homero Sintas vocatos, auctor eſt Strabo, lib. x. *Exta canum*] Mactare canes ipſos.

390. *Accolit, Hæme, nives*] Alludit, haud dubiè, ad antrum Hecates in Thracia, quod Ζύριον appellatum, de quo Stephanus: Ζύριον πόλις, καὶ ἄντρον Ἑκάτης ἐν Θρᾴκῃ. Ibi ſolitos præcipue canes Hecate immolari, teſtis fidus Suidas. *Neapol. Et, ô Hæme, quicumque accolit tuas nives*] Quaſi omnes tuas accolas, & tua nivoſa ſaxa colentes. Æmus enim mons Thraciæ. *Trivia*] Proſerpinæ.

391. *Aſellus caditur*] Feritur, hoc eſt, Priapo, qui hortorum & vinearum cuſtos dicitur: multi fuiſſe civem Lampſacenum aſſerunt, qui ob virilis membri magnitudinem civitate ejectus ſit: ſed demum meruiſſe ibi divinos honores. Huic deo ſacra cum riſu & ludo fiunt. *Paul. Cuſtodi aſellus*] Priapus hic; ſub cujus tutela priſca rura erant. merces obvia; propterea quidam nomine Perſpectus hæc illi.

Villicus arari quondam nunc cultor agelli,
Hæc tibi Perſi aſſus templa Priape dico:
Pro quibus officiis ſi fas eſt, ſancte paciſcor.
Aſſiduus cuſtos ruris ut eſſe velis;
Improbus ut ſi quis noſtrum violabit agellum,
Hunc tu, ſed tento, ſcis puto quod ſequitur. Neapol.

392. *Cauſſa pudenda quidem*] Origo hujus ſacrificii non ſine pudore eſſet referenda. *Sed tamen apta deo*] Quaſi conveniens Priapi numini.

393. *Feſta*

Feſta corymbiferi celebrabat Græcia Bacchi,
Tertia quæ ſolito tempore bruma refert.
Di quoque cultores in idem venêre Lyæi,
Et quicumque jocis non alienus erat:
Panes, & in Venerem Satyrorum prona juventus,
Quæque colunt amnes ſolaque rura deæ.
Venerat & ſenior pando Silenus aſello,
Quique rubro pavidas inguine terret aves.
Dulcia qui dignum nemus in convivia nacti,
Gramine veſtitis accubuêre toris.
Vina dabat Liber: tulerat ſibi quiſque coronam.
Miſcendas parce rivus agebat aquas.

Naïdes,

393. *Feſta corymbiferi, &c.*] Fabulam aggreditur, unde ſacrum hoc habuerit originem, referrque cauſam ad Priapi amores. *Feſta Bacchi corymbiferi*] Feſta ipſius Liberi patris hedera coronati, nam *corymbus* hederæ fructus eſt, & hederâ ipſe Liber coronatus eſt.

394. *Tertia bruma*] Tertius annus à brumâ ſumens initium. *Refert ſolito tempore*] Tertio quoque anno, & brumali tempore. Inde feſta ipſa dicta ſunt *Trieterica*: ſic dicta, quia triennalia, quæ tertio quoque anno ſumptuoſiora quotidianis orgiis agitabantur. Inde *Trieterides* à Græcis inſtitutæ, à triennio, quo peregrinatus eſt Bacchus, cum in patriam victor rediret. *Paul. Quæ ſolito tempore bruma refert*] Intelligit Τριετηρίδας, Bacchi feſtum. Vide Herodot. lib. iv. de Gelono Budinorum oppido. Hic vero noſter locutus eſt ex ſententia multorum, cum vere ſacrum illud fuerit annuum. *Trieteris* enim nihil aliud erat quam tres anni quadrimeſtres, ſeu duo ſemeſtres. Cenſorin. cap. xix. *Neapol.*

395. *Di quoque cultores, &c.*] Cum in Græcia feſta ea celebrarentur, Græca numina commemorat, quæ eo convenerunt. *Dii quoque cultores*] Dii Lycæum Arcadiæ montem incolunt, ubi eſt ſedes Panos Lycæi: à quo Lycæa ludicra, quæ nos *Lupercalia* dicimus; de quibus latius in ſecundo. *Venere in idem*] Ad eadem feſta, aut ſimul illuc convenere. *Quicunque non erat loci alienus*] Cæteri dii, quibus eo loco non erant alieni.

397. *Panes*] Etiam venere, hoc eſt, Fauni ipſi; nam Pan & Faunus idem eſt. *Et juventus Satyrorum*] Et à Satyris *ſatyrion* herba, quæ concitatricem vim habet libidinis: Satyri Bacchi comites ſunt.

398. *Et dea*] Venere etiam ad ſacra Trieterica nymphæ fluviorum & fontium.

399. *Venerat & ſenior, &c.*] Et venit etiam Silenus, quem nutricium fuiſſe Bacchi dicunt, & eum ſemper ſecutum, qui plurimum Dionyſio ad virtutem ac gloriam, reſque bellicas profuit. *Pando*] Hoc eſt, curvo. *Aſello*] Aſellus enim erat ejus vector.

400. *Et qui terret aves*] Et Priapus quoque venerat, vinearum & hortorum cuſtos: unde exterritas aves pellit.

401. *Dulcia qui dignum, &c.*] Dii quos retulimus, nacti & loci, & temporis opportunitatem, ad celebre convivium coivêre, gramineiſque toris accubuêre. *In dulcia convivia*] Et ob id magis dulcia, quia dii cum deabus. *Nemus dignum*] Conveniens his numinibus. *Accubuêre*] Conſedentes cœnavêre.

403. *Vina dabat Liber, &c.*] Bacchus vinum ſuggerebat. *Coronam*] Intellige eos coronatos bibiſſe.

404. *Rivus agebat large*] Quaſi ſuggerebat rivulus aquas, quæ vino immiſcerentur, ad evitandam ebrietatem. *Paul. Miſcendas parce*] Alii leg. *large*. In Græco convivio viſum noſtro meminiſſe Græcanicæ temperaturæ: de qua Heſychius, τὸ πάλαι, inquit, ἐκ τριῶν τρία ὕδατος καμβάτεν, τὸ δὲ [illegible] ταρτὸν οἶνον. Sed certius, nulla in fuiſſe com-

Naïades, effuſis aliæ ſine pectinis uſu,
Pars aderant poſitis arte manuque comis;
Illa ſuper ſuras tunicam collecta miniſtrat:
Altera diſſuto pectus aperta ſinu.
Exſerit hæc humerum: veſtem trahit illa per herbas.
Impediunt teneros vincula nulla pedes.
Hinc aliæ Satyris incendia mitia præbent:
Pars tibi, qui pinu tempora nexa geris.
Te quoque, inextinctæ Silene libidinis, urunt.
Nequitia eſt, quæ te non ſinit eſſe ſenem.
At ruber hortorum decus & tutela Priapus,
Omnibus ex illis Lotide captus erat.
Hanc cupit, hanc optat, ſola ſuſpirat in illa:

Signa-

communem omnibus Græcis certam χρᾶσιν. Si alias mixturas, lege Athenæum lib. xi. à cap. vi. ad ix. *Neap.*

405. *Naiades, effuſis, &c.*] Aderant, ut diximus, Nymphæ, diis accumbentibus miniſtrantes. *Naiades*] Deæ fluviorum. *Alia effuſis comis*] Aliæ crinibus paſſis & impexis.

406. *Comis poſitis*] Pro compoſitis.

407. *Collecta tunicam*] Habens veſtem collectam. *Super ſuras*] Super crura. *Paul. Illa ſuper ſuras tunicam collecta.*] Hoc fere illud, ἐκραγίννων χλανίδων ἑφεῖτο μοῖρα. Iſte priſcus Nympharum cultus, qualem nunc ſpectamus in earum picturis, quibus brachia detecta & femora apparent. Ejuſque veſtis originem inde deductam ſuſpicatur vir magnus, quod pernitia capreas pelles ad lumbos utrimque cinxerint, nodatas corio crurum anteriorum: merito igitur φαινομηρίδες appellatæ. Quo etiam nomine dictæ mulieres Lacænæ, quod incedentes femora retegerent: ſed eis id in uſu, quia tunicarum pinnæ, tunc non aſſui ſolitæ, explicabantur.

408. *Diſſuto ſinu*] Λελυμένης ὑπωμίδος, ſoluta faſcia pectorali. Hæc ſupra ſubuculam aptabatur. Apuleius 11. Mileſiar. *Ipſa linea tunica mundule amicta, & ruſſea faſciola tranſitante, altiuſcule ſub ipſas papillas ſuccincta.* Fuit illa fœminis uſui, ut graciles fierent: ut ventrale ad cohibendum ventris tumorem. Gloſſæ, *ventrale*, κοιλιόδεσμος. Neap. *Aperta pectus*] Habens nudatum pectus. *Diſſuto ſinu*] Ob diſſutam veſtem.

409. *Exſerit hæc humerum*] Denudat alia candentes humeros. Et erant hæc omnia libidinis incitamenta.

410. *Impediunt*] Alligant, omnes enim ſine calceis incedebant. *Paul. Vincula nulla pedes*] *Vincula* pro calceis, tritiſſimum. Vates: *unum exuta pedem vincla.* Et unde Græcis ὑπόδημα, niſi ἀπὸ τῆ ὑποδεῖσθαι; & aliud calcei genus καμψίλιον, à κάμπτειν, quod corrigiis & loris reticulatim vinciretur? de quo Heſychius: Καμψίλια, κατὰ, κατίσχια, κατάδια, κυνηγετικὰ ὡς γύργασοι, ἢ ὑποδήματα ποικίλα. Et illud dictum; καμπάγιον, noſtris *campagus*: cujus etymon evidens ἀπὸ τῶν κάμπτειν. Vide Gloſſar. Gr. barb. I. Meurſii. Et ex his collige antiquos calceis, ex eo quod vincirentur, plerumque nomina dediſſe. *Neapol.*

411. *Incendia mitia*] Incutiunt dulces amoris ac libidinis ſtimulos.

412. *Tibi*] O Pan. Ex periphraſi Pana oſtendit: nam pinu coronatur.

413. *Libidinis*] Libidinis inſatiabilis & quæ nullo tempore extingui poſſit.

414. *Nequitia*] Eſt ipſa laſcivia, & ſunt blandi geſtus, quibus ad libidinem homines magis incenduntur.

416. *Ex omnibus illis*] Ex omni illarum numero. *Lotidé*] Lotidos amore.

Signaque dat nutu: ſollicitatque notis.
Faſtus ineſt pulchris, ſequiturque ſuperbia formam.
Irriſum vultu deſpicit illa ſuo.
Nox erat: & vino ſomnum faciente, jacebant
Corpora diverſis victa ſopore locis.
Lotis in herboſa ſub acernis ultima ramis,
Sicut erat luſu feſſa, quievit humo.
Surgit amans: animamque tenens, veſtigia furtim
Suſpenſo digitis fert taciturna gradu.
Ut tetigit niveæ ſecreta cubilia Nymphæ:
Ipſe ſui flatus ne ſonet aura, cavet.
Et jam finitima corpus librabat in herba:
Illa tamen multi plena ſoporis erat.
Gaudet: & à pedibus tracto velamine, vota
Ad ſua fœlici cœperat ire via.
Ecce rudens rauco Sileni vector aſellus,
Intempeſtivos edidit ore ſonos.
Territa conſurgit Nymphe: manibuſque Priapum
Rejicit; & fugiens concitat omne nemus.

At

418. *Et dat ſigna nutu*] Nutibus amorem indicat. *Et ſollicitat notis*] Stimulat & angit illam omnibus ſignis.

419. *Faſtus*] Superbia. *Ineſt pulchris*] Eſt in formoſis. *Paul. Faſtus ineſt pulchris*] Huc pertinent illa Petronii: *Quia noſti venerem tuam, ſuperbiam captas, vendiſque amplexus commodius.* Hinc alter vocat; *faſtoſas mœchas*, in ſuis Epigrammatis: *Ad noctturna jaces faſtoſa limina mœcha. Neapol.*

420. *Deſpicit*] Contemnit. *Irriſum*] Quem irridet. *Suo vultu*] Oculis & Ore.

421. *Nox erat, &c.*] Jam erat nox, & quieti ſeſe omnes tradidere. At ultimo loco requievit Lotis, non mero victa, ſed luſu feſſa. Et ex hoc duplex Priapo datur explendæ voluptatis occaſio, & nocturnæ tenebræ, & corpora dormientia.

423. *In herboſa humo*] In tellure graminea. *Sub ramis*] Sub acere arbore.

425. *Surgit amans*] Nactus hanc noctis & ſoporis occaſionem Priapus ſurrexit; & ſpiritum comprimens, ſine ullo ſtrepitu ad eam delatus, ſe quoque humi ſternens, elevata veſte, dormientem adortus eſt. *Paul. Animamque tenens*] Oris halitum. *Suſpenſo digitu gradu*] Primo pede metuens audiri. Sic, *ſuſpendere vota Catullo*, apud Catullum, eſt vix labra movere, eamdem ob cauſſam. *Neapol.*

427. *Cubilia ſecreta*] Ab aliis ſemote. *Nymphæ niveæ*] Candentis & pulchræ.

428. *Ne ſonet aura ſui flatus*] Cavet, ne ſpirando & reſpirando ſpiritus ejus ſentiatur, & dormientem excitet.

429. *Et jam librabat &c.*] Quia leviter ſua vi ſeipſum ſuſtinens, apud illam ſeſe collocabat.

431. *Gaudet*] Amans, quod illa ita dormiret.

432. *Cœperat ire ad ſua vota*] Ad ea quæ potiſſimum cupiebat.

433. *Ecce rudens rauco, &c.*] Erat jam voti compos Priapus, ſed inopinato caſu ab incœpto revocatur: rudens enim aſellus Sileni nympham excitavit. *Rudens*] Ragitum emittens. *Rudere* enim aſinorum eſt.

436. *Et fugiens concitat omne nemus*] Commoveat clamore omnes qui in nemore erant.

437. *Pa-*

At deus obſcœna minimum quoque parte paratus,
Omnibus ad lunæ lumina riſus erat.
Morte dedit pœnas autor clamoris: & hæc eſt
Helleſpontiaco victima grata deo.
Intactæ fueratis aves ſolatia ruris,
Aſſuetum ſylvis, innocuumque genus;
Quæ facitis nidos, quæ plumis ova fovetis,
Et facili dulces editis ore modos.
Sed nihil iſta juvant, quia linguæ crimen habetis,
Dique putant mentes vos aperire ſuas.
Nec tamen id falſum; nam dis, ut proxima quæque,
Nunc penna veras, nunc datis ore notas.
Tuta diu volucrum proles, tum denique cæſa eſt,
Juveruntque deos indicis exta ſui.
Ergo ſæpe ſuo conjux abducta marito,
Uritur in calidis alba columba focis. Nec

437. *Paratus obſcœna parte*] Hoc eſt, ipſo erecto inguine. *Ad lumina lunæ*] Cum per lucem lunæ videre omnes poſſent.

439. *Morte dedit pœnas, &c.*] Ob illud facinus, quia nympham excitarat, aſellus mactatus eſt: & inde Lampſaceni acceperè morem aſini Priapo mactandi. *Autor clamoris*] Aſellus Sileni rudens. *Victima*] Aſini immolatio.

440. *Deo Helleſpontiaco*] Priapo Lampſaceno, à Lampſaco urbe, quæ eſt in littore Helleſponti, in ora Aſiatica, Priapi patria. *Helleſpontus* dictus ab occaſu Helles, ſororis Phryxi. *Paul. Helleſpontiaco Deo*] A patria hoc epithetum: Ὁρμένιος (ſic illum vocat Euphronius Priapejorum ſcriptor, in Strabone lib. VIII.) & alia, à locis ubi cultus. *Neapol.*

441. *Intacta fueratis aves, &c.*] Sævitum jam fuerat in quadrupedes, ſed adhuc humanum genus ab avibus manum continuerat, quod & ruricolis magno eſſent ſolatio, & in ſylvis verſatæ nocerent nemini, quæ nidificant, replentque omnia cantu ſuaviſſimo, in quo non mediocris eſt earum commendatio, & ab innocentia, & ab induſtria, & à voluptate, quam omnibus conferunt.

443. *Et fovetis ova*] Incubatis ovis.

444. *Dulces ſonos*] Cantus ſuaves.

445. *Quia habetis crimen linguæ*] Quia eſtis paulo loquaciores.

446. *Et dii putant, &c.*] Putant dii, vos arcana eorum conſilia referre, quæ divina mente conceperint.

447. *Nam ut quæque proxima diis*] Ut quæq; veſtrum eſt diis propinquior, quam cæteræ animantes. *Paul. Ut proxima quæque*] E veteri legas, *ut proxima quæque eſt*, clarius.

448. *Nunc datis ore notas*] Quis non meminit in augurali diſciplina aves fuiſſe oſcines & præpetes? quæ ſic dictæ, quia ore & penna auſpicium facerent. *Neapol. Nunc*] Vera futurorum ſigna. *Penna*] Volatu. *Nunc ore*] Garritu. Sic auſpicium & garritum expreſſit. Sunt autem aves aut præpetes, aut oſcines: illæ volatu, hæ cantu futura prænunciant.

449. *Tunc denique cæſa*] Tunc tandem immolata, cum ab ipſis auguria caperè cœpiſſent homines.

450. *Exta ſui*] Inteſtina avium, deorum mentes indicantium. *Juverunt*] Quia placuit immolatio avium.

451. *Ergo ſæpe, &c.*] Ob eam cauſam, quam retulimus, immolata quoque eſt columba. *Conjux*] Quæ velut conjugii lege mari jungitur. *Suo marito*] A ſuo columbo.

452. *Uritur*] Et immolatur, & crematur. *In calidis focis*] Ad ignem. *Paul. Alba columba ſocii*] Ad aras Veneris hæc jugulata.

Nec defenſa juvant Capitolia, quo minus anſer
Det jecur in lances, Inache laute, tuas.
Nocte deæ noctis criſtatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.
Interea Delphin clarum ſuper æquora ſidus
Tollitur: & patriis exſerit ora vadis.
Poſtera lux hyemem medio diſcrimine ſignat:
Æquaque præteritæ, quæ ſuperabit, erit.
Proxima proſpiciet Tithono nupta relicto
Arcadiæ

453. *Nec defenſa juvant Capitolia*] Scitum iſtud, quo auxilio tum urbs à Gallis liberata, in illius rei memoriam de ſuo ævo, inquit Plutarchus, in libello περὶ τῆς Ῥωμαίων τύχης: Πομπεύει δὲ μέχρι νῦν ἐπὶ μνήμῃ τῶν τότε συμπλωμάτων ἡ τύχη, κύων μὲν ἀπασχυρωμένος, χὴν δὲ μάλα σεμνῶς ἐπὶ τρωμαῆς πολυτελῶς καὶ φορείᾳ καθήμενος. Tamen ejuſdem exta dat Iſidi in ſacris. *Neapol. Nec defenſa juvant*] Inacho anſer mactatur: nec eum tutatur ratio illius vigiliæ, qua Capitolium tutatus eſt. Noctu Senonibus Gallis Capitolium aſcendentibus, oppreſſis ſomno cuſtodibus, & ipſis canibus, cum clangorem edidiſſet, Romanis excitatis, pulſi ſunt hoſtes.

454. *Inache laute*] Deliciose. *Det jecur in lances tuas*] Det jecur in tuis ſacris epulandum. Inachus rex Argivorum fuit, huic fuere filii Phoroneus & Io, quorum alter Ægyptiis primi leges tradidiſſe feruntur. Poeta *lautum* appellavit Inachum, quod in ejus ſacris jecur anſeris offertur, quo nihil eſt inter epulas melius.

455. *Nocte deæ noctis, &c.*] Cum multa ſint in gallo laudabilia, non proſunt tamen: nam deæ noctis immolatur ea ratione, quod excubet, & diem nunciet. *Ales criſtatus*] Ipſe gallus. *Caditur*] Immolatur. *Deæ*] Ipſi nocti. Nam & nocturnum tempus, & ipſius temporis dea eodem nomine nuncupantur. *Paul.*

456. *Provocat ore diem*] Diis igitur id animal gratum erat in focis, quod aliqua ex cauſſa odiſſent.

457. *Interea Delphin*] Ipſa luce Agonali, hoc eſt, V. Idus oritur Delphin ἡλιακῶς; id Cæſari apud Plin. eſt pridie Nonas, lib. XVIII. cap. XXVI. *Neap. Interea*] Nimis evagatus videtur in referendis victimarum rationibus. Jam redit ad inſtitutum, ad ſigna, & ſtellas ipſas, afferens exoriri jam Delphinum. *Paul.*

458. *Tollitur*] Attollitur ſuper ipſa maria, quia oritur. *Et exerit ora vadis*] Aperit & elevat. *Patriis*] Ab ipſo mari patrio.

459. *Poſtera lux hyemem, &c.*] Quarto Idus Januarias, hoc eſt, 10. die Januarii media pars hyemis erit exacta. *Poſtera lux*] Sequens dies. *Signat hyemem, &c.*] Hoc eſt, diſterminat ipſam hyemem bipartitam. *Paul. Medio diſcrimine ſignat*] Parum certo oculo hoc diſcerno, & ambigo de vero; nam noſter quarto Idus Januarias mediam hyemis partem hic facit: ac ſic Columella de Re ruſtica, lib. XI. *Tertio Nonas Januarii Cancer occidit, tempeſtas varia; pridie Nonas Januarii media hyems, Auſter multus, interdum pluvia.* Idem cenſet tabula illa edita ſub nomine Ptolemæi. *Neapol.*

460. *Quæ ſuperabit*] Pars illa hyemis, quæ adhuc reſtat. *Eſt æqua præteritæ*] Quia tantum præteriit, quantum ſupererit.

461. *Proxima proſpiciet Tithono, &c.*] Tertio Idus Januarias feſtum erit Carmentis nymphæ fatidicæ, matris Evandri, de qua paulo poſt. *Proxima aurora*] Id eſt, dies ſequens. *Relicto Tithono*] Quem fingunt ejus fuiſſe virum. *Paul. Proxima proſpiciet*] III. Idus celebrabantur publice Carmentalia (feriæ erant ſtativæ) ſed in qua urbis parte? ego opinor ſub Capitolio apud Carmentalem portam

Arcadiæ ſacrum pontificale deæ.
Te quoque lux eadem, Turni ſoror, æde recepit,
Hic ubi virginea campus obitur aqua.
Unde petam cauſſas horum, moremque ſacrorum?
Diriget in medio quis mea vela freto?
Ipſa mone, quæ nomen habes à carmine ductum,
Propoſitoque fave, ne tuus erret honor.
Orta prior Luna (de ſe ſi creditur ipſi)

A ma-

portam; ibi Carmentæ ara fuit antiquitus conſtituta. Vide Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 1. Antiq. Καὶ γὰρ Εὐάνδρῳ θυσίας. In Calendario Conſtantini notatur hoc feſtum, DIES CARMENTARIORUM. *Neapol.*

462. *Sacrum pontificale*] Quod Pontifices faciunt; majoriſque erat venerationis pontificale, quam aliorum ſacerdotum. *Deæ*] Carmentis, quæ ex Arcadia in Italiam cum Evandro filio venit.

463. *Te quoque lux eadem, &c.*] Eodem die, hoc eſt, tertio Idus Januarias, dedicatum eſt templum Juturnæ nymphæ, ſororis Turni, in campo Martio, apud ductum aquæ virginis. *Paul. Æde recepit*] Ad aquam virginem: conſentiunt Urbis antiqui topographi, Victor & Rufus; & Frontinus de aquæ ductibus Romanis de hac eadem capiendus in his: *Ædicula fonti appoſita hanc virginem pictura oſtendit.* Iſta ea fortaſſis eſt, à qua nomen aquæ inditum. *Neapol. Eadem lux*] Idem dies, quo erunt feſta Carmentis.

464. *Campus*] Martius. *Obitur*] Circumfunditur. *Aqua virginea*] Hanc aquam M. Agrippa, in urbem perduxit, in agro Lucullano collectam. *Virgo* appellata eſt, quod quærentibus aquam militibus puella virguncula quædam venas monſtravit, quas ſequuti qui foderant, ingentem aquæ modum invenerunt.

465. *Unde petam cauſſas horum? &c.*] Dubitare videtur Poëta, unde petat rationem Carmentaliorum, cum ſint ab hominum memoria remota. Carmentis igitur nymphæ opem implorat. *Et morem*] Conſuetudinem: ſeu unde ipſe mos habuerit initium. *Paul. Unde petam cauſſas horum*] Num feſti Carmentalis initia inquirit. Unum vero filere non poſſum: mallem, indignanti omni codice, verſiculos ſuperiores de Juturnæ ædiculâ ante illos intrudere. *Proxima proſpiciet*; tu perpendas. *Neap.*

466. *Quis diriget mea vela*] Per tranſlationem à nautis: id eſt, quis diriget ingenium meum. *In medio freto*] Quaſi in tam ardua materia, & quæ mihi incognita. *Paul.*

467. *Ipſa mone*] Nicoſtratam invocat, Evandri matrem: quæ quia carminibus vaticinabatur, *Carmentis* dicta eſt, ut quibuſdam placet. Vel dicta *Carmentis* creditur, quaſi mente carens, quod ſpiritu afflata furere, atque inſanire videretur. *Ant. A carmine ductum*] Haud dubiè à noſtris patribus Carmenta à carmine dicta. Vide Plutarch. ἐν αἰτίοις: τὴν δὲ Καρμέντην οἱ μὲν Εὐάνδρου μητέρα, &c. Nec aliud ſibi vult numiſma illud, quod Carmentam revelat in hunc modum: caput habet muliebre vegetâ formâ, comam inceptam, à fronte & à facie rejectam, premit corona ex fabarum foliis atque folliculis apte contexta; cincinnis ſub eadem per collum defluentibus, citharam appoſitam reſpicit, ut vatem dicas, & nummus cuſus fuit Q. Fabio Maximo, ut ex inſcripto nomine perſpicio: nec fortuito huic mater Evandri à dorſo denarii inciſa; nam à Carmenta illuſtrem Fabiorum familiam & ſunt qui deducant. *Mone*] Inſtrue me tu. *Ipſa*] Quæ habes nomen *ductum*, pro deductum; hoc eſt, derivatum. *A carmine*] Quæ à carmine *Carmentis* appellaris.

468. *Et fave propoſito*] Qui propoſui ſcribere originem tuæ celebritatis.

469. *Orta prior Luna*] Sic illa commenta eſt. Vide Clem. Alexandr. in admonitione ad G[illegible] fuit infa-

P[illegible] nia

A magno Tellus Arcade nomen habet.
Hinc fuit Evander; qui, quamquam clarus utroque,
Nobilior ſacræ ſanguine matris erat.
Quæ, ſimul æthereos animo conceperat ignes;
Ore dabat pleno carmina vera dei.
Dixerat hæc nato motus inſtare, ſibique,
Multaque præterea tempore nacta fidem.
Nam juvenis, nimium vera cum matre, fugatus
Deſerit Arcadiam, Parrhaſiumque larem.
Cui genitrix flenti, Fortuna viriliter, inquit,
Siſte, precor, lacrymas, iſta ferenda tibi.
Sic erat in fatis: nec te tua culpa fugavit;

Sed

nia Athenienſium, qui ſe ἀυτόχθονας credidere: hi vero, ut in hujus rei indicium, cicadas aureas in capillorum cincinnis geſtabant, teſte Apoſtolio in Proverbio, τεττιγων ἀναμιγοι, Centur. XVIII. Arcadibus lunulæ in calceis uſui fuere, Romanis poſtea ad hanc nobilitatem reſpicientibus. *Neapol.* *Orta prior luna, &c.*] Arcades olim auſi ſunt *Antelunares* ſe dicere, & ſolos ſe nobiles prædicare: unde à Græcis προσέληνοι vocantur. Ex quo factum putatur, ut apud Romanos qui nobilitate præſtabant, lunulas in calceis ferrent. Mos autem fuit Græciæ populis, in alienas ire terras, quas fertiles eſſe cognoverant, & eas habitare, pulſis veteribus incolis. Sed quoniam ſoli Arcades ob ſterilitatem agrorum pulſi non ſunt, ideo ſe vetuſtate ac nobilitate cæteris præſtare dixerunt. *Orta prior luna*] Quæ prius nata eſt quam luna. *Si creditur illi de ſe*] Si cui eſt adhibenda fides de rebus ſuis referenti.

470. *Habet nomen à magno Arcade*] denominatur Arcadia ab Arcade Jovis & Themiſtus, aut Caliſtus filio. Verum Arcadia nominata eſt aliquando *Pelaſgia*, aliquando *Parrhaſia*, aliquando *Lyaconia*.

472. *Erat tamen nobilior ſanguine*] Nobilior erat materno genere; quoniam illa nympha, & ſacra, & fatidica erat, & honores divinos aſſequuta.

473. *Conceperat animo æthereos ignes*] Cœleſtes & divinos ſpiritus; cum altius cogitatione in cœlum elata ſtatuiſſet divinam [illegible], ut vaticinantes ſolent. *Paul.* *Æthereos ignes*] Ignis æthereus, ἡ μανία, ὁ ἐνθουσιασμός: qui eiſdem eſt φοῖβος. Heſych. φοιβάται, ἔνθεοι ποιήται. *Neapol.*

474. *Dabat vera carmina*] Dabat reſponſa & oracula carminibus. *Ore pleno dei*] Pleno numinis Apollinei.

475. *Dixerat hæc nato, &c.*] Inter cætera quæ illa vera prædixerat, hoc Evandro filio dixit, imminere ſibi tumultus & ſeditionem in populo, qua ratione eſſet à patria fugiendum, quod exitu comprobatum. Sed ſolabatur cum parens, quod in Italia eſſet ſedem habiturus, quo ille parata claſſe venit.

476. *Nacta fidem tempore*] Quæ fortita ſunt effectum, nam fuere poſtea vera.

477. *Nam juvenis*] Evander. *Fugatus*] Diſſentione & ſeditione civili. P. *Nimium vera cum matre*] Pari ſignificatione dixit in Epiſtolis; *Ah nimium miſera vates mihi vera fuiſti!* Neap.

478. *Deſerit Arcadiam*] Patriam regionem. *Et larem*] Domum propriam. *Parrhaſium*] Arcadicum. Nam ut oſtendimus, *Parrhaſia* dicta eſt *Arcadia*.

479. *Cui*] Evandro. *Genitrix*] Carmentis mater inquit. *Iſta fortuna*] Quæ eſt tibi nunc adverſa. *Paul.* *Cui genitrix flenti, &c.*] Propoſitio eſt, in qua mater filium admonet, dicens, fortunam adverſam magno ac virili eſſe animo tolerandam. *Aut.*

481. *Nec tua culpa fugavit te*] Quaſi ex ſine crimine, non ergo tuum crimen te pepulit.

482. *Sed*

Sed Deus; offenſo pulſus es urbe Deo.
Non meriti pœnam pateris, ſed Numinis iram.
Eſt aliquid magnis crimen abeſſe malis.
Conſcia mens ut cuique ſua eſt, ita concipit intra
Pectora pro facto ſpemque metumque ſuo.
Nec tamen, ut primus, mœres mala talia paſſus:
Obruit ingentes iſta procella viros.
Paſſus idem Tyriis qui quondam pulſus ab oris
Cadmus, in Aonia conſtitit exul humo.
Paſſus idem Tydeus, & idem Pagaſeus Iaſon,

Et

462. *Sed deus*] Ipſa dei voluntas. Quod etiam ad fatum potes referre. *Pulſus es urbe*] Pallantio patria. *Deo offenſo*] Irato domui & tibi.

483. *Nec pateris pœnam meriti*] Quaſi non plecteris exilio ob tuum delictum. *Sed iram numinis*] Pateris, quod habes iratum numen. *Paul. Sed numinis iram*] Abſit hæc in Deum contumelia.

484. *Crimen abeſſe malis*] Ita eſt; magnum pati ſine culpa. Bene nunc, Ovidi, locutus, ſed alibi ἀνόσιος, & vulgi ſenſu; tu idem es, qui alis, *Leniter, ex merito quicquid patiare ferendum eſt, &c.* Hæc parum Philoſophiam redolent: aliter Tullius in Epiſt. lib. VI. ad Torquatum; *Nec enim dum ero, angar ulla re, cum omni vacem culpa.* Et lib. XII. ad Cornificium; *Quicquid acciderit, à quo mea culpa abſit, animo forti feram.* Hæc fore communis ſapientis vox eſt. *N. A tantis malis*] Quæ potius in fata, aut in deos referantur, quam in merita hominum.

485. *Ut ſua mens eſt cuique conſcia*] Quaſi ut unuſquiſque eſt conſcius ſui ipſius, ſive ſceleris, ſive officii. *Ita concipit intra pectora*] In animo ſuo. *P. Ita concipit intra*] Pura puta veritas. *Neapol.*

486. *Pro facto ſuo*] Pro eo quod deliquit, ſive volens, ſive inſcius. *Et ſpem*] Futurorum commodorum. *Et metum*] Incommodorum.

487. *Nec tamen, ut primus, &c.*] Ab exemplis quoque movet. Non eum eſſe primum, inquit, qui talia mala pertulerit, ſed heroës multi. *Mœres*] Doles, aut lugeas. *P. Nec tamen, ut primus*] Solatur ultimo natum ab exemplis: nam alieni caſus reputatio mœſtum animum allevat. Vide omnino aurei carminis fragmentum apud Athenæum ſublimem lib. vi. incipit; Ὦ τὰν ἄκυτον νόν τί σοι μέγαν κτέαν. Neap.

488. *Iſta procella*] Calamitoſum exilium. *Ingentes*] Quaſi magnos heroas.

489. *Paſſus idem eſt, &c.*] Arguit nunc ab exemplo Cadmi Agenoris Phœniciæ regis filii, qui miſſus ad inquirendam Europam ab Jove raptam, duram à patre legem accepit, niſi inventa illa, in patriam ne rediret. *Ex quo exul*] In Bœotia ſedem ſibi delegit, Thebaſque condidit. *Qui quondam pulſus*] A patre ſcilicet. *Ab oris Tyriis*] A Phœnicia, ſeu à Tyro clariſſima Phœniciæ urbe. *Paul. Paſſus idem Tyriis*] Orditur à Cadmo, qui raptam ſororem Europam ab Agenore patre quærere coactus, prohibito ei reditu in Phœniciam, ni unà cum ſorore rediret. Vide Ovid. 3. Met. Hanc raptam à Jove fabulantur Mythici, ſed vere piratæ aliquot Cretenſes fuere. Vide Herodot. lib 1.

490. *In Aonia conſtitit*] Nam deſperata ſororis ſalute, Bœotiam habitare decrevit: ea ab antiquis incolis Aonibus ſic dicta. Vide Strabonem lib. IX. *Neapol. In humo Aonia*] In Bœotia.

491. *Paſſus idem Tydeus, &c.*] Nunc ab exemplo Tydei & Jaſonis, qui à patriis quoque ſedibus exularunt. *Tydeus*] Oenei regis Calydoniæ filius. *Paſſus idem*] Hoc eſt, exilium. *Iaſon Pagaſeus*] Theſſalicus, à Pagaſis in Theſſalia. *Paul. Pagaſeus Iaſon*] Ille ob cædem Menalippi fratris fugit ad Argivos: Jaſon interfecto Pelia Corinthum abiit. Πηγασαί, ſive cum Plinio *Pagaſa*, Theſſaliæ opidum; unde ſitus

Paga-

Et quos præterea longa referre mora eſt,
Omne ſolum forti patria eſt, ut piſcibus æquor,
Ut volucri vacuo quidquid in orbe patet.
Nec fera tempeſtas toto tamen horret in anno:
Et tibi, crede mihi, tempora veris erunt.
Vocibus Evander, firmata mente parentis,
Nave ſecat fluctus, Heſperiamque tenet,
Jamque ratem doctæ monitu Carmentis in amnem
Egerat, & Tuſcis obvius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui ſunt vada juncta Terenti,
Adſpicit, & ſparſas per loca ſola caſas.

Utque

Pagaſicus, Græcis, Παγασιτικὸς, ſeu Πηγασικὸς, ut habent MSS. Strabonis.

493. *Omne ſolum forti patria*] Euripideum illud expreſſit:

Ἅπας μὲν ἀνὴρ εἰσπῶ πιράσιμος,
Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρίς.

Excelſo vir animo contriſtari exilio non debet. Et unde initia & principia cujuſque gentis, niſi ex totidem exulibus? Vide Senec. Conſolat. ad Helviam. *Neapol. Omne ſolum, &c.*] Loquitur ex ſententia, viro forti ubique eſſe patriam. *Omne ſolum*] Omnis tellus.

494. *Ut volucri*] Ut avibus patria eſt. *Quicquid patet in orbe vacuo*] Hoc eſt, in aere. Vacuum enim aera poetæ dicunt.

495. *Nec fera tempeſtas, &c.*] A ſimili arguens, illud connectit, affutura quoque illi tempora lætiora. Similitudo à tempore ſumitur non toto anno durare hyemem; ſic nec ſemper illum in calamitate futurum. *Nec fera tempeſtas*] Aſpera hyems. *Errat in toto anno*] Quia per totum annum non durat.

496. *Crede mihi*] Matri tuæ vera prædicenti. *Erunt & tibi tempora veris*] Erunt lætiora fœlicioraque tempora.

497. *Evander firmata mente*] Jam animo roborato & confirmato. *Vocibus*] Suaſione & oraculo fatidicæ matris.

498. *Secat fluctus nave*] Navigat Ionium & Tyrrhenum æquor. P. *Italiamque tenent*] Quo anno ii in Italiam venere, diſce ex Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 1. Antiq. origo gentis Romanæ: *Regnante Fauno, ante annos circiter* LX. *quam Æneas in Italiam deferretur, Evander Arcas, Mercurii & Carmentis Nympha filius, cum matre eodem venit.* Tunc adrudes Italos literæ tranſlatæ. Neſcio an auctor Evander filius, ſeu Nicoſtrata mater; antiqui verſus:

Mente Phœnices ſagaci condiderunt Atticas,
Quas Latini ſcriptitamus, edidit Nicoſtrata.

Marcus Victorius ſcribit, tantum cum Evandro ad nos tranſlatas XVI. poſtea quaſdam à Palamede & Simonide adjectas. Sed apud Euripidem Palamedes ipſe totam ſcribendi rationem ſibi attribuit. Vide Joh. Tzetzem Chiliad. X. hiſt. cccxxxii. *Neapol.*

499. *Jamque ratem docta, &c.*] Jam Arcades Italiæ appulerant, & fatidica nympha monente, ingreſſi ſunt oſtia Tyberina. *Jamque egerat*] Impulerat. *Ratem*] Navim. *In amnem*] In fluvium Tyberinum. *Monitu doctæ Carmentis*] Quaſi ita fatidica matre monente.

500. *Thuſcis aquis*] Aquis Tyberinis: navigabat adverſum fluvium, qui ex Hetruria labitur.

501. *Illa*] Carmentis. *Aſpicit latus fluminis*] Dextram Tyberis ripam. *Cui*] Lateri ſeu ripæ. *Sunt juncta*] Proxima. *Vada Terenti*] Vadoſa loca, per quæ Terentum vadebatur. *Terentum* aliqui eſſe putant inter Palatium & Aventinum, locum in quem Carmentis defiliit. *Paul. Vada juncta Terenti*] Hoc, locus in campo Martio. Adeundus tibi Feſtus.

502. *Per loca ſola*] Sedes Aboriginum. *Neap. Et aſpicit*] Videt ipſa Carmentis. *Caſas ſparſas*] Aliqua paſtorum tuguria, velut hinc inde diſperſa. *Per loca ſola*] Co[illegible]is carentia.

503. *Im-*

Utque erat, immiſſis puppim ſtetit ante capillis,
Continuitque manum torva regentis iter.
Et procul in dextram tendens ſua brachia ripam,
Pinea non ſano ter pede texta ferit.
Neve daret ſaltum properans inſiſtere terræ,
Vix eſt Evandri vixque retenta manu.
Dique petitorum, dixit, ſalvete locorum,
Tuque novos cœlo terra datura deos:
Fluminaque, & fontes, quibus utitur hoſpita tellus,
Et nemorum Nymphæ, Naïadumque chori;
Eſte bonis avibus viſi natoque mihique:
Ripaque felici tacta ſit iſta pede.
Fallor? an hi fient ingentia mœnia colles?
Juraque ab hac terra cætera terra petet?

Mon-

503. *Immiſſis capillis*] Paſſis & pendentibus longe crinibus.

504. *Torva*] Ferox & furens: quia divino ſpiritu repleta. *Continuit manum regentis iter*] Illius qui temonem gubernabat, tenuit manum, ne ulterius progrederetur, ſed in ripam deflecteret, & curſum ſiſteret.

505. *Et tendens ſua brachia*] Extendens procul. *In dextram ripam*] Tybridis ſub ipſis collibus.

506. *Ferit pinea texta*] Ipſa navis tabulata. *Non ſano pede*] Sed furente, ut repletæ ſpiritu ſolent. *Paul. Pinea texta*] Hoc eſt, navim. Loquendi modus antiquus in XIV. Metamorph. *Fert ipſe avidas in Pinea Turnus texta faces.* Neap.

507. *Neve properans inſiſtere ripæ*] Properans egredi, & ſiſtere in ripa Tybridis. *Daret ſaltum*] Ne deſiliret.

508. *Vix & vix*] Cum difficultate. *Eſt retenta manu Evandri*] Vix potuit eam retinere filius Evander, quin deſiliret.

509. *Dique petitorum, &c.*] Oratio Carmentis ad Latinos colles, quos ſimul & locorum numina ſalutat: & ut bono omine uſi ſint, optat: aperitque oraculo ſecreta fata, extruenda illis in collibus mœnia, habitura totius orbis monarchiam, &c. *Di locorum petitorum*] Numina horum locorum, quo nos ex Arcadia venimus. *Paul. Dixit, ſalvete*] Et in adventu & in diſceſſu mos iſte invaluit. Hos dixere noſtri indigetes & topicos ſeu locales.

510. *Novos cœlo terra datura deos*] Leucotheam & Herculem, ni malis Romulum & duos primos Cæſares. *Neap. Novos deos*] Quos non ipſa accipies ut cæteros, ſed tu dabis: & hoc ob Romulum & Cæſarem, qui in deos relati ſum.

511. *Fluminaque*] Salvete. *Quibus*] Fluminibus & fontibus. *Utitur tellus hoſpita*] Quæ nos alienigenas hoſpitio ſuſcipiet.

512. *Et ſalvete diva nemorum*] Dryades & Hamadryades. *Et ſalvete chori Naïadum*] Cœtus Nympharum, quæ fluminibus & fontibus præeſtis.

513. *Bonis avibus*] Bono augurio, & fauſto felicique omine. *Et hac ripa*] Tyberina. *P. Eſte bonis avibus viſi*] Fauſto & felici omine: unde *mala ales*, pro infauſto, antiquis. *Neapol.*

514. *Sit tacta felici pede*] Feliciter attingamus ripam hanc.

515. *Fallor? &c.*] Nunc incipit vaticinari. *Fallor*] Decipiorne, an verum eſt, quod mente concipio? *An hi colles, &c.*] An his collibus magna urbs ſurget. Etenim ſeptem colles complexa eſt urbs ipſa, Palatinum, Capitolinum, Aventinum, Cœlium, Exquilinum, Viminalem, Quirinalem. *Paul. Fallor? an hi fient*] Prædicit dominæ urbis imperium. *Neapol.*

516. *Petet jura*] Hæc enim tellus jura dabit gentibus univerſis.

Montibus his olim totus promittitur orbis.
Quis tantum fati credat habere locum?
Et jam Dardaniæ tangent hæc littora pinus.
Hic quoque cauſſa novi fœmina Martis erit.
Chare nepos, Palla, funeſta quid induis arma?
Indue, non humili vindice cæſus eris.
Victa tamen vinces, everſaque Troja reſurges.
Obruit hoſtiles iſta ruina domos.
Urite victrices Neptunia Pergama flammæ:
Non minus hic toto eſt altior orbe cinis.
Jam pius Æneas ſacra, & ſacra altera, patrem
Afferet, Iliacos excipe Veſta deos.

Tempus

517. *Promittitur*] A diis & fatorum decretis. *His montibus*] Ubi condetur urbs.

518. *Quis credat locum*] Hunc ſcilicet nunc incultum & ſolum. *Habere tantum fati*] Ut tantum ſibi promittant, quo ſit dominaturus univerſæ terræ.

519. *Et jam Dardania pinus*] Trojanæ naves ex pinu fabricatæ. *Tangent hæc littora*] Veniant in hanc oram Italicam. *Paul. Tangent hæc littora pinus*] Et Æneæ adventum poſt annos LX. Sed mirum quot hanc feliciſſimam Monarchiam præviderint. Exſtat vaticinium Caſſandræ apud Lycophronem.

520. *Cauſſa novi fœmina Martis*] Lavinia hæc. *Neap. Hic quoque*] Hic etiam in Latio, velut ad Trojam. *Fœmina*] Lavinia Latini filia. *Erit cauſſa novi Martis*] Novi belli inter Turnum & Æneam.

521. *Chare nepos, &c.*] Vaticinatur nunc de nepote, hoc eſt, de Pallante Evandri filio, eo bello perituro, ſed non ſine ultione: nam & interemptorem Æneas interimet. P. *Funeſta quid induis arma?*] Prædicit & cædem Pallantis; ſed Turnus occiſor cadet, inquit, Æneæ dextrâ. *Neap. Arma funeſta*] Mortem & funus afferentia.

522. *Indue*] Ut exhortetur, cum dehortari viſa ſit. *Ergo indue*] Etiam cum ſis ſub ipſis moriturus. *Vindice*] Ultore: Te enim interimet Turnus rex Rutulorum, & Æneas de eo vindictam & ſupplicium ſumet.

523. *Victa tamen vinces, &c.*] Vaticinabatur illa ante bellum Trojanum, & mente contemplabatur jam victam & everſam Trojam. Prædicit ergo eam & victuram, & reſurrecturam, atque hoſtes domiturum. *Reſurges*] Sed in Italia, & hoc propter urbem Romam ab Æneæ pronepotibus ædificandam. P. *Everſaque Troja, &c.*] Prædicit & victorias habitas à Romanis in univerſa Græcia. Adi Annales. *Neapol.*

524. *Iſta ruina*] Immo illud exiguum, quod tuis ſupererit ruinis. *Obruet*] Evertet. *Hoſtiles domos*] Urbes Græcas; nam omnis Græcia ſuccubuit Romanis, & Corinthum totius Græciæ lumen funditùs everterunt.

525. *Urite victrices, &c.*] Per quandam ironiæ ſpeciem in Græcos inquit, Redigite Trojam in cineres; at hic cinis & vos ſubiget, & toti dominabitur orbi. *Neptunia mœnia.*] Ipſa Trojana Pergama, à Neptuno Phœboque conſtructa.

526. *Hic cinis*] Trojanæ urbis, quam in cinerem redigitis. *Altior toto orbe*] Quia tanti eſt, ut toti orbi ſit imperaturus.

527. *Jam pius Æneas*] Æneas feret Trojana ſacra in Latium, & deos penates, qui in templo Veſtæ ſervabuntur. *Altera ſacra*] Altera à prioribus. Nam illa deorum immortalium; hoc vero hominis, ſed quem ipſe in deos retulit, nam pro deo coli voluit. *Afferet* de Troja in Siciliam, ubi extinctum ſepeliit.

528. *O Veſta, accipe deos Iliacos*] Deos Trojanos. De templo Veſtæ intelligit, quod poſtea Numa condidit: ubi ſervata ſunt ſacra Trojana, & Palladium, & dii penates.

529. *Tem-*

Tempus erit, quum vos, orbemque tuebitur idem,
Et fient ipſo ſacra colente deo,
Et penes Auguſtos patriæ tutela manebit:
Hanc fas imperii fræna tenere domum.
Inde nepos, natuſque dei, licet ipſe recuſet,
Pondera cœleſti mente paterna feret.
Utque ego perpetuis olim ſacrabor in aris;
Sic Auguſta novum Julia numen erit.
Talibus auſpiciis noſtros deſcendit ad agros;
Subſtitit in medios præſcia lingua ſonos.
Puppibus egreſſus Latia ſtetit exul in herba.
Felix

529. *Tempus erit, &c.*] Hoc ad C. Cæſarem refertur, qui & Pontifex maximus, & ſacerdos Veſtæ, curam erit illorum habiturus, & orbi imperaturus, & referendus in deos. *Tuebitur idem orbem*] Quia erit orbis rector, *Paul. Cum vos orbemque, &c.*] Prædicit imperium & pontificatum maximum Julii Cæſaris.

530. *Colente deo*] Et hac voce ἀποφθεγμ. *Paul. Et fient ſacra*] Veſtæ & diis penatibus. *Ipſo deo colente*] Ipſo Pontifice adminiſtrante, qui in deos referetur.

531. *Erit penes Auguſtos*] Erit penes Octavium Auguſtum, & ejus domum.

533. *Inde nepos, natuſque, &c.*] Hæc pro Tiberio & Germanico dicta, filio & nepote Auguſti ex adoptione, qui erunt imperio ſucceſſuri. *Nepos*] Germanicus. *Et natus*] Tiberius filius. *Dei*] Auguſti. *Paul. Inde nepos natuſque*] Capito Octavianum & Tiberium: de quo addit, *licet ipſe recuſet*. Notavit id Dio lib. LVII. ſub initium, & Suetonius in eodem Principe. *Neapol.*

534. *Pondera paterna*] Reget imperium patris. *Cæleſti mente*] Divina quadam prudentia. *Licet, ipſe recuſet*] Quamvis ipſe Tiberius recuſaturus ut imperii molem.

535. *Utque ego perpetuis olim ſacrabor*] Ultimo loco vaticinatur de ſeipſa, & Julia Auguſta, hoc pacto: Ut mihi erunt aræ dedicatæ, ita Julia Auguſta referetur in deas. Carmenti enim ara fuit erecta ſub Capitolio, juxta portam Carmentalem. *Sacrabor in aris perge-nus*] Ut referar ego in deas, & erunt mihi à Pontificibus aræ conſecratæ.

536. *Sic Julia*] Aut Livia Auguſta. *Erit novum numen*] Nova dea. *Paul. Julia numen erit*] Hæc ſecunda Cæſaris Auguſti conjux, quæ prius dicta Livia Druſilla, poſtea mariti adoptione in Juliorum domum admiſſa; unde in poſterum ei nomen fuit Julia Auguſta: hanc nepos Claudius conſecraſſe, tradit Suetonius lib. V. cap. XL. & Dio Caſſius lib. LX. Habuit & præter Virgines veſtales, ſuam Flaminicam. Et paſſim in Inſcriptionibus antiquis litatum Juliæ videmus, ut in his Fragmentis Fratrum Arvalium: DIVO AUGUSTO BOVEM MAREM, DIVÆ AUGUSTÆ VACCAM. Si hi honores à Claudii ævo mortuæ Liviæ: at fere omnes filius Tiberius per modeſtiam imminuit, addito, ne cœleſtis religio decerneretur. Adi Tacitum ſub initium Annalis V. Sed de hoc vaticinio, ſodes, noſtrum excuſes: adſcribit enim in Divæ Juliam antequam quid ſimile exul audiſſet, ante ipſiuſmet obitum ante decretum Senatus, ad quæ nec dies Naſonis pervenere; nam mortuus pluſculos annos ante Juliam. *Neapol.*

537. *Talibus dictis*] Poſtquam talia verba dixerat. *Ut deſcendit in noſtros annos*] Ut rerum fama venit in noſtra tempora.

538. *Lingua præſcia*] Vox illa fatidici, & præſcia futurorum lingua. *Subſtitit in medio ſono*] Medio ſermone, aut in medio furore vaticinantis linguæ.

539. *Puppibus egreſſus*] E claſſe Arcades exeunt, & in ripa graminea conſiſtunt, urbemque condunt. *Exul*] Evander. *Stetit in herba*] Sedem fixit in collibus herbidis.

Felix, exilium cui locus ille fuit.
Nec mora longa fuit. ſtabant nova tecta; nec alter
Montibus Auſoniis Arcade major erat;
Ecce boves illuc Erytheïdas applicat heros,
Emenſus longi claviger orbis iter.
Dumque huic hoſpitium domus eſt Tegeæa, vagantur,
Incuſtoditæ læta per arva boves.
Mane erat; excuſſus ſomno Tirynthius hoſpes,
De numero tauros ſentit abeſſe duos.
Nulla videt quærens taciti veſtigia furti:
Traxerat averſos Cacus in antra ferox;
Cacus Aventinæ timor atque infamia ſylvæ,
Non leve finitimis hoſpitibuſque malum.

Dira

540. *Cui fuit ille locus*] Cui contigit figere ſedem in Italia, & ubi condenda erat urbs Roma. *Paul. Cui locus ille fuit*] Alludit ad ſuum miſellum.

541. *Stabant nova tecta*] His à veteri novi hoſpitis patria, Palantium nomen impoſitum. *Neapol. Stabant nova tecta*] Quæ ædificaverat. *Nec alter major*] Nullus erat ſuperior in Latinis montibus.

542. *Arcade*] Ipſo Evandro Arcadum duce.

543. *Ecce heros*] Vir excellens, & cæteris virtute præſtans. *Applicat illuc*] In Latium, apud Pallantium. *Boves Erytheïdas*] Armenta Geryonis; ab Erythra Inſula in extrema Hiſpania. *Paul. Ecce boves*] Paulo poſt Arcades, quarta Græcorum claſſis, in hanc Italiæ partem venit, duce Hercule. Vide Halicarnaſſ. *Erytheïdas*] Statim explodes editiones, in quibus *Erythréidas*: ubi lege Strabonis verba lib. III. Ἐρυθεῖαι δὲ καὶ Γάδειρα ἔοικε λέγειν ὁ φιλιππίδης, &c. Sed hoc parum obeſt; nam inſulæ gradibus adſitæ, ſub uno Erytheæ nomine nuncupatæ. *Neapol.*

544. *Claviger*] Hercules clavam ferens. *Emenſus iter longi orbis*] Quaſi emenſus orbem longo itinere. Nam ex Creta, ubi exercitum paravit, in Ægyptum trajecit: & peragrata Libya, in Hiſpaniam venit, & inde in Italiam.

545. *Dum domus Tegeæa*] Domus regis Arcadici, à Tegeæa oppido, quod eſt in Arcadia. *Eſt huic*] Herculi. *Hoſpitium*] Quaſi dum hoſpes ab Evandro retinetur. *Paul. Domus eſt Tegeæa*] Caſa Carmentis. *Neapol.*

546. *Boves incuſtodita*] Sine ullo cuſtode. *Vagantur per lata arva*] Vagantes paſſim per agros paſcebantur.

547. *Heros Tirynthius*] A Tirynitho oppido in Bœotia, in quo natus eſt.

549. *Nulla videt veſtigia taciti furti*] Nulla pedum veſtigia diſcernit, per quæ furtum occultum deprehendi poſſet.

550. *Cacus*] Latro; qui ab ipſa re dictus eſt Cacus, quoniam κακὸς malus. *Averſos boves*] Retroverſos: quia non rectis veſtigiis. *In antra*] In ſpeluncam boves per caudam traxerat, ut inde viderentur egreſſi potius, quam ingreſſi.

551. *Aventinæ timor, &c.*] Incolebat Cacus Aventini montis ſylvam, quam ſuis graſſationibus & formidandam reddebat, & infamem; eratque tam vicinis, quam peregrinis infenſus. Monſtroſa illi facies, & monſtroſum corpus erat. *Paul. Aventina ſylva*] Ubi ſedes & ejus ſpelunca. Vere hanc Topographi ſtatuunt in regione XIII.

552. *Hoſpitibus malum*] Alludit ad Græcum κακὸν. Servius: *Servius Evandri* κακὸς *& malus fuit: unde* κάκος *dictus mutato accentu.* N. *Malum*] Alluſit ad nominis ſignificationem; nam κακὸς malus.

553. *Dira*

Dira viro facies; vires pro corpore; corpus
Grande. pater monſtri Mulciber hujus erat.
Proque domo, longis ſpelunca receſſibus ingens
Obdita, vix ipſis invenienda feris.
Ora ſuper poſtes affixaque brachia pendent,
Squallidaque humanis oſſibus albet humus.
Servata male parte boum Jove natus abibat;
Mugitum rauco furta dedêre ſono.
Accipio revocamen, ait: vocemque ſequutus
Impia per ſylvas ultor ad antra venit.
Ille aditum fracti præſtruxerat obice montis:
Vix juga moviſſent quinque bis illud onus.
Nititur hic humeris, (cœlum quoque ſederat illis)
Et vaſtum motu collabefactat onus.
Quod ſimul evulſum eſt; fragor æthera terruit ipſum,
Ictaque ſubſedit pondere molis humus.

Prima

553. *Dira*] Truculenta & deorum ira nata. *Vires pro corpore*] Pro magnitudine corporis. *Paul. Dira viro facies*] Tres apud me veteres, *Dura viro facies*. Ego quidem hic malim *dira*: licet *durus* ſit idem ac ἰσχυρὸς καὶ κρατερός: nam vires ſtatim commendat. *Neapol.*

554. *Mulciber*] Vulcanus.

556. *Vix invenienda ipſis feris*] Erat ita occulta ſpelunca, ut feræ, nedum homines vix eam invenire potuiſſent.

557. *Pendent ora*] Hominum vultus, in poſtibus ora & brachia pendebant, pro trophæis & ſpoliis.

558. *Humanis oſſibus*] Tot enim homines interemerat, ut omne illud ſolum humanis oſſibus tegeretur, & ſic humus albere videbatur.

559. *Natus Jove*] Hercules Jovis filius. *Parte boum, male ſervata*] Non bene cuſtodita.

560. *Furta*] Boves, quos ille furto ſubtraxerat. *Rauco ſono*] Nam in ſpelunca ſonus videtur raucus.

561. *Accipio revocamen, &c.*] Mugitum incluſarum ſequutus Hercules ad ſpeluncam venit. *Accipio*] Audio mugientes. *Revocamen*] Ad invenienda & plectenda furta. *Et ſequutus vocem*] Mugitum boum.

562. *Victor*] Voti compos: aut victor & domitor omnium monſtrorum. *Antra impia*] Ad ſpeluncam impii & crudelis Caci lauronis.

563. *Ille*] Cacus. *Præſtruxerat*] Occluſerat. *Aditum*] Oſtium ſpelunca. *Obice fracti montis*] Objectu & oppoſitione ſaxi ingentis, quod è monte effregerat.

564. *Vix moviſſent*] Movere potuiſſent. *Illud onus*] Oneroſum ſaxum. *Bis quinque juga*] Hoc eſt, decem jugatorum boum paria.

565. *Hic*] Hercules. *Nititur humeris*] Nititur in adverſum omni conatu, ut inde impellat molem objectam. *Cœlum quoque ſederat illis*] Humeris ſcilicet. Nam ferunt pro Atlante cervicem cœlo ſuppoſuiſſe.

566. *Et collabefactat motu*] Concutiens crebro motu confringit. *Onus vaſtum*] Hoc eſt, oneroſam ſaxi molem.

567. *Simul*] Poſtquam. *Eſt evulſum*] Quaſi poſtquam impulit & evertit. *Fragor*] Ille ingens ſonitus & ſtrepitus ex everſione & confractione ſaxi. *Paul. Quod ſimul everſum eſt*] Alii leg. *Quod ſimul evulſum eſt*. Virgilius in re ſimili *avulſo* uſus: unde ſic malim in noſtro legere. *Quod ſimul evulſum eſt*. Nec ambigo ita a germana manu olim ſcriptum.

568. *Et humus icta*] Terra percuſſa. *Pondere molis*] Ponderoſa ſaxi mole. *Subſedit*] Quaſi inferius preſſa eſt.

Prima movet Caeus collata prælia dextra,
Remque ferox ſaxis ſtipitibuſque gerit,
Quis ubi nil agitur, patrias male fortis ad artes
Confugit, & flammas ore ſonante vomit.
Quas quoties proflat, ſpirare Typhoëa credas,
Et rapidum Æthnæo fulgur ab igne jaci.
Occupat Alcides: adductaque clava trinodis
Ter quater adverſi ſedit in ore viri.
Ille cadit, mixtoſque vomit cum ſanguine fumos,
Et lato morientis pectore plangit humum.
Immolat ex illis taurum tibi Jupiter unum
Victor, & Evandrum ruricolaſque vocat,
Conſtituitque ſibi, quæ maxima dicitur, aram,
Hic ubi pars urbis de bove nomen habet.

Nec

569. *Prima movet Cacus, &c.*] Pateſacta jam ſpelunca, Cacus cum ſubterfugere magis non poſſet, cœpit conſerere manus, & ſaxis & ſtipitibus in hoſtem pugnare. *Collata dextra*] Quaſi cominus manum conſerens. *Paul. Collata prælia dextra*] T. Lucretius lib. V. apte ad rem:

Arma, inquit, *antiqua manus, ungues dentesque fuerunt,*
Et lapides, & item ſylvarum fragmina rami. Neapol.

570. *Gerit rem*] Agit pugnam. *Saxis & ſtipitibus*] Ut ab ingreſſu ſpeluncæ Herculem prohiberet.

571. *Quis*] Pro, quibus armis. *Male fortis*] Parum, aut non fortis, habita Herculis ratione.

572. *Confugit ad patrias artes*] Ad Vulcanios ignes, & patriis artibus utebatur. *Flammas ore ſonante*] Ex ipſa eructatione flammarum ſonitum edebat.

573. *Quoties proflat*] Flando emittit. *Credas ſpirare, &c.*] Typhœus unus è Gigantibus, Terræ filius, Siciliæ ſuppoſitus. Nam in Metamorph. lib. 5. ſic ait, *Flammamque fero vomit ore Typhœus.* Huic ergo Poëta Cacum comparat.

574. *Et credas jaci*] Emitti. *Rapidum fulgur*] Velocem coruſcationem. *Ab igne Ætheo*] Qui ex Ætna erumpit, qui mons eſt in Sicilia.

575. *Alcides*] Hercules. *Occupat*] Apprehendit & deſiner illum. *Et clava trinodis*] Trium nodorum. *Adducta*] admota illius capiti.

576. *Ter quater*] Quaſi pluries. *Sedit*] Hæſit. *Paul.*

577. *Occupat Alcides*] Id valet, aggreditur. Curtius lib. IX. *Juſſit quatuor admoveri canes, qui celeriter occupaverunt feram. Clava trinodis*] Sic deſcribitur à Poëtis hæc Herculea, non levis ſeu polita, ſed ruſtica & inculta. *Neapol.*

578. *Et morientis plangit humum*] Verberat terram.

579. *Immolat*] Mactat. *Tibi unum taurum, &c.*] Ex duobus qui fuerant ſurrepti, alterum immolavit. *Paul. Taurum tibi Jupiter*] Poſt boves inventos aram extruit Jovi inventori, & unum è juvencis mactat. Vide Dionyſ. lib. 1. *Neapol.*

580. *Victor*] Hercules. *Et vocat Evandrum*] Regem. *Et ruricolas*] Ut adeſſent ſacrificio. *Qua maxima*] Nam appellata fuit *ara maxima*, & erat juncta foro boario. *Paul. Conſtituitque ſibi*] Hanc dictam à Pontificibus Maximam, non ipſe ſibi conſtituit, in quo Naſo falleris, ſed Evander Herculi dicavit, ob ea quæ à matre Carmente didicerat. Vide Dionyſ. *Neapol.*

582. *Hic ubi pars urbis habet nomen de bove*] Ubi eſt forum boarium, quod forum ita appellatum volunt aliqui, quod ibi bovem Hercules immolaverit. Alii ab area bovis ſtatua, quæ ibi erat.

583. *Mater*

Nec tacet Evandri mater, prope tempus adeſſe,
Hercule quo tellus ſit ſatis uſa ſuo.
At felix vates, ut dîs gratiſſima vixit,
Poſſidet hunc Jani ſic dea menſe diem.
Idibus in magni caſtus Jovis æde ſacerdos
Semimaris flammis viſcera libat ovis:
Redditaque eſt omnis populo provincia noſtro,
Et tuus Auguſto nomine dictus avus.
Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras;

Conti-

583. *Mater Evandri*] Carmentis.

584. *Quo tellus ſit ſatis, &c.*] Quo terra jam ſatis fructus ab Hercule acceperet; nam Hercules omnem tellurem monſtris expurgavit.

585. *At felix vates, &c.*] Retulit jam unde habuerit originem feſtum Carmentalium. *Felix*] Carmentis ex eo fœlix, quia fatidica.

586. *Sic dea*] Ipſa relata in deas. *Poſſidet hanc dieſ*] Quæ eſt tertia iduum.

587. *Idibus in magni, &c.*] Idibus Januariis immolatur Jovi vervex, dieſque illa relata in Faſtos: in ea enim Octavius Cæſar, *Auguſtus* cognominatus eſt. P. *Idibus in magni*] Quotidibus ſacrificabatur Jovi ſupra monuimus; nunc tamen ediſcas velim quandoq; agnam, quandoque arietem Jovi immolari ſolitos. *Neapol. Sacerdos caſtus*] Purus & ſanctus flamen dialis.

588. *Libat flammis*] Sacrificat. *Viſcera ovis ſemimaris*] Vervecis. *Idibus*] Ipſo die Iduum Januariarum.

589. *Et omnis provincia eſt reddita populo noſtro*] Imperio populi Romani. Nam omnes provincias in certam formam redegit, & totus orbis ſuccubuit. *Paul. Populo provincia noſtro*] Eadem luce, anno Urbis conditæ Dccxxvi. poſt orationem illam ſimulatam, habitam à Cæſare Octaviano de deponendo imperio, redditæ Senatui & populo omnes pacatæ provinciæ; quæ vero nondum ſedatæ, à Cæſare retentæ: ſed in has omnes imperium tantum decennale voluit: hoc finito, aliud & aliud quinquennium decretum, inde rurſus decennium, adeo ut toto ævo imperium tractaverit. Vix in mentem interpretum venit, hoc ſibi velle Naſonem in hoc Verſiculo. *Neapol.*

590. *Et tuus avus, &c.*] Hoc eſt, Cæſar Octavius, Tiberii ex adoptione pater, & avus tuus, ô Germanice. *Eſt dictus Auguſto nomine*] Quaſi cognominatus *Auguſtus*. Paul. *Auguſto nomine dictus avus*] Sed aliter Cenſorinus, qui rejecit in XVI. Kalendas Februarias: Oroſius, qui in VIII. Idus Januarias, qui magis ad noſtrum accedit, eſt priſcus hic lapis: VII. Idus JANUARIUS, QUA DIE PRIMUM IMPERIUM ORBIS TERRARUM AUSPICATUS EST THURE, VINO SUPPLICENT: Tu hære cui voles, ego à Naſone non recedam. His ergo Idibus datum Octaviano Auguſti cognomen: Romuli ſibi imponere menti erat, ni ſuſpectus affectati Regni fieret. Vide Dionem lib. LIII. Hinc poſtea omnes fere ſubſecuti Principes nomen illud uſurparunt. Temere dixi, *fere*: nam pleriſque odio fuit. Quidam Germanici, Quidam tantum Cæſares, quidam Antonini dicti: ſed nemo æquavit Caligulam, qui teſte Dione, ἀστὸ δὲ τοῦ δήμου βούτοντο, ἐπεκάλει Αὔγυστε, ὑβριστικῶς, ἐσοφίζετο.

591. *Perlege diſpoſitas ceras*] Subindicat *clypeos* ſeu *thoraces*, qui Græcis *Νεκροὶ καὶ ὅπλα*. Τὸ vero *perlege* oſtendit, in baſi nomina geſtaque, cujuſque ſubſcripta: & certe ita fuit. Vide Val. Max. lib. V. c. VIII. *Titulus* eſt index & ἀνάγνωσις rerum geſtarum. *Annoſa per atria*] Libri aliquot habent, *generoſa*, quidam *cineroſa*, qui reſpiciunt ad culinas ſitas in atriis. *Neapol. Perlege*] Oculis perluſtra. *Ceras diſpoſitas*] Statuas cereas. *Per atria annoſa*] Per antiquæ nobilium atria, nobilitatem generis, & clariſſima facta referentes.

592. Nulli-

Contigerunt nulli nomina tanta viro.
Africa victorem de ſe vocat: alter Iſauras
Aut Cretum domitas teſtificatur opes:
Hunc Numidæ faciunt, illum Meſſana ſuperbum;
Ille Numantina traxit ab urbe notam:
Et mortem, & nomen Druſo Germania fecit:
Me miſerum, virtus quam brevis illa fuit!

Si

592. *Nulli viro*] Nulli unquam ex Romanis ducibus. *Contigerant tanta nomina*] Tam magna cognomina, quam magna Cæſari Auguſto contigerunt.

593 *Africa victorem, &c.*] Ut magis illud Auguſti cognomen extollat, refert etiam, unde alii cognomenta acceperint; nam plerumque à victis gentibus fuere tradita. *Africa victorem de ſe*] P. Cornelius Scipio, ab Africa devicta, Africani meruit cognomen. *Alter*] Hoc eſt, P. Servilius Iſauricus.

594. *Teſtificatur*] Quaſi ſuo cognomento refert. *Iſauras, opes domitas*] Potentiam Iſaurorum populorum, quos vicit, & multas eorum urbes expugnavit. *Aut opes Cretum*] Cretenſium: Q. Metellus proconſul, plurimas Cretæ inſulæ urbes expugnavit. Inde Cretici cognomen aſſumpſit. *Paul. Aut Cretum domitas*] Iſte Q Metellus Creticus. Eutropius de hoc: *Nec quidquam aliud de tam celebri victoria quam Cretici cognomen reportavit*; imo etiam triumphavit, licet non adeo magna pompa: nam duces captivos ſubduxerat Pompeius, (ornamentum erant victoriæ) de quo juſtè ait queſtum Q. Metellum Paterculus lib. III. Vide & Dionem.

595. *Hunc Numida faciunt*] Hic etiam ex familiâ Metellorum: patrem habuit L. Metellum Calvum Conſulem anno Dcxi. Marmora Capitolina: Q. CÆCILIUS L. F. Q. METELLUS AN. Dcxlvi. NUMIDICUS PROCOS. DE NUMIDES ET REGE JUGURTHA... Roſit longa ætas voculam *triumphavit*; nam Eutropius bis de eodem Rege triumphatum tradit, lib. IV. ſemel ab hoc Q. Metello, & iterum à Caio Mario. Paterculus II. Hiſtoriæ: *Metelli tamen*, inquit, *triumphus fuit clariſſimus, & meritum virtutique cognomen Numidici inditum. Illum Meſſana ſuperbum*] Multa habeo, in meis rudibus curis ad hujus loci tuitionem; ſed ut ex tot Hiſtoricis ſubolui prochroniſmum, non feci ea publici juris: nam Claudius Caudex uno anno ante Conſulatum M. Valerii Meſſalæ Mamertinis auxilio miſſus, urbem obſidione liberavit. Legant ſtudioſi, quæ Scalig. notavit ad Euſebii Chron. num. MDCCXLII. *Neapol. Hunc Numida facient ſuperbum*] Cognomento ſcilicet. *Hunc*] Cecilium Metellum, qui Jugurtham per injurias Numidiam occupantem fudit, & univerſam Numidiam vaſtavit: inde *Numidicus* cognominatus eſt. *Meſſana*] Quæ urbs eſt in Sicilia. Nam Valerius Maximus, poſtquam Meſſanam nobiliſſimam Siciliæ urbem cepit, *Meſſala* cognominatus.

596. *Ille*] Scipio Æmilius. *Traxit notam*] Titulos & cognomentum. *Ab urbe Numantina*] A Numantia nobiliſſima Celtiberorum civitate. *Paul. Ille Numantina*] Numantia exciſa & deleta anno DCXXII. à Scipione Æmiliano Africano, veteris Africani nepote: qui meruit etiam ſic dici, ob victoriam de Pœnis & Aſdrubale anno DCVII. Ab ea igitur urbe Numantinus etiam cognominatus. Appian. in Iberica vide.

597. *Et mortem, & nomen*] Id vero poſt mortem. Vide Dionem lib. LV. *Neapol. Et mortem & nomen, &c.*] Druſus Tiberii frater, & Germanici pater, cum inter Salam fluvium & Rhenum adverſus Germanos belligeraret, victor oppetiit. *Germania fecit mortem & nomen Druſo*] Patri tuo: quia mortuus in Germania, & *Germanicus* appellatus.

598. *Me miſerum*] Commiſeratio concitatur hac patris ad filium recordatione. *Illa virtus*] Patris tui. *Quam fuit brevis*] Quia dignior erat vita longiora.

Si petat à victis; tot ſumet nomina Cæſar,
Quot numero gentes maximus orbis habet.
Ex uno quidam celebres, aut torquis adempti,
Aut Corvi titulos auxiliaris habet.
Magne, tuum nomen rerum menſura tuarum:
Sed qui te vicit, te quoque major erat.
Nec gradus eſt ultra Fabios cognominis ullus.
Illa domus meritis maxima dicta ſuis.
Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes:
Hic ſocium ſummo cum Jove nomen habet.
Sancta vocant auguſta patres: auguſta vocantur
Templa ſacerdotum rite dicata manu.

Hujus

giore. *Paul. Me miſerum, virtus*] Jure quereris: nam facit Paterculus adoleſcentem *tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel induſtria percipit, &c.*

599. *Si petat à victis*] Hoc pro Auguſto accipe, qui omnes orbis gentes ſubegit. Ergo ſi à devictis gentibus cognomina ſumet, à toto orbe accipiet.

601. *Ex uno*] Facto ſcilicet, aut ex una pugna. *Celebres titulos*] Celebria cognomenta. *Aut adempti torquis*] Ablati ab hoſte torquis, inde *Torquatus* dictus. *Paul. Aut torquis adempti*] Denotat Manlium Torquatum, Valerium Corvinum, & ſequenti diſtricho Pompeium Magnum: quorum tituli in eorum poſteros æternum tranſlati; legi tamen olim ademptos his familiis à non bene ſano Caligula. Vide Sueton. lib. IV. c. XXXV.

602. *Aut corvi auxiliaris*] Qui ſibi fuit auxilio.

603. *O magne*] O Pompei. *Tuum nomen*] Hoc cognomen Magni. *Eſt menſura rerum tuarum*] Quaſi indicat res tuas maximas.

604. *Sed qui vicit te*] Cæſar, à quo bello Pharſalico ſuperatus es. *Erat te quoque major*] Quia te & ſcientia militari, & virtute & fœlicitate ſuperavit.

605. *Nec eſt ullus gradus cognominis*] Quaſi nulla major cognominatio. *Supra Fabios*] Supra Fabiorum cognomenta.

606. *Illa domus*] Fabii. *Eſt dicta*] cognominata. *Maxima ſuis meritis*] Merito Q. Fabii Rutiliani.

607. *Sed tamen humanis, &c.*] Sed cæteri humano, Auguſtus divino cognomine exornatus eſt. *Honoribus humanis*] Quaſi non deorum, ſed hominum titulis.

608. *Hic*] Auguſtus Cæſar. *Habet ſocium nomen cum Jove*] Habet, commune eſt.

609. *Sancta vocant auguſta*] Quid ſignificet *auguſtum*, aperit, ea ratione, qua ſuperius diximus; quod loca religioſa, & in quibus augurato quid conſecratur, auguſta dicantur, ab auctu, vel ab avium guſtu geſtuve. Optat deinde Poëta augeri & imperium, & vitam ducis & ſalutem civium, & ut diis faventibus Germanicus imperio ſuccedat. *Vocant auguſta*] Ea quæ ſacra & intemerata ſunt. *Sancta vocant auguſta patres*] Non abſimilia his ſunt illa Dionis lib. LIII. πάντα γὰρ, inquit, τὰ ἱερώτατα καὶ ἁγιώτατα ἄνωγεν προτυγχάνεσθαι, &c. *Auguſta vocantur templa*] Nam locus ubi templum extruendum per augures prius conſtituitur, ſimul conſtitutus dici poteſt *Auguſtus*, & diis conſecrari. Ad hanc mentem Feſtus: *Auguſtus*, inquit, *locus ſanctus ab avium geſtu, &c. ſic dictus, ſive ab avium guſtatu, quia aves paſta id ratum fecerunt.*

610. *Sacerdotum*] Id eſt, pontificum: præibant enim illi verbis ſolemnibus in dedicatione cujuſvis templi. Vide Livium lib. IX. de Cn. Flavio. Varronem lib. V. de L. L. *Sic enim ades ſacra à Magiſtratu Pontifice præeunte dicatur. Rite dicata manu*] Non dubiè, morem illum tangit, cum poſtem manu tenebat Pontifex, dum ara aut ſanum ſacra-

Hujus & augurium dependet origine verbi,
Et quodcunque ſua Jupiter auget ope.
Augeat imperium noſtri ducis, augeat annos:
Protegat & veſtras querna corona fores.
Auſpicibuſque deis tanti cognominis hæres
Omine ſuſpiciat, quo pater, orbis onus.
Reſpiciet Titan actas ubi tertius idus;
Fient Parrhaſiæ ſacra relata deæ.
Nam prius Auſonias matres carpenta vehebant.

batur: quem Valerius inſinuat lib. V. cap. X. Idem teſtatur Senec. de eodem Conſolatione ad Marciam. *Neapol. Templa ſacrata*] Conſecrata. *Rite*] Secundum conſuetudinem augurio prius ſumpto. *Sacerdotum manu*] Pontificum & ſenatûs authoritate, ut publice conſecrarentur.

611. *Et augurium dependet*] Deducitur. *Ab origine hujus verbi*] Auguſti. Nam & augurium & auguſtum deducuntur ab avium guſtu geſtuve. *Jupiter auget ſua ope*] Suo auxilio. Hoc dicit ab auctu etiam *auguſtum* deduci, quaſi auctum Jovis ope imperium.

613. *Augeat*] Ergo Jupiter. *Imperium noſtri ducis*] Tiberii. *Augeat annos*] Quaſi proroget vitam.

614. *Et corona querna*] Ex quercu. *Protegat fores noſtras*] Portam Palatinam ante quam erat quercus: dicas, *Protegat veſtras fores*: Quaſi ſit in veſtris foribus clementia. Nam hæc civica corona, & militum virtutis & clementiæ principum inſigne clariſſimum erat. *Paul. Querna corona fores*] Quæ eodem die cum Auguſti cognomine Octaviano à Senatu conceſſa. Dio lib. LIII. Huc ſpectant nummi eidem cuſi, quidam cum corona ex hac fronte, & hiſce literis, OB CIVES SERVATOS: quidam cum aquila tenente unguibus querçum, & duobus arbuſculis à latere (lauri ſunt;) alii cum orbe & iiſdem ramulis, ſed hacce inſcriptione: PAX ORBIS TERRARUM. S. P. Q. R.

615. *Tanti cognominis hæres*] Intellige Tiberium. Vide Sueton. lib. III. cap. XXVI. *Neapol. Suſcipiat onus urbis*] Imperium Romanum. *Diis auſpicibus*] Diis faventibus. *Omine quo pater*] Fauſto fœlicique augurio, quo & Auguſtus pater.

617. *Tertius Titan*] Tertius ſol. *Reſpiciet actas*] Jam præteritas. Et decimum quintum diem Januarii indicat. *Paul. Reſpiciet Titan*] XVIII. Kalendas Februarias fiunt rurſus ſacra Carmentalia; non iterum priori Carmenti, ſed ejuſdem duabus ſoròribus: quarum una Porrima, altera Poſtverta nominata. Cauſa novati ſacri ſubſequitur. *Neapol.*

618. *Fient ſacra relata*] Iterum lata. *Dea Parrhaſiæ*] Carmenti Arcadiæ.

619. *Carpenta*] Plauſtra ſeu vehicula. *Vehebant prius matres Auſonias*] Ferebant Romanas, eo jure à Senatu conceſſo. *Paul. Matres*] Datus nuptis hic honos paulo poſt captos Vejos. Aſſignanda erat Apollini decima urbis & agri capti, quam voverat in eo bello Camillus: negotium datum Tribunis militum conſularibus, cumque in ærario copia non exſtaret, *Matrona*, inquit Livius lib. V. *cœtibus ad eam rem conſultandam habitis, & communi decreto pollicita Tribunis militum, aurum & omnia ornamenta ſua in ærarium detulerunt. Grata ea res, ut quæ maxime Senatui unquam fuit; honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad ſacra ludoſque Carpentis feſto profeſtoque uterentur. Carpenta vehebant*] Hæc ſimilia canathris Spartanarum virginum; de quibus Didymus: *αἱ μὲν ἐπὶ κανάθρων καμαρωτῶν τῶν ξυλίνων ἁρμάτων φέρονται*: potuiſſet etiam hic ſcribere, *ἐπὶ καμαρῶν*; nam hujuſmodi vehicula *καμάρας* legi dicta à Polluce lib. X. cap. XII. Erat enim *κάναθρον* currus ligneus tectus, velut baſterna, quam exponit Iſiodorus *tectam manualem*: at hæc rotarum adminiculum non habuit, & à ſervis ſive pari burdonum portabatur.

(Hæc

620

Ab

(Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor.)
Mox honor eripitur, matronaque deſtinat omnis
Ingratos nulla prole novare viros.
Neve daret partus; ictu temeraria cœco
Viſceribus creſcens excutiebat onus.
Corripuiſſe patres auſas immitia nuptas,
Jus tamen exemptum reſtituiſſe, ferunt.
Binaque nunc pariter Tegeææ ſacra parenti
Pro pueris fieri virginibuſque jubent.
Scortea non illi fas eſt inferre ſacello,
Ne violent puros exanimata focos.
Si quis amas veteres ritus, aſſiſte precanti:
Nomina

620. *Ab Evandri dicta parente reor*] Vult à Carmenti nomen inditum carpentis; quæ dea ſi vere dicta à carmine, ut ſupra dictum, qui in hoc veri umbrâ? Carpentis certe nomen eſt à carpendis & ſcindendis lignis è quibus conſtabant: hinc fabros tignarios *carpentarios* priſci appellarunt. *Neapol. Hæc quoque*] Hæc etiam carpenta. *Dicta ab Evandri parente*] A Carmenti, permutatione literæ *m* in *p*.

621. *Eripitur honor*] Ereptum eſt hoc jus carpentorum. *Paul. Mox honor eripitur*] Extat hæc memoria apud Plutarch. in Quæſtionibus Rom. Sed in hoc per id tempus Porrimæ & Poſtvertæ faciebant.

622. *Nulla prole*] Neque maſcula neque fœmina. *Neapol. Nulla prole*] Id decrevere matronæ, ſobolem non propagare.

623. *Temeraria*] Audax mulier. *Daret partus*] Ne pareret fœtum maturum. *Excutiebat ictu cæco*] Occultis verberibus excutiebat, & excuſſum ejiciebat. *Onus creſcens viſceribus*] Embryonem intra viſcera conceptum & creſcentem. *Paul.*

624. *Creſcens onus*] Τὸ ἔμβρυον, quod & offa Juvenali Satyr. 11. Domitianum carpit, qui Juliam, Titi fratris filiam inceſtavit. *Neapol.*

625. *Patres*] Senatores. *Corripuiſſe*] Increpaſſe. *Nuptas*] Matronas. *Auſas immitia*] Quæ auſæ ſunt tam crudele, tamque immane facinus.

626. *Reſtituiſſe jus exemptum*] Jus vehiculi, quod eripuerant.

627. *Fieri bina ſacra*] Bina ſacrificia. *Tegeææ parenti*] Carmenti, à Tegea oppido in Arcadia.

628. *Pro pueris & virginibus*] Pro ſalute puerorum & puellarum, quos prius in utero necabant.

629. *Non eſt fas*] Non licet. *Inferre illi ſacello*] Ferre in illud ſacellum, ubi ea bina ſacra fiunt. *Scortea*] Morticina, ſine anima. *Paul. Fas eſt inferre ſacello*] Obſervato & id in aliis factitatum. Varro lib. VI. de L. L. *Scortari eſt, ſæpius meretriculam ducere, quæ dicta à pelle, &c. & nunc dicimus ſcortea ea, quæ ex coriis & pellibus ſunt facta. Inde in aliquot ſacris ac ſacellis ſcriptum habemus, ne quid ſcorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adſit.* Ex hac ſuperſtitione ſummæ curæ fuit veteribus, ne Flaminicæ ὑποδήματα ſive Καρδάλια ex morticino corio geſtarent. Feſtus: *Mortua pecudis corio calceos aut ſoleas fieri Flaminicis, nefas habetur, &c. quoniam ſua morte extincta omnia funeſta ſunt.* Et Servius: *Sanè Flaminicæ non licebat neque calceos neque ſoleas morticinas habere.* Græcis eſt χιτίβριον ſive δερμάτιμον, ſcorteum verò σκύτινον, δερμάτινον: ex eo fecere Latini *ſcortiſcum* & *ſcordiſcum*; quod Glottis *ephippium*, quia illud è pellibus. *Neap.*

630. *Ne exanimata*] Ipſa morticina ſine anima. *Violent*] Contaminent. *Puros*] Caſtos focos.

631. *Si quis amas, &c.*] Si quis es, qui cupias noſcere veteres ceremonias. *Aſſiſte precanti*] Cum Carmenti hic res divina à ſacerdote, ipſi ſacerdoti aſſi-

Nomina percipies non tibi nota prius.
Porrima placatur, Postvertaque, sive sorores,
Sive fugæ comites, Mænali diva, tuæ.
Altera, quod porro fuerat, cecinisse putatur:
Altera venturum postmodo quidquid erat.
Candida te niveo potuit lux proxima templo,
Qua fert sublimes alta Moneta gradus.
Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam:
Nunc te sacratæ restituêre manus.
Furius antiquam populi superator Etrusci
Voverat:

stas, ut audias ejus verba precantia.

633. *Porrima & Postverta*] Quas aliqui sorores, aliqui comites Carmentis putavere. Ideo ipsis simul cum Carmenti res divina fit. Nam *Porrima* dicta est, quod id quod porro, hoc est, longe ante fuerat, caneret: *Postverta*, quod postea venturum esset, prædiceret. Unde dictum est: *Porrima* præteritum canit, & *Postverta* futurum. P. *Porrima placatur*] Nemini, si memini, sic dicta: nam aliis *Prosa*, quibusdam *Prorsa* sive *Anteverta*: alteram Postvertam appellatam omnes consentiunt. Vetus inscriptio: DEO MERCURIO ET POSTVERTÆ C. ANTIUS TITI FILIUS EX VOTO. *Neapol.*

634. *O diva Mænali*] O Carmentis, à Mænalo monte Arcadiæ.

635. *Altera*] Porrima scilicet. *Putatur cecinisse*] Veridica voce dixisse. *Quod porro fuerat*] Quod longe ante fuerat. P. *Altera, quod porro fuerat*] Porrima scilicet, an ideo sic dicta, quod caneret omne præteritum, Postverta vero futurum? melius meo judicio, Varro apud Gellium: Quando igitur contra naturam forte conversi in pedes, brachiis plerumque diductis retineri solent, ægriusque tunc mulieres enituntur; hujus periculi deprecandi caussa aræ statuæ sunt Romæ duabus Carmentibus: quarum una Postverta nominata est, Prosa altera, à recti perversique partus potestate & nomine. *Neapol.*

636. *Altera*] Postverta scil. *Quicquid erit postmodo venturum*] Omnia quæ futura erunt. Sed hoc ideo fictum est quia Carmentis tam futura quam præterita canere solita est.

637. *O candida*] O Concordia. Quam ideo *candidam* appellat, quod pura & sancta sit; quod ciconiæ aves maxima ex parte albæ sub ejus tutela sint. *Lux proxima*] Dies sequens ipsa sacra Carmentis. *Posuit te templo niveo*] Templo marmoreo, quod eo die tibi consecratum est. Qua alta Moneta, excelsum Junonis Monetæ templum: quod erat in ea parte Capitolii, in qua fuerat domus M. Manlii Capitolini. P. *Posuit lux proxima*] XVII. Kalendas Februarias templum Concordiæ dedicatum.

638. *Qua fert sublimes*] Ostendit situm, inter forum scilicet & Capitolium regione VIII. prope ædem Junonis Monetæ. Dixit *sublimes*, quia ad hanc à templo Concordiæ centum gradibus conscendebatur. *Neapol. Fert sublimes gradus*] Per hypallagen; hoc est, via qua sublimibus gradibus ad Junonem Monetam itur.

639. *Latiam turbam*] Latium populum ad te venientem.

649. *Manus sacra*] Manus pontificum. *Constituere te*] Consecravere tibi templum. P. *Sacrata manus*] Has puto Pontificum, nisi animo fallor. *Constituere manus*] Proba omnino lectio: falso in aliis *restituere*; quo sensu, si primum ædem Concordiæ struxit hic M. Furius Camillus? apage Bersmanne, & quicunque sine pudore sic legis. *Neap.*

641. *Furius*] Camillus: nam M. Furius Camillus dicebatur. *Superator Hetrusci populi* [Qui Vejentes vicit: quoniam hi sunt in Hetruria. P. *Furius antiqui*] Aliquot inest *antiquis*: forte ad discrimen cujusdam Furii junioris, seu verius filii, qui dictu Sp. Furius Camil-

lus,

Voverat: & voti ſolverat ante fidem.
Cauſſa, quod à patribus ſumptis ſeceſſerat armis
Vulgus: & ipſa ſuas Roma timebat opes.
Cauſſa recens melior, paſſos Germania crines
Porrigit auſpiciis, dux venerande, tuis.
Inde triumphatæ libaſti munera gentis,

Tem-

lus, & eo ſedato tumultu primus prætor Romæ creatus. Meus priſcæ editionis codex habet *antiquum*. hoc eſt, olim victor Hetruſci populi rectiſſimé. Penitus reprobo exemplaria, in quibus *antiquam*, fidei epithetum: nam à voto ad initium primi lapidis poſiti ad ſtructuram dies interfuere, non anni, ut ediſces.

642. *Voverat*] Voti cauſam poſtea ſubdam; Votum certius pete è Plutarch. in Camillo, τὸν δὲ βυκινητὰς, inquit, ἀναλαβὼν ἐβάδιζεν ἐπὶ τὴν σύγκλητον, &c. Nec potuit deferri dedicatio ad Tiberii ævum, ut male ſuadet Fanenſis: nam Furius ædem vovit an. cclxxxvi. Tiberius ſuam Concordiæ conſecravit anno Dcclxiv. interſunt an. cclxxviii. *Neapol. Voverat antiquum*] Vetus Concordiæ templum: nam Camilli voto dedicatum. *Fecerat ille fidem*] Quaſi ſervavit, quod voto promiſit.

643. *Cauſa*] Vovendi & dedicandi templi fuit. *Sumptis armis*] Armata plebs diffidebat à patribus, & volebat alterum ex plebe conſulem. P. *Sumptis ſeceſſerat armis vulgus*] Petebat enim, ut non jam duo conſules patritii, ſed alter nobilis, alter è plebe crearetur. Summa fuit hac de re diſſenſio, ſed obtinuit vulgus. Vide Livium lib. VI. *Prope ad ſeceſſionem plebis res, &c.*] Factus igitur è plebe Conſul L. Sextus, datus ei è patritiis collega L. Æmilius Mamercus: contigit id anno cclxxxvii. de quo & Livius lib. VII. *Annus hic erit inſignis novi hominis conſulatu, &c.* In Livio vero nulla mentio templi, ſed ob redactos in concordiam Ordines, ludos, inquit, magnos decretos, feriiſque Latinis diem unum ad triduum additum; quod non ſiluit Plutarchus in Camillo.

644. *Roma timebat opes*] Forte alluſit ad leges, quas Tribuni pleb. tunc promulgarunt adverſus bona patritiorum pro vulgi commodis: tres fuere, & hæc una de ære alieno, ut deducto eo de capite quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet triennio æquis portionibus perſolveretur: altera de modo agrorum, ne quis plus quingenta jugera agri poſſideret: tertia, ne Tribunorum militum Comitia fierent, Conſulumque utiq; alter è plebe crearetur: hanc lucem quoque Livio debemus. *Neapol. Et ipſa Roma timebat ſuas opes*] Suas vires, ſeu ſuum populum opulentum, & Gallorum præda ditatum, & victoria quoque elatum.

645. *Cauſſa recens*] Nova, quaſi noſtri temporis. *Melior*] Quam fuerit illa Camilli: nam illa propter diſſidentem plebem, hæc pro ſubacta Germania, & pace terra marique parta. *Paul. Cauſſa recens melior*] Mentio nunc fit de novo templo Concordiæ; ni melius de veteri aliquo refecto, quod dedicavit Tiberius, non ob populi diſſentionem, ſed ob devictum Illyricum, & auctas Romanas opes. *Sparſos Germania crines corrigit*] Id eſt, tu in cauſſa (ſubvereor ut fallar) ne eæ gentes vires propagarent: nam perdomito toto Illyrico, Germanos jungi Pannoniis non ſiviſti, qui animos ſumpſerant ob mortem Quintilii Vari & ejuſdem deletas tres legiones. *Quas ob res*, inquit Suetonius, *triumphus ei decretus eſt, multique & magni honores*, &c. Triumphus tamen ille non ſtatim, ſed biennio præterito celebratus: ea enim tempeſtate urbs tota clade Variana affligebatur. *Neap.*

646. *Dux venerande*] Apoſtrophe eſt ad Tiberium. *Ducem* eum appellat, per excellentiam. *Corrigit*] Comprimit. *Tuis auſpiciis*] Tuo ductu & imperio.

647. *Inde*] Ex eo. *Libaſti*] Libanda dediſti. *Munera gentis triumphata*] De qua triumphum egiſti: & quæ ex præda populo

Templaque feciſti, quam colis ipſe, deæ.
Hæc tua conſtituit genetrix, & rebus & ara
Sola toro magni digna reperta Jovis.
Hæc tibi tranſierint; Capricorno Phœbe relicto:
Per juvenis curres ſigna gerentis aquam.
Septimus hinc Oriens cum ſe demerſerit undis;
Fulgebit toto jam Lyra nulla polo.
Sidere ab hoc, ignis, venienti nocte, Leonis
Qui micat in medio pectore, merſus erit.

Ter

populo dedit. *Paul. Libaſti munera, &c.*] Ex hiſtoricis, qui aiunt, prandium mille menſis, & congiarium trecenos nummos viritim dediſſe ex manubiis hoſticis. *N.*

648. *Dea*] Concordiæ. *Quam tu ipſe colis*] Quam veneraris, & cujus feſta celebras. *Paul. Templaque feciſti*] Vide Dionem Caſſium lib. LVI. & Sueton. in Tiberio: *Dedicavit & Concordiæ ædem, item Pollucis & Caſtoris, ſuo fratriſque nomine de manubiis.* Ex his novâ operâ id Templum à Tiberio extructum nondum elicio: nam licet inſerat Hiſtoricus *de manubiis*, impenſas quoque ſcio permultas in dedicatione ædium ſacrarum neceſſarias fuiſſe. Verum omne ſcrupulum tollit Caſſius lib. LV. *Tiberius*, inquit, *Kalendis Januariis, quibus Conſulatum inivit cum Cn. Piſone, in Octavii curiam (hæc enim erat extra pomerium) convocato ſenatu, fanum Concordiæ ſibimet ipſi reficiendum injunxit; ut ſuo id & Druſi nomine inſcriberet.* Id vero ut vides, peregit Tiberius poſt annos xvii illius victoriæ occaſione.

649. *Et rebus & ara*] Partem refectionis Liviæ matri noſter attribuit. *N. Tua genitrix*] Livia Druſilla: quam Auguſtus matrimonio Tiberii Neronis, & quidem prægnantem abduxit, dilexitque, & probavit unicè ac perſeveranter. *Et rebus*] Ad rem ſcilicet divinam facientibus: aut quia re ipſa concors cum viro ſemper vixerit, voluit etiam Concordiæ ædem conſtituere. *Et ara*] In qua ſacra fierent, aut ipſa conſecratione.

650. *Sola*] Livia. *Digna toro*] Matrimonio. *Magni Jovis*] Auguſti, quem Jovi comparat. Nam jam relatus in deos. *P. Toro digna, &c.*] Eandem pari adulatione proſequitur lib. II. Triſt. Elegia prima. *Magni Jovis*] Antiquos Cæſares Deos & Joves appellatos, quis non audivit? ipſimet ſuas domos *divinas* dixere.

651. *Hæc ubi tranſierint*] XVI. Kalendas Februarias noſtro eſt Solis tranſitus in Aquarium, ut & Plinio: ſic enim ille lib. XVIII. cap. XXVI. *Et cum Sol in Aquarium ſentitur tranſire, quod fere XVI. Kalend. Febr. evenit.* Ptolemæo XVII. Cum hoc ſigno quantum Zodiacus emergat, vide apud Hipparchum lib. III. ad Arati & Eudoxi Phænomena. *N. Hæc*] Concordiæ feſta. *Tranſierint*] Quaſi die ſequenti. *O Phœbe*] O Sol. *Relicto Capricorno*] Cum jam Capricornus antecceſſerit.

652. *Curres*] Currere incipies. *Per ſigna juvenis regentis aquam*] Per ſigna Aquarii.

653. *Septimus hinc*] Hoc eſt, 23 die Januarii, Lyra incipit occidere. *Hinc*] Ab hoc ingreſſu ſolis in Aquarium. *Septimus oriens*] Sol ſcilicet. *Cum demiſerit ſe undis*] Cum occidet. *P. Septimus hinc oriens*] X. Kalendas Lyra occidit occaſu heliaco. *Neapol.*

654. *Jam nulla Lyra fulget*] Quaſi non tota Lyra fulgebit in cœlo. Nam pluribus ex ſtellis conſtat.

655. *Sidere ab hoc*] Quaſi poſt occaſum hujus partis Lyræ. *Nocte venienti*] Nocte inſequenti. *Ignis*] Ignita & lucida ſtella regia. *Paul. Sidere ab hoc ignis*] IX. Kalendas clara ſtella in pectore Leonis occidit: accipe de occaſu coſmico. Columella ſcribit die Januarii XXVII. immergi. *Neapol.*

656. *Qui micat*] Lucet in medio pectore Leonis. *Erit merſus*] Jam occiderit.

657. Ter

Ter quater evolvi ſignantes tempora faſtos ;
Nec ſementina eſt ulla reperta dies :
Cum mihi (ſenſit enim) lux hæc indicitur, inquit,
Muſa quid à faſtis non ſtata ſacra petis ?
Utque dies incerta ſacris, ſic tempora certa
Seminibus jactis eſt ubi fœtus ager ;
State coronati plenum ad præſepe juvenci,
Dum tepido veſtrum vere redibit opus.
Villicus emeritum palo ſuſpendat aratrum :

Omne

657. *Ter quater evolvi, &c.*] Evolverat Poëta Faſtorum libros, nec invenire potuit diem ſementinam. Sed admonitus eſt, ſtatas non eſſe ferias. *Evolvi*] Evolvendo legi. *Ter quater*] Pluries. *Faſtos*] Faſtorum libros. *Signantes tempora*] In quibus ſignata & deſcripta ſunt tempora, & omnia quæ quibuſque temporibus fiunt.

658. *Nec reperta eſt ulla dies ſementina*] Non Junoni diem ſementi ſacram. *Paul. Nec ſementina, &c.*] Qui poteras, ſi ſementinæ feriæ ſunt è conceptivis? Macrob. 1. Saturnal. *Et ſunt ſtativa univerſi populi communes certis & conſtitutis dielus ac menſibus, & in faſtis ſtatis obſervationibus annotata : in quibus præcipue ſervantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptivæ ſunt, quæ quotannis à Magiſtratibus vel Sacerdotibus concipiuntur in dies vel certos, vel etiam incertos; ut ſunt Latina, Paganalia, Sementina, Compitalia. Imperativæ ſunt, quas Conſules vel Prætores pro arbitrio poteſtatis indicunt. Nundinæ ſunt paganorum, itemque ruſticorum, quibus conveniunt negotiis propriis vel mercibus proviſuri. Sunt præterea feria familiarum propriæ, ut Claudia familiæ vel Æmiliæ, &c.* Neap.

659. *Hæc lux*] Sementina. *Indicitur*] A ſacerdotibus ſcilicet, vel à magiſtratibus, cum ſint feriæ conceptivæ.

660. *Quid petis à Faſtis*] Quid requiris in Faſtorum libris ? *Sacra non ſtata*] Quæ non ſunt fixa & certa conſtitutis diebus.

661. *Incerta*] Quia conceptiva. *Sic tempore certo*] Fit ſacrum ſementinum. *P. Sic tempore certo*] Semen ubi jactum : à quo inditum diei nomen. Varro : *Sementina feria dies is qui à Pontificibus dictus, appellatus à ſemente, quod ſationis cauſa ſuſcepta.* Neap.

662. *Ager eſt fœtus*] Gravidus. *Seminibus jactis*] Poſtquam ſunt jacta & condita ſolo ſemina, tunc erunt feriæ ſementinæ. Quod quidem fit vel celerius, vel ſerius, pro qualitate temporis & regionum. Jacto ergo ſemine, dies indicitur. Antiqui autem deam *Seriam*, à ſerendo : *Segeſtam* à ſegetibus appellabant.

663. *State coronati, &c.*] Poſt peractam ſementem erit per hyemem à labore ruſtico vacandum, danda eſt tam bobus quam colonis quies, nec terra proſcindenda : noxia enim eſt hyberna glacies proſciſſæ nuper terræ. *State ad plenum præſepe*] Jam ſtantes mandite & requieſcite. *Paul. State coronati*] Putavi olim pro vincire hic *coronare* intelligendum ; quaſi, State vincti ad præſepe : moris erant inſcius, ex quo boves feriis ſerto fuſo per cornua, labore vacabant. Vide Tibull. lib. II. Elegia prima. Membranæ quædam habent, *vertice ſtare boves.*

664. *Vere redibit opus*] Vide Maronem 1. Georg. *Vere novo, gelidus canis*, &c. Uni & alteri vati lux erit à Columella lib. 11. cap. 11. de Re ruſtica. *N. Veſtrum opus*] Veſter labor. *Redibit cum tepido vere*] Verno tempore erit ad arva proſcindenda redeundum.

665. *Villicus ſuſpendat palo*] Alte ad palum ligat. *Aratrum emeritum*] Tranſlatio, à militibus, qui cum emeriti ſunt, vacationem habent. *P. Palo ſuſpendit aratrum*] Palix hic idem quod κάλαξ. *Aratrum*] Hoc, & inſtrumenta alia, ſi operi ruſtico jam uſui eſſe non poterant, in triviis collocabantur. Ratio apud Scholiaſt. A. Perſii ad illud Sat. IV. *peruſta*

Omne reformidat frigida vulnus humus.
Villice da requiem terræ, ſemente peracta:
Da requiem, terram qui coluêre, viris.
Pagus agat feſtum: pagum luſtrate coloni,
Et date paganis annua liba focis.
Placentur frugum matres, Telluſque Cereſque,
Farre ſuo, gravidæ viſceribuſque ſuis.
Officium commune Ceres & Terra tuentur.
Hæc præbet cauſam frugibus; illa locum.
Conſortes operum, per quas correcta vetuſtas,

Querna-

tuſa complta; in his: *Facta juga ab agricolis ponuntur velut ab emeritis, quod eſt elaborati operis indicium; ſive quod omne inſtrumentum exiſtimant ſacrum.* Neapol.

666. *Reformidat omne vulnus frigore*] Timet omnem per hyberna frigora proſciſſionem.

667. *Villice*] Tu qui præes pago, & curæ totius rei ruſticæ. *Da requiem viris*] Sine etiam colonos requieſcere. *P. Villice da requiem, &c.*] Apte præcipit villico, ſinat otiari familiam poſt jactam ſementem: nam id villici erat munus, qui cuncto operi ruſtico præerat; unde *villicari*, villæ præeſſe dixerunt veteres. Comperi etiam *villicum* pro quolibet cuſtode ſeu præfecto à Poëtis receptum. *Semente peracta*] Sparſo frumento ſequebatur ultima aratio; poſt hanc longa quies terris. In ea aratione boves *lirare* dicebantur, ut in aliis *proſcindere* & *offringere* terram. Servius: *Cum primo agri arantur, quando duri ſunt, proſcindi dicuntur; cum iterantur effringi; cum tertiantur, lirari.* Vide & Varron. lib. 1. de Re ruſtica.

669. *Pagus agat feſtum*] An ob ſementinas ferias? an novi feſti hic mentio, cui nomen fuit *Paganalia*? certe addubito, ſed magis ad Paganalia inclino; quæ poſt ſementinas ferias ſtatim puto concipi ſolita. *Pagum luſtrate*] Accenſis ſuſpicor ſtipulæ acervis, ut in Parilibus. *Neap. Pagus agat feſtum*] Qui in pago ſunt, celebrent ſementinas ferias, & feſta Paganalia. *Luſtrate pagum*] Circuite ſolemni pompa in Sementinis & Paganalibus Feſtis.

670. *Et date annua liba*] Sacrificate quotannis. *Focis paganis*] Aris deorum, qui rura tuentur. *P. Annua liba focis*] Quivis pagus ſuum foculum habebat, ex inſtituto Servii Tullii. Vide Dionyſ. Halicarnaſſ. lib. IV. Ἔτι δὲ καὶ τῶν πλησθύς μὴ θυσιάρχῳ ἀλλ', &c.

671. *Frugum matres*] Ut mos erat in prædicto ſationis feſto. Varro enim, inquit, de R. R. *Sementinis feriis in eadem telluris veneram, rogatus ab aditimo. Cereſque*] Hanc Empandam in Paganalibus ſacris dictam, didicimus ab antiquis. *Neap. Placentur frugum matres, &c.*] In ſementinis & paganalibus feſtis ſacrificandum eſt Terræ, Cererique frugum parentibus, & farre & porca prægnanti. *Farre ſuo*] Quod ipſæ tradunt.

672. *Viſceribus ſuis gravida*] Porcæ prægnantis.

673. *Tuentur officium commune*] Protegunt ſimul agricolationem. Ceres enim jacet ſemina, Tellus recepit: hæc alit, illa curat excutitque matura.

674. *Hæc*] Ceres. *Illa*] Tellus ſcilicet. *Præbet locum*] Nam eſt vas eorum quæ fiunt, & in ea generantur.

675. *Conſortes operum, &c.*] Nunc orationem ad ipſas frugum deas vertit, ut & agricolas fructibus exſaturent, &c. *O Conſortes*] O Ceres, ô Tellus, quæ in agris eandem geritis ſortem. *Per quas vetuſtas eſt correcta*] Quaſi quæ rudem vetuſtatem, & ſylveſtrem cultum ad civilem uſum redegiſtis. P. *Conſortes operum*] Gloſſæ, *Conſortes*, κοινώβιοι, σύγκληροι. N.

676. *Et*

Quernaque glans victa eſt utiliore cibo;
Frugibus immenſis avidos ſatiate colonos,
Ut capiant cultus præmia digna ſui.
Vos date perpetuos teneris ſementibus auctus:
Nec nova per gelidas uſta ſit herba nives.
Cum ſerimus; cœlum ventis aperite ſerenis:
Cum latet; ætherea ſpargite ſemen aqua.
Neve graves cultis, Cerealia dona, cavete,
Agmine læſuro depopulentur aves.
Vos quoque ſubjectis formicæ parcite granis:
Poſt meſſem prædæ copia major erit.
Interea creſcat ſcabræ rubiginis expers,
Nec vitio cœli palleat ægra ſeges.
Et neque deficiat macie; neque pinguior æquo
Divitiis pereat luxurioſa ſuis.
Et careant loliis oculos vitiantibus agri,

Nec

676. *Et querna glans*] Qua prius homines veſcebantur. *Eſt victa*] Ceſſit frumento, qui ſuavior & utilior fuit cibus.

677. *Immenſis frugibus*] Ingenti fructuum copia.

678. *Ut capiant*] Recipiant. *Præmia ſui cultus*] Præmia convenientia ſuo labori in re ruſtica.

679. *Perpetuum auctum*] Continuatum incrementum uſque ad maturitatem. *Teneris ſementibus*] Dum in teneris herbis ſunt ſemina.

680. *Ne herba nova*] Tenella, aut nuper nata. *Sit uſta per gelidas nives*] Ne nimio rigore nivium aut pruinæ peruratur.

681. *Aperite Cœlum*] Pellite nubes, quæ cœlum nobis claudunt. *Ventis ſerenis*] Serenitatem inducentibus.

682. *Cum latet ſemen*] Poſteaquam ſatum eſt, & ſemen latet intra terram. *Spargite aqua ætherea*] Pluvia; antequam emergant.

683. *Ne aves graves cultis*] Moleſtæ ipſis ſatis. *Dona Cerealia*] Ipſa ſemina.

684. *Agmine laſuro*] Turba agrum prædatura. Ergo depellite avium agmina agrum populantia. *Depopulentur*] Deripiant.

685. *Vos quoque ſubjectis, &c.*] Apoſtrophe ad formicas, ut nolint ſemina ſolo injecta depopulare, expectant meſſem. *Parcite ſubjectis granis*] Nolite attingere grana, quæ ſolo credita & ſubjecta ſunt: nam tenuis eſſet illa vobis præda. *Major copia prædæ*] Major abundantia deprædandi frumenti.

686. *Poſt meſſem*] Poſt excuſſum è paleis frumentum.

487. *Interea creſcat, &c.*] Creſcant ſegetes ſine ulla rubigine. *Scabra rubiginis*] Quaſi ſine ulla aſperæ rubiginis læſione. Provenit enim *rubigo* ex calore ſolis, cum adurit madefactos aquis culmos. *Paul. Scabra rubiginis*] *Scabrum* eſt quodcumque aſperum. *Scabra ſaxa*, dixere Latini impolita. Barbarum & impexum hominem vocat etiam *ſcabrum*. Flaccus Epiſt. VII. libri primi. *Neapol.*

688. *Nec ulla ſeges palleat*] Pallorem contrahat. *Vitio cœli*] Aeris intemperie, vel pruinis, vel nimiis caloribus.

689. *Et neque deficiat, &c.*] Non ſit ſterilis ſeges, neque nimium pinguis, cujus quidem luxuria eſſet reprimenda, more Virgiliano. *Deficiat*] Ipſa ſeges. *Macie*] Et tenuitate, & ſteriliſtate.

690. *Pinguior æquo*] Plus quam ſatis ſit. *Luxurioſa*] Seges nimium pinguis. *Divitiis*] Pinguedini.

691. *Et careant loliis, &c.*] Non naſcatur in agro lolium, non avena: quo-

Nec ſterilis culto ſurgat avena ſolo.
Triticeos fœtus paſſuraque farra bis ignem,
Hordeaque ingenti fœnore reddat ager.
Hæc ego pro vobis, hæc vos optate coloni:
Efficiatque ratas utraque diva preces.
Bella diu tenuêre viros. erat aptior enſis
Vomere: cedebat taurus arator equo,
Sarcula ceſſabant, verſique in pila ligones,
Factaque de raſtri pondere caſſis erat.
Gratia dis, domuique tuæ: religata catenis
Jam pridem noſtro ſub pede bella jacent.
Sub jugo bos veniat: ſub terras ſemen aratas,
Pax Cererem nutrix: pacis alumna Ceres.
At quæ venturas præcedet ſexta Kalendas,

Hac

niam hæ ſunt perniciosæ peſtes ſegeti. *Vitiantibus oculos*] Hebetantibus viſum. *Paul. Oculos vitiantibus*] Plautus in milite glorioſo Act. II. Scen. III. Sc. *Mirum eſt lolio vigilare te, tam vili tritico.* PA. *Quid jam?* Sc. *Quia luſcitioſus.*

692. *Surgat avena*] Dixit ſterilem, quemadmodum vates: *& ſteriles dominantur avenæ*; ut diſcernant à ſativa. Græci *ſterilem* dicunt ἀιγίλωπα & στόαχυον. *Lolium* quoque ut vides, numeratur inter frumenti vitia: iiſdem ἢ αἶρα. *Neapol. Nec avena ſterilis*] Ab effectu, cum faciat ſterilem agrum. *Surgat ſolo culto*] In agro exculto.

693. *Triticeos fœtus, &c.*] Proveniat ex agris magna tritici, farris, & hordei abundantia. *Fœtus triticeos*] Triticum ipſum. *Et farra paſſura bis ignem*] Quæ bis torrentur: primum, cum relatum erit in horrea: deinde in ſacris, ſive in cibis. *Paul. Paſſuraque farra*] Nam primo far veteres torrebant; deinde ſub mola in farinam redactum, pane jam facto, coquebatur iterum in furnis; ſic *bis toſtum* alibi Naſo meus appellat. *Neapol.*

694. *Ingenti fœnore*] Quaſi multo majore copia, quam acceperit.

696. *Utraque diva*] Ceres & Tellus. *Efficiat*] Fumas: ducat ad effectum, quicquid nos & vos ſimul precamur.

697. *Bella diu tenuêre viros*] Diu fuere viri in armis, præſertim civilibus, occupati. *Enſis erat aptior vomere*] Accommodatior erat enſis ad bella, quam eſſet vomer, quo terra aratur: imo & vomer vertebatur in enſem.

698. *Arator*] Terræ proſciſſor. *Cedebat equo*] Bellatori.

699. *Ceſſabant*] Ab opere ruſtico. *Sarculum* à ſarriendo, crates eſt illa dentata, quæ ſupertrahitur ſatis. *Et ligones*] Quibus terra effoditur. *In pila*] Tela Romana. *Paul. Verſique in pila ligones*] Pilum fuit Romanorum antiquum & vetus armamentum. De quo vide quæ ad Polybium notavit Lipſius lib. III. Militiæ Dial. 4. *Neapol.*

700. *Et caſſis*] Galea. *De pondere raſtri*] De raſtro ferreo ponderoſo.

701. *Religata catenis*] Quaſi dicat, Bella jam ſedata. *Sub veſtro pede*] Quia ſubegiſtis & peſſumdediſtis hoſtes, & rebelles omnes bellum inferentes. *Paul.*

702. *Jampridem*] Hoc & illud ſupra, *Bella diu tenuêre viros*, videntur denotare cauſam bellorum poſt victoriam Actiacam, quæ incidit in IV. Nonas Septembris. *Neapol.*

703. *Veniat bos ſub juga*] Ligentur jam ad jugum boves, & aratum redeant. *Semen veniat*] Fiat ſementis, ſerantur arva.

704. *Ceres alumna pacis*] Nam & ipſa à pace nutritur. *Paul. Pacis alumna Ceres*] Non abeunt hinc iſta Albii Tibulli, ex Elegia ultima libri primi.

705. *At quæ venturas*] VI Kalendas Februarias dicata Caſtorum ædes. *Neap.*

At

Hãc ſunt Ledæis templa dicata deis.
Fratribus illa deis, fratres de gente deorum
Circa Juturnæ compoſuêre lacus.
Ipſum nos carmen deduxit Pacis ad aram.
Hæc erit à menſis fine ſecunda dies.
Frondibus Actiacis compos redimita capillos
Pax ades: & toto mitis in orbe mane.
Dum deſint hoſtes, deſit quoque cauſſa triumphi.
Tu ducibus bello gloria major eris.
Sola gerat miles, quibus arma coërceat, arma:
Canteturque fera, nil niſi pompa, tuba.

Horreat

At ſexta] Dies ſcilicet. *Qua præcedit Kalendas venturas*] Hoc eſt, Kalendas Februarias, & ſignificat vigeſimum ſeptimum diem Januarii.

706. *Deis Ledæis*] Caſtori & Polluci Ledæ filiis.

707. *Illa dies fratribus*] Caſtori & Polluci ſacra eſt: tunc enim eſt eorum feſtum. *Fratres*] Tiberius & Druſus. non quod ambo ſimul dedicaverint, ſed quod Tiberius ipſe ſuo & fratris nomine dedicarit. *Paul. Fratribus ille deis*] MSS. leg. *Fratribus illa dies. Fratres de gente deorum*] Intellige Tiberium & Druſum. Vide Dionem lib. IV. ſub annum Dcclix. Sueton. lib. III. Dio Caſſius dedicatione hanc rejecit ad annum Dcclxix. *Neapol. Fratribus ille deis &c.*] Legendum, *Fratribus illa deis, fratres de gente deorum, &c.* ut ſit ſenſus, Fratres de gente deorum, hoc eſt, Tiberius & Druſus, ex gente deorum Julii & Auguſti Cæſarum, conſtituêre illa, ſcilicet templa, Fratribus deis, ſive diis, Caſtori & Polluci. *Mlcyl.*

708. *Circa Juturna*] In regione VIII. Pub. Victor in eadem: *Templum Caſtorum ad lacum Juturnæ.* Neapol. *Compoſuêre*] Ea templa ſcilicet.

709. *Ipſum nos carmen, &c.*] Trigeſimo die Januarii erit feſtum Pacis. Invocat igitur, & orat illam, ut diutiùs in orbe maneat, ne magis bella gerantur, niſi ad propulſandam, non ad inferendam injuriam. *Deduxit ad aram*] Quia nunc pacis meminimus. Et ad finem libri & menſis properamus, ipſa opportunitate ad templum Pacis venimus, & feſtum, quo fiunt illi ſacrâ. *Ad aram*] Ad templum. *Paul. Deduxit pacis ad aram*] Quæ ſita in regione urbis XIV. Magnum diſcrimen inter aram & templum.

710. *A menſis fine ſecunda dies*] Trigeſima ergo Januarii ad aræ pacalis ſacrificia aſſignata. *Neapol. Hæc dies*] Pacis. *Erit ſecunda à fine menſis*] Secunda ab ultimo die Januarii, retro numerando. Sic erit penultimus dies.

711. *Frondibus Actiacis*] Corona victrici & triumphali. Ab Actio promontorio Epiri, apud quod Cæſar Octavius Antonium & Cleopatram fudit, poſt quam victoriam Janum Quirinum cluſit. *Protinus & totum pax alma effuſa per orbem.*

713. *Dum deſunt hoſtes*] Dum non eſt hoſtis, qui in Romanos gerat arma. *Deſit quoque cauſſa triumphi*] Quaſi nec à Romanis bellum geratur, ſpe triumphi.

714. *Tu*] Pax. *Major gloria bello*] Quia major ex pace quam ex bello gloria comparatur. *Paul.*

715. *Quibus arma coërceat arma*] Id belli genus exoptat, quod ſolum ad medelam propulſandæ injuriæ. *Juſtum bellum*, inquit Livius, *quibus neceſſarium; & pia arma, quibus nulla niſi in armis relinquitur ſpes.* Neapol.

716. *Nil canteturfera turba, niſi pompa*] Non crepitent tubarum clangores ad incendendos ad pugnam animos, ſed ad exhibendam ludorum pompam, & ad ſupplicationes.

Horreat Æneadas & primus & ultimus orbis:
Si qua parum Romam terra timebit; amet.
Thura, ſacerdotes, pacalibus addite flammis,
Albaque percuſſa victima fronte cadat.
Utque domus, quæ præſtat eam, cum pace perennet,
Ad pia propenſos vota rogate deos.
Sed jam prima mei pars eſt exacta laboris,
Cumque ſuo finem menſe libellus habet.

717. *Et primus & ultimus orbis*] Oriens & Occidens. *Æneadas*] Romanos ab Æneа progenitos.

718. *Si qua terra parum timebit*] Ut ſunt remotiſſimæ gentes Indi & Scythæ. *Amet*] Sit Romanorum amica: ut iidem fuere, qui in amicitiam recepti ſunt.

719. *Thura, ſacerdotes, &c.*] O ſacerdotes, addite thura, & ponite, & adolete. *Flammis pacalibus*] Aris & ignibus pacis.

720. *Et cadat victima alba*] Immolatur Pacī pecus alba. *Fronte percuſſa*] Mero ſcilicet, ut moris eſt.

722. *Ad pia vota*] Quaſi qui pia vota & caſtas preces exaudiunt. *Ut perennet*] Perpetuet. *Qua domus*] Auguſta. *Præſtat eam*] Pacem humano generi.

723. *Sed jam pars prima noſtri laboris*] Primus Faſtorum liber. *Eſt exacta*] Quaſi eſt deductus ad finem.

724. *Habet finem cum ſuo menſe*] Quia jam perfecimus primum librum, & rationem primi menſis, qui eſt Jano dicatus. *Paul.*

P. OVIDII NASONIS
FASTORUM
LIBER II.

JAnus habet finem, cum carmine creſcat & annus,
Alter ut it menſis; ſic liber alter eat.
Nunc primum velis, elegi, majoribus itis:

Exiguum

Janus habet finem, &c.] Numa, cum anno Romuli duos addidiſſet menſes, primum Januarium nuncupavit. Secundum Februarium vocavit Februo deo dicatum, qui luſtrationum potens creditur, ultimumque anni eſſe volunt. *Janus*] Hoc eſt, menſis Jano dicatus. *Habet finem*] Quia abſolutus eſt. *Creſcat & annus cum carmine*] Creſcat annus per additionem menſium, & carmina, in quibus de menſibus agetur.

2. *Ut it alter menſis*] Secundus ſcilicet. Sic eat alter liber, quo ſecundus ipſe menſis deſcribatur.

3. *Elegi, nunc primum*] Quaſi non antehac, ſed nunc primum. *Itis velis majori-*

Exiguum memini nuper eratis opus.
Ipſe ego vos habui faciles in amore miniſtros,
Cum luſit numeris prima juventa ſuis.
Idem ſacra cano: ſignataque tempora faſtis.
Ecquis ad hæc illinc crederet eſſe viam?
Hæc mea militia eſt: ferimus, quæ poſſumus, arma;
Dextraque non omni munere noſtra vacat.
Si mihi non valido torquentur pila lacerto,
Nec bellatoris terga premuntur equi,
Nec galea tegimur, nec acuto cingimur enſe;
(His habilis telis quilibet eſſe poteſt.)
At tuo proſequimur ſtudioſo pectore Cæſar
Nomina: per titulos ingredimurque tuos:
Ergo ades, & placido paulum mea munera vultu
Reſpice; pacando ſiquid ab hoſte vacas.
Februa Romani dixêre piamina patres:

Huic

majoribus] Sublimiore ſtilo, per tranſlationem. *Paul. Nunc primum velis*] Recta lectio: *Jam primum velis.* Neapol.

4. *Nuper opus exiguum*] Exigua materia: quia leviori ſtilo canebantur. At nunc magna canitis, verba ſententiis accommodando.

5. *Ipſe ego vos habui, &c.*] Elegias de amoribus multas ſcripſerat. *Vos*] Elegos ſcilicet. *Paul. In amore miniſtros*] Adludit ad opus illud nequiſſimum. *Neap.*

6. *Luſit numeris*] Quaſi dicat: Cum ea luderem, quæ juvenes non dedecebant.

7. *Idem ſacra cano, &c.*] Omnia ad religionem facientia. *Et tempora ſignata*] Deſcripta. *Faſtis*] In Faſtorum libris.

8. *Et quis illinc*] Ex ipſa re amatoria. *Eſſe viam ad hæc*] Sacra ſcilicet, & tempora deſcribenda.

9. *Hæc mea militia eſt*] Trahit ſua quemque voluptas. *Mea militia*] Poëticè ſcilicet, & ſacra canere. *Arma quæ poſſumus*] Ac ſi diceret, Calami ſunt mihi pro haſtis bellicis.

10. *Dextra noſtra non vacat omni munere*] Omni officio: immo aliquod munus affert: tractat calamos, quibus ad ſcribendum utitur.

11. *Si mihi non, &c.*] Ut magis laborem ſuum Germanico commendaret, per longum hyperbaton inquit: Si à me non tractantur arma, &c. canimus tamen Cæſareum nomen, & tuas laudes & dignitatem celebramus; ac ſi dicere velit: Illa à multis fieri poſſunt, hæc autem à paucis. *Si pila*] Pilum genus teli. *Non torquentur*] Non torquendo emittuntur. *Mihi*] A me. *Valido lacerto*] Forti & robuſto brachio.

14. *His telis*] Ac ſi dicere velit, Carminibus tamen quilibet eſſe habilis non poteſt.

15. *Ac ô Cæſar*] Germanice. *Proſequimur*] Scribendo. *Studioſo pectore*] Officioſo. *Per tuos titulos*] Immo per tuas laudes.

17. *Ergo ades, &c.*] Cæſaris Germanici benignitatem implorat, ut hæc tranquillo animo munera reſpiciat, ſi quid otii in bellis ſupereſt. *Ergo ades*] Fave.

19. *Februa Romani dixere*] Ubi favorem Germanici imploravit, rem ipſam aggreditur. *Februa* piamina eſſe dicit. *Piamina*] Purgationes, luſtrationes. *Paul. Februa Romani dixêre piacula*] M. Varro lib. 5. de L. L. *Rex cum feriis menſtruas Nonis Februariis edicit, hunc diem Februatum appellat. Februum Sabinis purgamentum, & id in ſacris noſtris verbum: nam & Lupercalia Februario, ut in antiquitatum libris demonſtravi.* Vide & Plutarch. in Numa. *Neapol.*

20. *Verbo*

Huic quoque dant verbo plurima ſigna fidem:
Pontifices ab rege petunt & flamine lanas,
Queis veteri lingua Februa nomen erat.
Quæque capit lictor domibus purgamina acernis,
Torrida cum mica farra, vocantur idem.
Nomen idem ramo; qui cæſus ab arbore pura,
Caſta ſacerdotum tempora fronde tegit.
Ipſe ego Flaminicam poſcentem Februa vidi:
Februa poſcenti pinea virga data eſt.
Denique quodcumque eſt, quo pectora noſtra piamur,
Hoc apud intonſos nomen habebat avos.

Menſis

20. *Verbo huic, &c.*] Scilicet Februorum.

21. *Pontifices ab, &c.*] Cum capellæ per lupercos mactarentur gemini adoleſcentes præclari ſanguinolento gladio fœdatam ſibi faciem attingebant. Alii ilico cum lana lacte madida accurrebant, atque abſtergebant ſanguinem. Ergo inde expurgationibus lanæ uſus erat. *Pontifices petunt lanas*] Ad expurgationem ſcilicet. *A rege*] A rege ſacrificulo. *Et flamine*] Sacerdote. *Paul. Pontifices à rege petunt*] Hoc eſt, ſacrificulo: pari modo dictum ab antiquis, ſine adjectione ulla ſacrorum, vidiſti ex loco citato Varronis; cui Tullium addimus. *Cum ex collegio*, inquit, *tanto non regem, non flaminem, non pontificem videret*: & alibi: *Diſcite pontifices, vos flamines, etiam tu rex diſce*. Id ſacerdotium L. Brutus Conſul anno poſt exactos Reges ſacris addidit: cauſam inſtitutionis pete à Dionyſ. lib. V. ibi deſcribitur quis primus illud exercuerit, imo etiam munus. Præerat ſacris omnibus, non vero cuivis ſacro miniſtro: oſtendit Liv. lib. 11. *Regem*, inquit, *ſacrificulum creant: id ſacerdotium Pontifici ſubjecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret*. Ejus uxor erat regina ſacrorum. *Et flamine lanas*] Has igitur petebant Pontifices à rege ſacrificulo & flamine Diali: ſuſpicor eas fuiſſe rufi coloris. Vide Clem. Alexandrin. Stromat. lib. VII. *Neapol.*

22. *Queis*] Pro, quibus lanis.

23. *Quæque capit lictor, &c.*] Lictor, conſulis miniſter eſt, & proconſulis, & prætoris, qui faſcem virgarum alligatum ſecuri portabat. Hic vel quod ligaret, vel quod plecteret merentes, ſingulis in expiationem annis quaſdam pultes ex farre & ſale accipiebat. Hæc etiam *Februa* appellabantur. *Paul. Quæque capit lictor*] Sed flaminius; de quo Feſtus: *Flaminius lictor eſt, qui flamini Diali ſacrorum causâ præſto eſt*. Neap. *Domibus certis*] Locis deputatis.

24. *Cum*] Salis ſcilicet. *Vocantur*] Februa.

25. *Nomen idem ramo, &c.*] Idem etiam vocatur & ex lauro ramus, quo ſacerdotes expiaturi coronabantur. *Idem nomen*] Februa ſcilicet. *Ab arbore pura*] Non violata. P. *Qui cæſus ab arbore pura*] Quis ambigat, quin arbor pura ſit ipſiſſima pinus? nam paulo poſt dicit: *Februa poſcenti pinea virga data eſt*. Quin ad conciliandam caſtitatem Theſmophoriazuſæ hujus foliis cubitus ſibi ſternebant. vide Stephan. *Neapol.*

27. *Vidi ipſe ego flaminicam*] Hoc eſt, flaminis miniſtram. *P. Ipſe ego flaminicam*] Flaminis conjugem: quam & *flaminam* comperi dictam. Verum ſcito non legi in omnibus libris *flaminicam*: in meo eſt *flaminiam*, id eſt, ſacerdotulam, quæ Diali præminiſtrabat. Joſeph. Scaliger mavult *flaminiâ*, quaſi ab ædibus flaminis. *Neapol.*

28. *Pinea virga*] Ramus ex pinu.

29. *Denique quodcumque eſt, &c.*] Ut aliquando concludat: Denique, inquit, omnia quæ ad expurgationem, à veteribus *Februa* vocabantur. *Piantur*] Expurgantur noſtra corpora.

30. *Intonſos*] Dixit, quia prius non erat uſus tonſionis. P. *Intonſos avos*] Horat.

Menſis ab his dictus: ſecta quia pelle Luperci
Omne ſolum luſtrant; idque piamen habent.
Aut quia placatis ſunt tempora pura ſepulchris,
Tunc cum ferales præteriêre dies.
Omne nefas, omnemque mali purgamine cauſſam
Credebant noſtri tollere poſſe ſenes.
Græcia principium moris dedit. illa nocentes
Impia luſtratos ponere facta putat.
Actoriden Peleus, ipſum quoque Pelea Phoci
Cæde per Hæmonias ſolvit Acaſtus aquas.
Vectam frænatis per inane draconibus Ægeus
Credulus, immerita Phaſida juvit ope.

Amphi-

rat. lib. II. Od. XV. *Non ita Romuli præſcriptum, & intonſi Catonis auſpiciis.*

31. *Secta quia pelle*] De hoc ritu plura nos ad Lupercalia hoc menſe Februario. *Neapol. Menſis ab his, &c.*] Ab his ergo menſis Februarius appellatus eſt, quo Luperci, hoc eſt, Panis ſacerdotes, ſectis caprarum coriis, omnia circumeunt & expurgant. *Ab his*] Luſtrationibus. *Luperci*] Sacerdotis Panis. *Secta pelle*] Secto caprino corio.

32. *Luſtrant*] Circumeunt. *Omne ſolum*] Omnem tellurem. *Habent*] Habent expiationem. *Idque*] Hæc luſtratio.

33. *Aut quia placatis, &c.*] In Februario non ſolum pro viventium expurgatione, ſed etiam pro mortuorum expiatione fiebant ſacrificia: quod niſi factum eſſet, putabant circa ſepulchra errare manes, & ex eo aëris intemperiem, tempeſtates, & peſtilentias oriri. *Aut quia tunc*] Cum ferales dies, id eſt, dies, in quibus fiebant feralia, hoc eſt, ſacra pro mortuis. *Pura*] Hoc eſt, ſine ulla lue, ſerena. *Placatis ſepulchris*] Factis ſacrificiis circa ſepulchra. *Paul.*

34. *Ferales præteriêre dies*] Qui ſunt IX. Kalendas Martias. Vide quæ ad eos notabimus.

35. *Omne nefas, &c.*] Nullum erat nefas, nullum adeo ingens ſcelus, quod veteres expiatione deleri non putarent. *Purgamine cauſſam*] Luſtratione, expiatione.

37. *Græcia principium moris, &c.*] Facilitas hæc expurgandi criminis à Græcis initium ſumſit, qui putabant delinquentes, ubi expurgati eſſent, ab omnibus criminibus abſolvi. *Luſtratos*] Expurgatos. *Ponere facta omnia*] Deponere & delere ſcelera. P. *Græcia principium moris*] Quibus? Romanis: hi fuere Græcorum ſimiæ: & Romanos ab eis accepiſſe fatemur, auctores vero negamus: nam ut Ægyptios omittam, Beroſus apud Joſephum lib. I. Originum à Noë rem repetit: nihil antiquius fere dici poteſt. *Neapol.*

39. *Actoriden Peleus, &c.*] Arguit ab exemplo Græcorum heroum, qui ob patratam cædem expurgati fuere. *Actoriden*] Patroclum Actoris nepotem. *Paul. Actoriden Peleus*] Ob necem Cleſonymi ſeu Æanes, ut auctor Strabo lib. IX. Reliquas fabellas pete ab antiquis Mythicis. *Neapol.*

40. *Per aquas Hæmonias*] Per aquas Theſſalicas. Theſſalia enim Æmonia dicta eſt, ab Æmone Deucalionis filio. *Cæde Phoci*] Occidione fratris ſui, qui Phocus dictus eſt.

41. *Vectam frænatis, &c.*] Medeam intelligit Ætæ Colchorum regis filiam, quæ patrem prodidit, fratrem interemit: Athenas confugit: ab Ægeo Athenarum rege expurgata, & in matrimonium accepta eſt. *Ægeus credulus*] Quia credidit illius ſcelera aqua dilui poſſe. *Vectam per inane*] Per vacuum: hoc eſt, per aërem. *Draconibus frænatis*] Junxerat enim dracones ad currum, quo vecta eſt.

42. *Fovit*] Juvit. *Ope immerita*] Ope quam illa non merebatur. *Phaſida*] Medeam à Phaſi.

43. *Ano-*

Amphiaraïdes Naupactoo Acheloo}
Solvè nefas dixit, ſolvit & ille nefas.
Ah nimium faciles, qui triſtia crimina cædis
Fluminea tolli poſſe putatis aqua!
Sed tamen (antiqui ne neſcius ordinis erres)
Primus, ut eſt, Jani menſis, & ante fuit.
Qui ſequitur Janum, veteris fuit ultimus anni.
Tu quoque ſacrorum, Termine, finis eras.
Primus enim Jani menſis, quia janua prima eſt.
Qui ſacer eſt imis manibus; imus erat.
Poſtmodo creduntur ſpatio diſtantia longo
Tempora bis quini continuaſſe viri.
Principio menſis Phrygiæ contermina matri

Soſpita

43. *Amphiaraïdes*] Alcmæon Amphiarai filius.

44. *Dixit Acheloo ſolve nefas*] Cædis ſcilicet patratæ, quia matrem interfecerat. *Achelous* enim fluvius Acarnanes ab Ætolis dividit.

45. *Ah nimium faciles, &c.*] Arguit illos nimiæ facilitatis, qui cædis crimina putant aquæ aſperſione deleri.

47. *Sed tamen ne tu erres neſcius*] Ne in errore verſeris ignarus. *Ordinis antiqui*] Quem antiqui ſervabant.

48. *Ut menſis Jani*] Hoc eſt, Januarius. *Paul. Et ante fuit*] Τὸ *ante*, cave de Romuleo anno intelligas; ſed de Pompiliano; nam hîc agit de Juliano: nam Romuli annus decimeſtris, & à Martio inchoatus.

49. *Veteris*] Jam vides qua de cauſa probata nobis lib. 1. lectio illa: *Menſibus antiquis addidit ille duos*: Nam Februarius à Numa & imis manibus & intercalationi deputatus, ultimum obtinuit locum, hoc tamen à Græcis diſcrimine: illi confecto ultimo menſe anno intercalcare tempus adjiciebant; Romani poſt XXIII. Februarii, peractis Terminalibus, inſerebant ſuperfluum, quinque deinde reliquos menſis dies poſt ἐμβολισμὸν ſuperaddebant. *Neapol. Ante fuit*] Primus ſcilicet. *Qui ſequitur Janum, &c.*] Februarius vero, qui nunc poſt Januarium eſt, tunc ultimo loco erat, duplici argumento: & quod in fine anni fiebant expurgationes, & quod finis ſacrorum, & Termini feſtum, de quo dicemus ſuo loco.

50. *Tu quoque, ô Termine*] Apoſtrophe ad Terminum. *Erat finis ſacrorum*] Quia in fine anni celebrabatur tuum feſtum, quod tam Annales, quam faſtos claudebat.

51. *Primus enim Jani, &c.*] Ratio, cur Januarius primus, cur Februarius ultimus. Janua eſt primus ingreſſus, & ingreſſus anni.

52. *Qui*] Menſis. *Imis manibus*] Diis inferis: quia in eo fiebant feralia ſacra, ut diximus. *Erat imus*] Ultimus.

53. *Poſtmodo*] Quaſi longe poſt. *Creduntur biſquini*] Hoc eſt, decem. *Viri*] qui poſt conſules creati ſunt. *Longo ſpatio*] Quia Januarius erat primus, ille vero ultimus. Sed ita continuati ſunt, ut poſt Januarium mox Februarius ſequeretur.

54. *Continuaſſe*] Continuum alterum alteri poſuiſſe. *Bis quini continuaſſe viri*] Decem viri ergo ordinem mutaverunt; quique erat duodecimus, primo poſtpoſitus: hujus tamen rei, præter noſtrum, neſcio an alium reperies teſtem.

55. *Principio menſis*] Kalendis Januariis templum Junoni Soſpitæ conſecratum. *Phrygiæ contermina matri*] Ergo extructum in Palatio, ſi matri Idææ vicinum. *Neapol. Principio menſis, &c.*] Calendis Februariis feſtum eſſe deæ Soſpitæ dicunt, cujus templum ipſis etiam calendis ſacratum fuerat: quo vetuſtate collapſo, novum templum juxta ædem Cybelis inſtauratum eſt. *Princi-*

pio

Soſpita delubris dicitur aucta novis.
Nunc ubi ſunt, illis quæ ſunt ſacrata Kalendis
Templa deæ! longâ procubuêre die.
Cætera ne ſimili caderent labefacta ruina,
Cavit ſacrati provida cura Ducis:
Sub quo delubris ſentitur nulla ſenectus.
Nec ſatis eſt homines; obligat ille deos.
Templorum poſitor, templorum ſancte repoſtor,
Sit ſuperis, opto, mutua cura tui.
Dent tibi cœleſtes, quos tu cœleſtibus, annos,
Proque tua maneant in ſtatione domo.
Tunc quoque vicini lucus celebratur Averni;
Qua petit æquoreas advena Tybris aquas.

Ad

pio menſis] In ipſis calendis Februariis. *Soſpita*] Dea. *Contermina*] Vicina, ſeu juncta. *Matri Phrygiæ*] Templo Cybeles, quæ ex Phrygia advecta eſt.

56. *Dicitur aucta*] Inſtaurata, ſeu in altum educta. *Novis delubris*] Novis templis; nam vetera erant collapſa. *Paul. Delubris novis*] Quis auctor hujuſce templi tacet noſter. Pighius lib. X. Annalium, ex nummis cuſis anno DIxix. ſuſpicatur Lucium Portium Licinium Conſulem fuiſſe: Fanenſis ſcribit hoc templum illud eſſe, quod Cn. Cornelius vovit ſub initium belli Inſubrici, de quo Liv. lib. XXII. ſed fallitur: nam iſtud conterminum Matri magnæ locant in Palatio, regione X. Hoc vero Cornelii in foro Olitorio regione XI. Quoniam ergo nihil certi invenimus, ideo facimus locum judicii ſanioris. *Neapol.*

57. *Nunc ubi ſunt*] Quaſi dicat, neſcitur. *Templa deæ*] Soſpitæ ſcilicet. *Quæ ſunt ſacrata*] Dedicata. *Illis Kalendis*] Februarii ſcilicet.

58. *Procubuêre*] Decíderunt, collapſa ſunt. *Longa die*] Hoc eſt, vetuſtate.

59. *Cætera ne ſimili, &c.*] Commendatio Auguſti principis à religione. Nam & nova Soſpitæ templa, & cætera omnia, ne collaberentur, ab ipſo Auguſto cautum eſt. *Ruina ſimili*] Ut reliqua, ob vetuſtatem.

60. *Sacrati ducis*] Auguſti.

61. *Sub quo*] Auguſto ſcilicet. *Nulla ſenectus ſentitur delubris*] Nam ita omnia reparabat, ut nova viderentur.

62. *Nec ſatis eſt*] Ipſi ſcilicet, homines obligare. *Obligat ille deos*] Reddit ſibi deos obligatos, cum & ſtrueret & repararet eorum templa. *P. Obligat ille*] Exercet aperte τέχνην κολακευτικὴν, ut alter ad ſuum Domitianum.

63. *Templorum poſitor*] Juſta laus, imò debita fax erit huic diſticho, locus Suetonii: *Principes viros ſæpe hortatus eſt, ut pro facultate quiſque vel monumentis vel novis, vel refectis & excultis Urbem adornarent: multaque à multis extructa ſunt, &c.* Nec ſolum ſacris, ſed & profanis ædificiis mirum quam deditus. *N. Templorum poſitor, &c.*] Et nova Auguſtus ædificabat templa, & vetera reparabat. Heinſ. leg. *repoſtor.*

64. *Opto ſit mutua cura tui ſuperis*] Id eſt, ut ſic ſuperi tui tuarumque rerum curam gerant.

65. *Cœleſtibus*] Diis. Hoc dicit: Faciant te dii tam diu vivere, quam diu vivent ſeu ſtabunt templa, quæ diis ſuperis conſecraſti.

66. *Pro tua domo*] Pro ſalute tuæ familiæ. *Paul. Maneant*] Excubent. *N.*

67. *Tunc quoque vicini, &c.*] In ipſis Kalendis itur cum pompa, hoc eſt, cum proceſſione, ad Aſylum, quod Romulus conſtituit: ut eo omnes qui tuti eſſe vellent, confugerent, & ab omni eſſent noxa liberi. *Celebratur*] Cum pompa frequentatur.

68. *Qua Tybris advena*] Quia aliunde advenit, ut eſt ex Apenninis montibus, & Hetruria. *Petit æquoreas undas*] Quaſi

Ad penetrale Numæ, Capitolinumque tonantem,
Inque Jovis ſumma cæditur arce bidens.
Sæpe graves pluvias adopertus nubibus Auſter
Concitat, aut poſita ſub nive terra latet.
PRoximus Heſperias Titan abiturus in undas,
Gemmea purpureis cum juga demet equis;
Illa nocte aliquis tollens ad ſidera vultum,
Dicet, Ubi eſt hodie, quæ Lyra fulſit heri?
Dumque Lyram quæret; medii quoque terga Leonis,
In liquidas ſubito merſa notabit aquas.
QUem modo cælatum ſtellis Delphina videbas,
Is fugiet viſus nocte ſequente tuos.
Seu fuit occultis felix in amoribus index:

Lesbida

dicat: via, qua Tybris in mare tendit.

69. *Ad penetrale Numæ, &c.*] Fit eodem die ſacrificium in templo Veſtæ, & in templo Jovis, in arce Capitolina. P. *Ad penetrale Numæ*] Hoc eſt templum Veſtale. Horat. *Ire dejectum monumenta Regis, Templaque Veſtæ.* Ibi veteres Magiſtri: *Regiam dicit Numæ Pompilii qui ad Veſtæ ſuam habuit.* Neap. *Numæ*] In templo Veſtæ: quod erat, ubi fuerat Numæ regia. *Tonantem Capitolinum*] In templo Jovis Capitolini. Quod templum primus dedicavit Horatius Pulvillus.

70. *Bidens*] Ovis. *Caditur*] Immolatur.

71. *Sæpe graves pluvias, &c.*] Solet tempus illud eſſe pluvium: nam interdum aqua, interdum nives ea die imminent. P. *Sæpe graves pluvias*] Habes idem à Columella lib. XI. cap. II. *Kalendis*, inquit, *Februariis Fidis incipit occidere; ventus Eurinus & interdum Auſter cum grandine eſt.* Neap.

72. *Concitat*] Commovet.

73. *Proximus Heſperias, &c.*] Secunda die Februarii occidit omnis Lyra. Occidunt etiam Leonis terga. *Abiturus in undas Heſperias*] Quaſi occaſurus, merſurus ſe in undas Hiſpanas.

74. *Cum demet juga gemmea*] Gemmata, aut nitida, ut gemmæ. *Purpureis*] Ab ipſo rubicundo colore Solis.

75. *Illa nocte*] Poſt occaſum Solis.

76. *Ubi eſt Lyra*] Occidit, ideo non apparet. P. *Ubi eſt hodie*] IV. Nonas incipit Lyræ & medii Leonis occaſus; at hujus matutinus eſt, Lyræ vero veſpertinus. *Neap.*

77. *Dum quæret Lyram*] Quæ jam tota diſparuit. *Terga medii Leonis*] Mediæ partis poſterioris: nam anterior occiderat. Nunc totum coſmice occidit. Sic coſmice totus oritur Aquarius, qui illi eſt oppoſitus.

68. *Subito merſa*] Quaſi notabit occidiſſe.

79. *Quem modo cælatum, &c.*] Delphinem oriri quinto Idus Januarias, ſuperiore libro diximus. Nunc vero, inquit tertio Nonas Febr. hoc eſt, tertia die menſis Delphinem occidere. *Cælatum ſtellis*] Ornatum ſtellis. Nam ſtellas habet novem.

80. *Fugiet*] Occidet. Et erit occaſus heliacus, non coſmicus. P. *Nocte ſequente*] III. Nonas Delphinus ἑωσφόρος: & hæreo Aſtrologis.

81. *Felix in amoribus index*:] Legat puer quæ ex Eratoſthene tranſcripſit inſignis ille Auguſti libertus lib. II. Poeticôn Aſtronomicôn cap. XVIII. *Neap. Seu fuit occultis, &c.*] Cauſas attingit, cur Delphin ſtellificatus fuerit. *Felix index*] Qui fœliciter amorem indicavit. De amoribus Neptuni intellige. Nam Neptunus quo tempore voluit Amphitriten uxorem ducere, & illa cupiens virginitatem ſervare, cum ad Atlantem fugiſſet, complures ad eam quæſitum dimiſit. In his & delphina quendam, qui perva-

Lesbida cum domino ſeu tulit ille Lyram.
Quod mare non novit, quæ neſcit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe, ſequens agnam, lupus eſt à voce retentus,
Sæpe avidum fugiens reſtitit agna lupum:
Sæpe canes, leporeſque, umbra cubuêre ſub una,
Et ſtetit infeſtæ proxima cerva leæ.
Et ſine lite, loquax, cum Palladis alite, corvus
Sedit: & accipiert juncta columba fuit.
Cynthia ſæpe tuis fertur, vocalis Arion,
Tanquam fraternis obſtupuiſſe modis.
Nomen Arionium Siculas impleverat urbes,
Captaque erat lyricis Auſonis ora ſonis.
Inde domum repetens puppim conſcendit Arion,
Atque ita quæſitas arte ferebat opes.

Forſitan,

pervagatus inſulas, ad virginem pervenit, eique perſuaſit, ut Neptuno nuberet: pro quo facto delphinis effigies inter ſidera collocata eſt.

82. *Ille*] Delphinus ſcil. *Lyram Leſbida*] A Lesbo inſula. *Cum domino*] Hoc eſt, cum Arione; qui ex Methymna urbe Lesbi fuit. Hic muſicæ artis peritia nulli ſecundus. Ejus hiſtoria à Plin. l. 9. delibatur, itidem & à Gellio. P. *Seu tulit ille lyram*] Sive is Delphinus, qui vexit ad Tænaron Arionа Methymneum. Sequitur nunc flebilis caſus, ne putes fabellam: fuit ad tempora Periandri, qui claruit circa XXXVIII. Olympiaden. Vide notas Joſ. Scaligeri ad Euſebii annum Mcccxcviii. *Neap.*

83. *Quod mare non novit, &c.*] Aggreditur nunc res Arionis, & magna illius commendatione utitur, à citharœdica arte præcipua, cujus dulciſſimo cantu ſiſtebantur currentes fluvii, & ferarum rabies ſedabatur, &c.

84. *Ille*] Arion ſcilicet. *Tenebat*] Siſtebat. *Carmine*] Cantu carminis.

85. *Sæpe ſequens agnam, &c.*] Demulcebatur ejus cantu lupi feritas. *Retentus à voce*] A cantu Arionis.

86. *Sæpe reſtitit*] Ad cantum illius.

87. *Umbra*] Ut ſcil. illum audirent.

88. *In ſaxo*] Tapeinoſis eſt, pro in monte.

89. *Et ſine lite, &c.*] Sine pugna. Corvix cum infeſtiſſima noctuis ſit, tamen una ad audiendum Arionem, tanquam amica ſedebat. *Loquax*] Garrula.

91. *Cynthia ſæpe tuis, &c.*] Nam Cynthia Apollinis ſoror non ſecus Arionis cantu, quam fratris obſtupebat. Et magna hæc eſt Arionis commendatio, cum Apollini comparetur. *Cynthia*] Diana, à Cyntho monte in Delo inſula. *Vocalis*] Voce potens, vel voce reſonans.

92. *Tanquam fraternis*] Velut Apollineis.

93. *Nomen Arionium*] Nomen Arionis. *Impleverat Siculas undas*] Siciliam ipſam, & inſulas quæ in Siculo mari ſunt. P. *Siculas impleverat undas*] Quid mirum, ſi peragrarat eam inſulam & univerſam Italiam: Vetus editio, *Siculas impleverat urbes. Neap.*

94. *Sonis*] Tuis verſibus, & cantu. *Et ora Auſonis*] Auſonia pars Italiæ, appellata ſic ab Auſone, Calypſus ex Ulyſſe filio. *Erat capta lyricis ſonis*] Lyrico cantu, ſono lyræ ipſius Arionis. *Ora*] Maritima regio.

95. *In domum repetens, &c.*] Ubi ditatus fuerat in Italia, redire volebat Corinthum ad Periandrum, in Lesbon inſulam in ſuam patriam. *Inde*] Ex Italia. *Puppim*] Corinthiorum navim. P. *Inde domum repetens*] Tarento ultimo profectus. *Neap.*

96. *Arte*] Citharœdica ſcil. qua plurimum pollebat.

Forſitan, infelix, ventos undaſque timebas.
At tibi nave tua tutius æquor erat.
Namque gubernator diſtricto conſtitit enſe,
Cæteraque armata conſcia turba manu.
Quid tibi cum gladio? dubiam rege navita pinum.
Non hæc ſunt digitis arma tenenda tuis.
Ille metu vacuus, Mortem non deprecor, inquit:
Sed liceat ſumptâ pauca referre lyrâ.
Dant veniam ridentque moram: capit ille coronam;
Quæ poſſit crines, Phœbe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam:
Reddidit icta ſuos pollice chorda ſonos.
Flebilibus numeris veluti, canentia dura
Trajectus penna tempora, cantat olor,
Protinus in medias ornatus deſilit undas.

Spar-

97. *Forſitan*] Apoſtropha eſt ad ipſum Arionem. *Tu infelix*] Quia malis hominibus te credideras, qui ſanguini & opibus tuis inhiabant.

99. *Namque gubernator, &c.*] Rationem reddit, cur erat ſibi tutius mare quam navis. *Diſtricto*] Evaginato.

100. *Turba conſcia*] Cæteri nautæ, qui omnes in necem tuam conſpiraverant.

101. *Quid tibi cum gladio, &c.*] Increpat navis rectorem hac apoſtropha, à quo non ſunt tractanda arma, ſed temone gubernanda navis. *Dubiam*] Cum male, aut cum non regatur: quia tunc dubia eſt quo eat; nam ſine rectore titubat. Aut dubiam cum in mari ſit: quod ſemper navigantibus eſt dubitandum.

103. *Pavidus metu*] Mortis ſcilicet.

104. *Sumpta lyra*] Petiit tantum, ut ſe ornaret, & lyra canere poſſet.

105. *Dant veniam, ridentque, &c.*] Conceſſere hæc nautæ, ut caneret paululum lyra: riſereque hanc mortis dilationem. Ornavit ſe tamen Arion, ea maxime corona, quæ Phœbo conveniens eſſet.

107. *Induerat Tyrio diſtinctam, &c.*] Coronaverat ſe Arion, & induit purpuream chlamydem, & ſonare incœpit. *Pallam*] Palla eſt honeſtæ mulieris veſtimentum. Hic vero *pallam* pro chlamyde, aut quavis veſte. *Tyrio murice*] Murex color eſt purpureus. Et conchylii genus eſt. *Tyrio*] A Tyro urbe Phœniciæ. Phœnicia enim purpuratum piſcatu ſemper præſtitit. P. *Tyrio diſtinctam murice*] Ἔπλον ſive ἀμπόρφυρον: noſtri dicerent, *prætextam clavo purpureo*. Nam clavus parvula erat aut rotunda figura, qua veſtes undique pingebantur; ſive faſcia, qua illæ in extremis oris ornabantur: Græcis παρυφὴ aut σημεῖον. Nec aliud *diſtincta murice*, quam pluribus clavis ex purpura picta ſeu ex eadem faſciis prætexta: ſed palla & cultus citharœdi belle depingitur à Cornificio lib. IV. ad Herennium. Sed codex noſter ſic legit hunc verſum: *Induit & Tyrio depictam murice veſtem.* Neap.

108. *Chorda*] Fidiculi. *Icta*] Percuſſa pollice.

109. *Flebilibus numeris veluti, &c.*] Arionem ita canentem cygnis comparat. Nam cygni, qui & olores dicuntur, in morte, hoc eſt, cum ad ſenectam venerint, & mors imminet, ſuaviſſime canunt, *numeris flebilibus*: verſibus luctuoſis. *Canentia*] Albicantia: nam totus albus eſt.

110. *Trajectus tempora canentia*] Habens trajecta tempora, hoc eſt, caput. *Dura penna*] Quia in ſenecta pennam quandam habent duriuſculam.

112. *Spar-*

Spargitur impulſa cœrula puppis aqua.
Inde (fide majus) tergo delphina recurvo
Se, memorant, oneri ſuppoſuiſſe novo.
Ille ſedens citharamque tenens, pretiumque vehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.
Di pia facta vident. aſtris delphina recepit
Jupiter, & ſtellas juſſit habere novem. (chilles,
NUnc mihi mille ſonos, quoque eſt memoratus A-
Vellem, Mæonide, pectus ineſſe tuum.
Dum canimus ſacras alterno pectine Nonas;
Maximus his Faſtis accumulatur honos.
Deficit ingenium, majoraque viribus urgent.
Hæc mihi præcipuo eſt ore canenda dies.
Quid volui demens elegis imponere tantum
Ponderis? heroi res erat iſta pedis.

Sancte

112. *Spargitur*] Infunditur. *Aqua impulſa*] Ipſo ſcilicet Arionis ſaltu.

113. *Inde (fide majus,) &c.*] Ad ejus cantum cum delphinorum turba conveniſſet, deſiliens ab uno eorum tergo exceptus eſt. *Tergo recurvo*] Dorſo repando. *Majus fide*] Quaſi plus quam credi poſſit.

114. *Suppoſuiſſe ſe novo oneri*] Quia novum miraculum, quod homini ſe ſupponeret.

115. *Et cantat precium vehendi*] Id eſt, precium & mercedem vecturæ: ita ut ſuave illud carmen eſſet uberrimum vecturæ precium. Et pro ipſa vectura hic poni poteſt, in cujus mercedem cantabat. P. *Preciumque vehendi*] Debitum ſeu mercedem. Terent. *Precium*, inquit, *ob ſtultitiam fero*. Neap.

116. *Et mulcet*] Demulcet, mitigat, lenit. *Carmine*] Carminis cantu.

117. *Dii pia facta, &c.*] Videre ergo Delphinis officium, & commendarunt. Unde Jupiter illum inter aſtra collocavit, ornavitque novem ſtellis.

119. *Nunc mihi mille ſonos, &c.*] Cum relaturus ſit diem, in quo Auguſtus pater patriæ appellatus ſit, pro rei magnitudine decantanda optaret & mille voces, & Homericum habere ingenium. *Sonos*] Voces. *Pectus*] Ingenium. P. *Pectus ineſſe tuum*] Cuperet ſe μίλτιον ἦον.

121. *Sacras Nonas*] His Patris patriæ cognomentum Cæſar Auguſtus accepit. Lege Suetonium lib. II. cap. LVIII. Contigit hoc anno Dcclviii. ſeptem annis poſt decimum tertium Auguſti Conſulatum. *Neap. Dum canimus ſacras, &c.*] In Nonis Februariis Auguſtus pater patriæ eſt appellatus: unde eo die feſtum rei tantæ celebrabatur. *Dum canimus nonas ſacras*] Superius dixit, tutela Dei carere, ac ſi nulli deorum ſacræ eſſent: & nunc *ſacras* appellat, ob auctos Auguſti titulos: & cum ea die eo honore decoratus fuerit, *ſacras* appellavit, quia publico conſenſu conſecratas. *Alterno*] Hoc eſt, elegis verſibus.

122. *Maximus honor*] Hoc eſt, in Auguſti laudem. *Accumulatur his Faſtis*] His Faſtorum libris, in quibus id etiam ſcribere neceſſe eſt.

123. *Deficit ingenium, &c.*] Videtur exterreri in re ardua deſcribenda. *Majora viribus*] Majora & graviora, quam nos ſufferre valeamus.

124. *Hac dies*] Nonarum ſcil. *Ore præcipuo*] Ore præcellente: quia præ cæteris hanc canere debes.

25. *Quid volui demens, &c.*] Reprehendit ſeipſum, quod hæc gravia, quæ ſcribenda erant heroico carmine ſcribi debeant.

126. *Res iſta*] Quæ tam magna eſt. *Pedis heroi*] Heroici verſus.

127. *Sancte*

Sancte pater patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit. hoc dedimus nos tibi nomen eques.
Res tamen ante dedit. ſero quoq́ue vera tuliſti
Nomina : jam pridem tu pater orbis eras.
Hoc tu per terras, quod in æthere Jupiter alto,
Nomen habes, hominum tu pater, ille deûm,
Romule concedas. facit hic tua magna tuendo
Mœnia : tu dederas tranſilienda Rhemo.
Te Tatius parvique Cures, Cæninaque ſenſit.
Hoc duce Romanum eſt ſolis utrumque latus.
Tu breve neſcio quid victæ telluris habebas ;
Quodcumque eſt alto ſub Jove, Cæſar habet.
Tu ſapis, hic caſtas duce te jubet eſſe maritas.
Tu recipis luco ; ſubmovet ille nefas.

Vis

127. *Sancte*] De hoc vide Tranquil. Poëta, inquit, patres, equites, & plebem hoc ei nomen dediſſe. *Curia*] Hoc eſt, Senatus. *Eques*] Pro equites, aut equeſter ordo.

128. *Hoc dedit*] De hujuſmodi honore, vide Dionis Caſſii judicium lib. LIII.

129. *Res tamen dedit*] Nomen hoc ſcilicet. *Ante*] Antequam dederat ſenatus, & populus: quia re ipſa eras pater patriæ. *Tuliſti vera*] Quia tardius quam mereberis pater patriæ appellatus es.

130. *Jam pridem*] Longe ante. *Eras pater orbis*] Ergo non modo patriæ, ſed univerſi orbis.

131. *Hoc tu per terras, &c.*] Magna eſt hæc Auguſti commendatio, cum Jovi comparatur, nam ille deorum pater eſt, Auguſtus autem hominum.

133. *Romule concedas, &c.*] Cum velit longe in omnibus ſuperiorem dicere Auguſtum Romulo urbis conditore, ab ipſo Romulo petit hoc concedi ; nam ipſe & urbem parvam, & exigua mœnia fecit : Auguſtus autem & mœnia & imperium late auxit. *Tuendo*] Defendendo & gubernando. *Facit tua*] Quæ tu fundaſti. *Magna*] Nam auget & urbem & imperium.

134. *Rhemo*] Fratri tuo : Condidit autem mœnia item parum alta, ut à Rhemo tranſiliri poſſent.

135. *Te Tatius, &c.*] Romulus cum finitimis tantum pugnavit cum Sabinis, cum Cennienſibus, quorum regem obtruncavit, cum Antenatibus, & poſtea cum Veientibus. Terminus autem imperii Romuli, decimus octavus ab urbe lapis fuit. At Auguſto Principe, univerſus orbis Romano paruit imperio. *Tatius*] Rex Sabinorum. *Et Cænina*] Et oppidum hoc non longe ab urbe fuit. *Cures*] Sabinorum oppidum.

136. *Hoc duce*] Auguſto autem principe. *Eſt Romanum*] Romani juris, aut Romani imperii. *Utrumque latus ſolis*] Quaſi extremæ orbis partes, & omnia quæ inter ipſas continentur.

137. *Tu habebas neſcio quid*] Velut in contemptum, *Neſcio quid*] dixit. *Victæ*] Quam tu viciſti. Erat tantum modo ad decimum octavum ab urbe lapidem.

138. *Cæſar*] Auguſtus ſcilicet. *Habet quodcunque eſt ſub alto Jove*] Auxit hic Poëta & rem & orationem. *Sub Jove*] Quaſi & terræ & maria. *Sub Jove*] Interdum intelligimus ſub cœlo, aut ſub aëre.

139. *Tu*] Romule. *Rapis*] Quia fictis ludis cum convèniſſent finitimi, multas rapuit. *Hic*] Auguſtus ſcilicet. *Eſſe caſtas*] Obſervare pudicitiam. Inſtauravit enim Auguſtus legem Juliam, ad coërcendos adulteros. Unde eſt : *Ubi nunc lex Julia dormis ? Tu*] Romule. *Recipis nefas*] Quaſi nefarios & ſceleratos homines. *P. Caſtas jubet eſſe maritas*] Nam leges de integro ſanxit de pudicitia, de adulteriis.

140. *Repulit ille nefas*] Exemplum ſit

Vis tibi grata fuit: florent ſub Cæſare leges.
Tu Domini nomen; Principis ille tenet.
Te Rhemus incuſat. veniam dedit hoſtibus ille.
Cœleſtem fecit te pater; ille patrem.
Jam puer Idæus media tenus eminet alvo,
Et liquidas mixto nectare fundit aquas.
En etiam, ſi quis Borean horrere ſolebat;
Gaudeat. à Zephyris mollior aura venit.
QUintus ab æquoreis nitidum jubar extulit undis

ſit ædes Dianæ Epheſiæ, cui aſyli jus antiquum ab Alexandro & Mithridate conceſſum, auxit deinde duobus ſtadiis Antonius. *Neapol.* *Luco*] In Aſylo, quod erat in luco. Nam pro augenda urbe Aſylum conſtituit, quo confugerent impune, qui ob ſcelera, pulſi erant. *Ille*] Auguſtus. *Reppulit nefas*] Et ſcelera & ſceleratos. Heinſ. leg. *Submovet.*

141. *Tibi*] O Romule. *Fuit grata vis*] Nam vim & in rapiendis virginibus, & in depopulandis agris finitimis intuliſti. *Sub Cæſare*] Auguſto ſcilicet. *Florent leges*] Nam ex legibus cautum eſt, ne cui vis inferatur.

142. *Tu*] Romule. *Nomen domini*] Quod ad tyrannidem ſpectat. *Ille*] Auguſtus ſcilicet. *Tenet nomen Principis*] Auguſtus autem (ut teſtis eſt Tranquillus) *domini* appellationem ut maledictum & opprobrium ſemper exhorruit. *Paul.* *Principis ille tenet*] Quantum oderit Auguſtus *Dominum appellari* notarunt Suetonius, Philo Judæus & alii: Principis vero titulum admiſit ea forte de cauſa, ob quam, & ita dici Tiberio placuit; eam ſubindicat Caſſius. *Neap.*

143. *Te Rhemus incuſat, &c.*] Exprobrat Romuli immanitatem pro fratricidio, ut magis à clementia commendatum Auguſtum extolleret, qui hoſtibus pepercit.

144. *Pater*] Mars. Nam Martis filius Romulus creditus. *Fecit te cœleſtem*] Retulit te in deos, quaſi dicat, Non tuis meritis, ſed patris. *Ille*] Auguſtus. *Fecit cœleſtem patrem*] Julium Cæſarem: quia nepos & hæres ejus fuit. Solvit illi divinos honores, & pro deo coli voluit. *Paul.*

145. *Jam puer Idæus*] Aquarius, quem quidam Ganymedem eſſe volunt, oritur ipſis nonis Februariis media alvo tenus, antecedit ſolem orientem. Quod hoc tempore fieri neceſſe eſt, ſole piſcibus propinquante: cum Aquarius & oriatur & occidat capite prius quam reliquis membris. *Ant.* *Media tenus eminet alvo*] Intellige de dimidiato Aquario oriente: ſic aliqui hoc ſignum non totum oriri voluerunt, ut Aratus, quem noſter in multis ſecutus. Vide & Hipparch. lib. II. cap. XIV. *Neapol.* *Puer Idæus*] Ganymedes Trojanus: ab Ida monte prope Ilium, de qua raptus fuit. *Media tenet alvo*] Quaſi uſque ad mediam alvum.

146. *Mixto nectare*] Quaſi propinat, aut miniſtrat nectareos potus diis.

147. *Quin etiam ſi quis*] Mitigatur aëris frigiditas, redeunt Zephyri, qui ſuaviores ſunt. Ergo ſi quis hyemem exhorrebat, gaudeat: nam prope eſt ver. *Boream*] Qui ſeptentrionalis ventus.

148. *Venit à zephyris*] Zephyrus enim ab occaſu flat, & eſt ſuavis, plurimumque in vere poteſt: quo tunc ſpirante florent arbores, & emergunt herbæ, dieſque reddit lætiores. *Paul.* *Mollior aura venit*] Ventus *mitior.* Non determinat vere diem quo flatus hic incipit: ſed quis non videt, velle noſtrum ut ſpiret cum ipſo primo vere, dum ſtatim ſubdit; *Et primi tempora veris erunt.*

149. *Quin ab Æquoreis*] Non Idibus (ut male Berſmannus; nam Idus expreſſim paulo poſt conſecrat Fauni feſto) ſed V. Idus: nec alia Poëtæ mens. Plin. confert in diem tertium poſt Nonas, lib. XV. c. III. & lib. XI. c. XLVII. Incerti auctoris παράπηγμα, quod his Faſtis aſſui ſolet ſtatuit VIII. Idus. N.

Quintus

Lucifer, & primi tempora veris erunt.
Ne fallere tamen: reſtant tibi frigora, reſtant;
Magnaque diſcedens ſigna reliquit hyems.
Tertia nox veniat: cuſtodem protinus Urſæ
Adſpicies geminos exeruiſſe pedes.
Inter Hamadryadas jaculatricemque Dianam
Calliſto ſacri pars fuit una chori.
Illa deæ tangens arcus, Quos tangimus, arcus,
Eſte meæ teſtes virginitatis, ait.
Cynthia laudavit, Promiſſaque fœdera ſerva,
Et comitum princeps tu mihi, dixit, eris.
Fœdera ſervaſſet, ſi non formoſa fuiſſet.
Cavit mortales: de Jove crimen habet.
Mille feras Phœbe ſylvis venata redibat;
Aut plus, aut medium ſole tenente diem.
Ut tetigit lucum (denſa niger ilice lucus,

In

Quintus ab aquoreis, &c.] Inquit Poëta, quinto Idus Februarias eſſe veris initium. *Jubar nitidum*] Nitentes radios. *Ab undis aquoreis*] Ab Occano orientis.

151. *Ne fallere, &c.*] In principio veris ſunt etiam magna frigora. *Reſtant*] Superſunt adhuc.

152. *Et hyems*] Hyemale tempus.

153. *Tertia nox aderit:*] Tertio Idus Februarias Bootes, qui & Arctophylax dicitur, oritur. Non quod oriatur & occidat, ſed cum in plauſtro ſit, quod vertitur circa cardinem, in ipſa vertigine videtur occidere: & cum ſe elevat, oriri. *Arctophylax* dictus eſt, quaſi urſæ cuſtos. *Urſæ*] Majoris ſcilicet.

154. *Exeruiſſe*] Extuliſſe. *Geminos pedes*] Quaſi pedes ex undis extraxiſſe. *Paul. Geminos exeruiſſe pedes*] III. Idus eſt Arcturi ortus Veſpertinus: quæ ſtella ſita in medio crurum τῆ Ἀρκτοφύλακος. Vetus παράπηγμα III. Idus: *Subſolanus ſpirat, Arcturus oritur.*

155. *Jaculatricem Dianam*] Ἰοχέαιραν hanc vocant. *Caliſto*] Veteres ſcribunt *Calliſto* recte. *Neapol. Inter Hamadryadas, &c.*] Aggreditur nunc fabellam ipſam, quæ & in Metamorph. & ab Heſiodo & ab aliis pluribus refertur.

156. *Calliſto fuit una pars ſacri chori*] Quaſi una Nympharum ſacri chori inter Hamadryadas & Dianam jaculatricem.

157. *Illa Deæ tangens, &c.*] Dabatur nymphis ipſis Dianam ſecuturis juramentum virginitatis ſervandæ: jurabaturque per Dianæ arcus, quod ſacroſanctum habebatur. *Illa*] Calliſto. *Deæ*] Dianæ. Quaſi dicat: Juro per vos, me ſervaſſe & ſervaturam caſtitatem.

159. *Cynthia*] Diana.

160. *Princeps comitum*] Quaſi eris prima comitum mearum.

161. *Fœdera ſervaſſet, ſi*] Si ſervaſſet illa quod promiſerat, niſi formoſa placuiſſet Jovi, cujus vim effugere non potuit.

162. *Cavit mortales*] Potuit à mortalibus cavere, quod fecit: non tamen à deo. *Habet crimen*] Violati ſcilicet fœderis. *Paul. A Jove crimen habet*] Qui indutus Dianæ facie, virginem compreſſit. *Neapol.*

163. *Mille feras, Phœbe, &c.*] Compreſſa à Jove Calliſtone, gravidaque facta, accidit, ut ſemel Diana à venatione ingenti præda rediens, ingreſſa cum nymphis ilignum nemus, ubi fons erat profundæ aquæ, voluit cum cæteris lavari: ſed hac denudata, onuſti ventris crimen apparuit, & pulſa eſt è choro virginum.

165. *Denſa ilice*] Denſis ſeu ſpiſſis ilicibus.

166. *Fons*

In medio gelidæ fons erat altus aquæ)
Hac, ait, in ſylva, virgo Tegeæa, lavemur.
Erubuit falſo virginis illa ſono.
Dixerat & Nymphis: Nymphæ velamina ponunt.
Hanc pudet; & tardæ dat mala ſigna moræ.
Exuerat tunicas; uteri manifeſta tumore
Proditur indicio ponderis ipſa ſui.
Cui Dea, Virgineos perjura Lycaoni cœtus
Deſere, nec caſtas pollue, dixit, aquas.
Luna novum decies implerat cornibus orbem:
Quæ fuerat virgo credita, mater erat.
Læſa furit Juno, formam mutatque puellæ.
Quid facis? invito pectore paſſa Jovem.
Utque feræ vidit turpes in pellice vultus;
Hujus in amplexus Jupiter, inquit, eat:
Urſa per incultos errabat ſquallida montes,
Quæ fuerat ſummo nuper amanda Jovi.
Jam tria luſtra puer furto conceptus agebat;
Cum mater nato eſt obvia facta ſuo.

Illa

166. *Fons altus*] Profundus.

167. *O virgo Tegeæa*] O Calliſto Arcadica, à Tegea oppido Arcadiæ.

168. *Erubuit falſo ſono*] Falſa voce, hoc eſt, falſo, non vero nomine virginis: nam virgo eſſe deſierat. *Paul. Erubuit falſo virginis illa ſono*] Ob amiſſum pudicitiæ decus, & ruptum ſacramentum. Metam. 2.

169. *Dixerat & nymphis*] Neapolis legend. cenſet: *Dixerat hæc nymphis.* Neapol. *Dixerat*] Diana hæc eadem quæ illi.

170. *Pudet*] Nam pudebat eam denudare, ne ſe proderet.

172. *Sui ponderis*] Ponderoſi & tumentis ventris, quia gravidi.

173. *Cui Dea, &c.*] Patefacto crimine, ex virginum conſortio à Diana pulſa eſt. *Perjura*] Quia juraverat virginitatem ſervare. *Lycaoni*] Calliſto Lycaonis filia.

175. *Luna novum decies*] Calliſto pulſa à Diana, decimo menſe peperit filium Arcadem. *Luna implerat*] Implerat cornua novo orbe. *Paul. Implerat cornibus orbem*] Implere cornibus orbem Luna dicitur, cum ἐκ τῆς μονοκέρω πανσέληνος fit.

177. *Formam mutatque puellæ*] In vultus ferinos. Vide & Metamorph. *N. Læſa furit Juno, &c.*] Indignata hanc ex Jove peperiſſe, in urſam convertit. *Mutat formam*] Transformavit puellam Calliſtonem in urſam.

178. *Quid facis?*] O Juno. *Pectore invito*] Vi illata, coacta à Jove, vel invito animo, & repugnanti. Ergo hoc non merebatur.

179. *Turpes vultus*] Quia urſinos. *In pellice*] In Calliſtone.

180. *Eat in amplexus*] Quaſi amplectatur jam Jupiter urſam hanc.

181. *Squallida*] Sordida.

183. *Jam tria luſtra*] Erat jam puer Arcas quindecim annos natus, cum venator factus eſt matri obvius. *Furto*] Occulto ſtupro. *Paul. Jam tria luſtra*] Aperte luſtrum noſtro eſt ſpatium quinquenne (de hoc apud literatos adhuc controverſia) nam de eodem puero alibi:

Ter quinque ferens natalibus annos. N.

184. *Eſt facta obvia ſuo nato*] Filio ſuo.

185. *Illa*

Illa quidem, tanquam cognoſceret, adſtitit amens,
Et gemuit: gemitus verba parentis erant.
Hanc puer ignarus jaculo fixiſſet acuto,
Ni foret in ſuperas raptus uterque domos.
Signa propinqua micant. Prior eſt, quam dicimus Arcton:
Arctophylax formam terga ſequentis habet.
Sævit adhuc, canamque rogat Saturnia Tethyn,
Mænaliam, tactis ne lavet Arcton aquis.

IDibus agreſtis fumant altaria Fauni,
Hic, ubi diſcretas inſula rumpit aquas.
Hæc fuit illa dies, in qua Vejentibus arvis

Ter

185. *Illa quidem tanquam, &c.*] Non refugiebat illa filium, ſed gemens conſtitit, tanquam agnoſceret. *Amens*] Quia reſtitit. unde imminebat ſibi periculum.

186. *Gemitus erant verba*] Gemitu affectum animi indicabat.

187. *Hanc puer ignarus, &c.*] Venator filius inſcius, matrem non agnoſcens, illam interemiſſet, ni Jupiter miſeratione motus, ambos in cœlum rapuiſſet. eamque *Arcton*, filium autem *Arctophylaca* nominavit. *Puer*] Arcas. *Ignarus*] Quia matrem illam eſſe ignorabat. *Fixiſſet*] Transfixiſſet.

188. *Domos*] Niſi ſtellis eſſent appoſiti.

189. *Arctos*] Quæ Urſa major dicitur, eſt prior. *Arctophylax*] Qui Urſæ cuſtos, ſequitur.

190. *Habet formam ſequentis terga*] Quia ſequitur ipſam Urſam velut cuſtos. *Paul. Terga ſequentis habet.*] Ex ſcedographia: unde Ἀρτοφύλαξ & Ἀρκτοῦρος, etiam eadem de cauſa dictus.

191. *Sævit adhuc, &c.*] Tunc magis indignata eſt Juno, cum hos cœlo receptos videret. Acceſſitque ad Tethyn & Oceanum: impetravit ne fidera hæc marinis aquis exciperent. *Saturnia*] Juno Saturni filia. *Et petit canam*] Vel ad aquæ colorem reſpexit, vel quod annoſa eſſet. *Tethyn*] Tethys cœli & Veſtæ filia, uxor Oceani, nutrix Junonis.

192. *Ne lavet Arcton*] Urſam. *Mænaliam*] Arcadicam: à Mænalo Arcadiæ monte.

193. *Idibus agreſtis fumant, &c.*] Idibus Februariis fiunt ſacrificia in honorem Fauni, cujus templum erat in inſula Tyberina, in angulo ſuperiore: & eadem die Fabii fuere ad Cremeram cæſi, de quo nunc agetur. *Agreſtis*] Ruricolæ. *Paul. Fumant altaria Fauni*] In Kalendariis nulla fit mentio hujus celebritatis. Forſan his Idibus iterabant veteres memoriam dedicationis: nec quidem hoc die ſacratum ei fanum reperio; non ita annum, qui fuit DIX. ab urbe condita, LIV. lib. XXXIV. *Neapol.*

194. *Aquas*] Quaſi in ipſo inſulæ angulo, quo flumen in duas partes dividitur.

195. *Hæc dies*] Iduum Februariarum. *Paul. Hæc fuit illa dies*] Sed annus CCLXXVI. Diodorus lib. XL. Ἐν Ῥώμῃ δὲ ὕπατοι κατεστάθησαν Τίτος Μινούκιος. & verius, Μινούκιος καὶ Γάϊος Ὁράτιος Πυλύλλος. & poſt multa ſubdit hanc cladem Fabiorum. Dies vero quam recenſet Ovidius, cum lego Livium ſub limen lib. VI. ſi veres, ille, quod ita ſentio, aliquantiſper auxium me habet, & miror in hanc foveam doctiſſ. Poëtam incidiſſe. Nota hiſtorici verba: *Tum de diebus religioſis agitari cœptum, diemque ad XV. Kalendas Sextiles duplici clade inſignem, quo die ad Cremeram Fabii cæſi; quo deinde ad Alliam cum exitio urbis fada pugnatum: à poſteriore clade Allienſem appellarunt, inſigneque rei nulli publicæ privatimque agendæ fecerunt.* Neapol.

196. *Cecidere*

Ter centum Fabii, ter cecidére duo.
Una domus vires & onus ſuſceperat urbis:
Sumunt gentiles arma profeſſa manus.
Egreditur caſtris miles generoſus ab iiſdem,
E quîs dux fieri quilibet aptus erat.
Carmentis portæ dextro eſt via próxima Jano:
Ire per hanc noli, quiſquis es: omen habet.
Illa fama refert Fabios exiſſe trecentos,
Porta vacat culpa: ſed tamen omen habet.
Ut celeri paſſu Cremeram tetigére rapacem;
(Turbidus hybernis ille fluebat aquis.)
Caſtra loco ponunt: diſtrictis enſibus ipſi
Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt.
Non aliter, quam cum Lybica de rupe leones
Invadunt ſparſos lata per arva greges.
Diffugiunt hoſtes, inhoneſtaque vulnera tergo

Ac-

196. *Cecidère*] Occubuêre.

197. *Una domus*] Fabia ſcilicet. *Suſceperat vires & onus urbis*] Ergo quod unius erat civitatis, una gens ſuſcepit. *Paul. Et onus ſuſceperat urbis*] Nam Reſpubl. in eo bello, milite & pecunia vacabat: & hanc & militem obtulit gens Fabia. *Neapol.*

198. *Manus gentiles*] Quaſi ex eadem gente. *Arma profeſſa*] Arma quæ profitebantur.

199. *Egreditur caſtris miles, &c.*] In commendationem militum Fabiorum: quod non ab alienis, ſed à propriis tentoriis in bellum egrediebantur: & tales milites, quod quiſque erat ad imperium aptus. *Paul. Miles generoſus*] Singularis.

201. *Dextro eſt via*] Porta Carmentalis ea, quæ etiam ſolita nuncupari *Vejentina* & *Tarpeja*; nam huic directo Capitolium incumbebat: ſed à clade Fabiorum dicta exinde *Scelerata*. Neap. *Carmentis porta dextra, &c.*] Egreſſi ſunt Fabii porta Carmentali, quæ erat apud forum boarium ad pontem Sublicium, habens ad dextram templum Jani. *Dextra*] Quod ad dextram haber.

202. *Omen*] Malum: quia qui per eam egreſſi ſunt, interempti ſunt Fabii.

203. *Exiſſe*] Qui ad Cremeram cæſi ſunt.

204. *Sed tamen habet omen*] Quia eſt mali augurii, & vocatur ſcelerata.

205. *Ut celeri paſſu, &c.*] Venere ad fluvium Cremeram, qui non longe à Vejis fluit: ibi caſtra poſuere. *Celeri paſſu*] Accelerato itinere. *Rapacem*] Ideo *rapacem*, quia tunc augebatur imbribus. *Cremeram tetigere, &c.*] Ibi caſtra poſita: is opportunus viſus locus, ſcribunt hiſtorici, communiendo præſidio.

206. *Hybernis ille fluebat aquis*] Sub initium Brumæ urbe profectos credibile ſane eſt: nam poſt caſtellum prope Cremeram exſtructum, & infeſtationes aliquas à Fabiis in agrum hoſticum illatas: Καὶ ὁ μὲν, inquit Dionyſ. lib. IX. χειμὼν ἐκεῖτο ἐτελεύτα. *Neapol.*

207. *Caſtra*] Tentoria. *Diſtrictis*] Evaginatis enſibus.

208. *Valido Marte*] Forti bellatore. *Per agmen Tyrrhenum*] Per agmen Hetruſcum.

209. *Non aliter quam, &c.*] Magna commendatio animi & roboris Fabiorum, quos leonibus comparat. *Non aliter invadunt*] Scilicet Fabii Tyrrhenæ agmina. *Lybica*] Nam Libya nutrix eſt leonum: & præcipue Mauritania, quæ eſt pars Libyæ.

210. *Greges ſparſos*] Invadunt pecora per campos fuſa.

211. *Diffugiunt hoſtes, &c.*] Fugiebant à Fabiis Hetruſci. *Hoſtes*] Vejentes. *Tergo*] Quaſi à tergo. *Vulnera inhoneſta*] Quia inhoneſtum & turpe eſt fugere.

Accipiunt: Thuſco ſanguine terra rubet.
Sic iterum ſic ſæpe cadunt. ubi vincere aperte
Non datur, inſidias armaque tecta parant.
Campus erat: campi claudebant ultima colles,
Sylvaque montanas occulere apta feras.
In medio paucos armentaque rara relinquunt:
Cætera virgultis abdita turba latet.
Ecce, velut torrens undis pluvialibus auctus,
Aut nive, quæ Zephyro victa tepente fluit:
Per ſata, perque vias fertur, nec, ut ante ſolebat,
Riparum clauſas margine finit aquas:
Sic Fabii latis vallem diſcurſibus implent,
Quoſque vident ſpernunt: nec metus alter ineſt.
Quo ruitis generoſa domus? male creditur hoſti.
Simplex nobilitas perfida tela cave.
Fraude perit virtus, in apertos undique campos
Proſiliunt hoſtes, & latus omne tenent.
Quid faciunt pauci contra tot millia fortes?

Quid-

212. *Sanguine Thuſco*] Sanguine Tyrrhenorum.

213. *Sic iterum ſic, &c.*] Sæpe victores fuere Fabii: unde cum Vejentes aperto Marte nihil proficerent, occultas inſidias paravere. *Aperte*] Aperto Marte.

214. *Arma tecta*] Occulta: quia inter occulta loca armatos diſpoſuere.

215. *Campus erat, &c.*] Facit topographiam, hoc eſt, loci deſcriptionem, in quo inſidiis circumventi fuere Fabii. *Erat campus*] In agro ſcilicet Vejentino. *Colles*] Qui erant eminentiores campo. *Claudebant ultima*] Extremitates, campi ipſius ſcilicet.

216. *Apta occulere*] Ad occulendum.

217. *Paucos*] Homines. *Et rara armenta*] Pauca pecora: & hoc, ut Fabios ad prædam provocarent.

218. *Latet virgultis*] Inter virgulta: hoc eſt, inter arbuſta.

219. *Ecce, velut torrens, &c.*] Facit comparationem Fabiorum ad torrentem, qui auctus egreditur ripas, & vias & arva culta devaſtat.

220. *Victa*] Reſoluta. *Tepente*] Quia nives liquefacit.

221. *Per ſata*] Per arva culta.

222. *Fertur*] Torrens ipſe. *Margine*] Extremitate. *Riparum*] Quia inter ripas aquam non continet.

223. *Sic Fabii implent, &c.*] Diſcurſionibus.

224. *Et ſpernunt*] Dejiciunt. *Nec ineſt alter metus*] Quia nihil aliud metuunt: non enim ſciebant ſe inſidiis circumventos.

225. *Quo ruitis generoſa domus*] Commiſeratio eſt Poetæ à periculo Fabiis imminenti. *Quo ruitis*] Quo vos ipſos perditum itis? *Hoſti*] Hoſtium inſidiis.

226. *O nobilitas ſimplex*] Pura, ſine aſtutia. *Tela perfida*] Perfidorum hominum, qui inſidiis pugnant.

227. *Fraude perit virtus*] Non poteſt ſuperari virtus armis, ſed fraudibus. Aperit nunc ipſos dolos, ipſas inſidias. P. *Fraude perit virtus*] Singula vide ex Livio, Dionyſ. Zonara, Floro, &c. *Neap.*

228. *In apertos campos*] Circum vallem omnem inſidias ſtruxerant, magno ab Hetruſcis omnibus acceſſito præſidio. *Et tenent omne latus*] Vallis ſcilicet, nam undique circumvenerant.

229. *Quid faciunt pauci, &c.*] Excuſatio eſt Fabiorum: quia pauci tot Hetruſcorum millibus circumventi.

231. *Sicut*

Quidve, quod in miſero tempore reſtet, habent?
Sicut aper ſylvis longe latrantibus actus
Fulmineo celeres diſſipat ore canes;
Mox tamen ipſe perit: ſic non moriuntur inulti,
Vulneraque alterna dantque ferúntque manu.
Una dies Fabios ad bellum miſerat omnes:
Ad bellum miſſos perdidit una dies.
Ut tamen Herculeæ ſupereſſent ſemina gentis;
Credibile eſt ipſos conſuluiſſe deos.
Nam puer impubes, & adhuc non utilis armis,
Unus de Fabia gente relictus erat.
Scilicet ut poſſes olim, tu Maxime, naſci;
Cui res cunctando reſtituenda foret.
COntinuata loco tria ſidera, Corvus, & Anguis,
Et medius Crater inter utrumque jacet.
Idibus illa latent; oriuntur nocte ſequenti:

Quæ

231. *Sicut aper longe, &c.*] Comparatio Fabiorum ad aprum, qui à canibus vexatus, & undique obſeſſus, etſi moriturus eſt, canes tamen ipſos dentibus lacerat: ſic Fabii trucidati trucidabant hoſtes. *Longe ſylvis*] Per ſylvas. *Latrantibus*] Canum ſcilicet.

232. *Fulmineo*] Quod ad dentium vim. *Diſſipat*] Disjicit. *Ore*] Rictu & dentibus.

234. *Vulnera*] Quaſi per vices: quia ipſi hoſtes, & hoſtes ipſos vulnerabant.

235. *Una dies Fabios, &c.*] Hac repetitione pathos movet. Una enim die Fabii omnes in bellum profecti ſunt & in una die omnes cæſi ſunt. *Una dies*] Quæ fuit Iduum Februariarum. *Ad bellum*] Scilicet Veiens.

237. *Ut tamen Herculea, &c.*] Erant Fabii è ſanguine Herculeo. Nam rediens ex Hiſpania Hercules, & ubi poſtea Roma condita fuit, hoſpitaretur, cum Arcadica puella concubuit, è qua natus eſt Fabius, à quo principium & originem ſumpſit familia Fabiorum. Proviſum eſt ergo à diis ea clade, ut aliquis ex Herculea domo ſupereſſet. *Semina Herculea gentis*] Fabiæ familiæ, quæ ab Hercule traxit originem. P. *Ut tamen Herculea*] Hanc antiquitatem iſti familiæ tribuere veteres, Silius Italicus & alii: ex Hercule ſcil. & Evandri filia Vindu-na primum Fabium natum. Certe ante urbem conditam mentio hujus gentis: ea eſt quam Rhemus habuit ſociam.

240 *Unus de Fabia gente*] Hoc ſibi perſuadere non potuit Dionyſ. Halicarnaſſenſis; idque non uno probat argumento: ſed eâ quidem ſuper re diſſerit, qua vix aliud certius apud Hiſtoricos.

241. *Olim tu, Maxime, naſci*] De hoc viro incomparabili loquuntur fere omnia quæ extant Romanorum monumenta. *Neap. Olim*] In futurum. *Tu Maxime*] Tu Quinte Fabi Maxime.

242. *Reſtituenda res*] Romana ſcilicet. *Cunctando*] Retardando. Et Ennius de hoc: *Unus homo nobis cunctando reſtituit rem.*

243. *Continuata loco tria, &c.*] Nocte poſt Idus Februarias, hoc eſt, decimo-ſexto Kalendas Martias, Corvus, Anguis, & Crater oriuntur. *Continuata loco*] In eodem loco, & ob id continuata, quia occupant ſpacium Cancri, Leonis, & Virginis. Aut *continuata*, quia ſimul ſociatâ ſunt, Corvus, Anguis & Hydra.

244. *Inter utrumque*] Inter Corvum & Anguem. *Latet* dixit, quia eſt obſcuriorum ſtellarum. *Crater* genus eſt poculi.

245. *Illa*] Sidera: ſcilicet Corvus, Anguis, Crater. *Latent idibus*] Quia tunc non oriuntur coſmice, hoc eſt, quando ſol

Quæ ſibi cur tria ſint, tam ſociata canam.
Forte Jovi feſtum Phœbus ſolemne parabat:
(Non faciet longas fabula noſtra moras)
I mea, dixit, avis, ne quid pia ſacra moretur,
Et tenuem vivis fontibus affer aquam.
Corvus inauratum pedibus cratera recurvis
Tollit, & aëreum pervolat altus iter.
Stabat adhuc duris ficus denſiſſima pomis,
Tentat eam roſtro, non erat apta legi.
Immemor imperii, ſediſſe ſub arbore fertur,
Dum fierent tarda dulcia poma mora.
Jamque ſatur, nigris longum rapit unguibus hydrum;
Ad dominumque redit, fictaque verba refert:
Hic mihi cauſſa moræ vivarum obſeſſor aquarum:
Hic tenuit fontes, officiumque meum.
Addis, ait, culpæ mendacia, Phœbus? & audes
Fatidicum verbis fallere velle deum?
At tibi, dum lactens hærebit in arbore ficus,

De

ſol occidit. P. *Oriuntur nocte, &c.*] XVI. Kalendas. Columellæ veſperi oritur Crater: & addit ſub idem tempus, venti mutationem. *Neapol.*

246. *Sociata*] Ita juncta & continuata.

247. *Forte Jovi Phœbus, &c.*] Nunc ipſam fabellam explicat. Erat Phœbus Jovi ſacrificaturus, pro ſacrificii uſu corvum juſſit aquam è vivis fontibus afferre. *Forte*] Caſu. *Jovi*] In honorem Jovis. P. *Forte Jovi Phœbus*] Cætera hæc ἀφορικὰ diſces clarius à Mythologis.

249. *I mea, dixit, avis*] Statius lib. II. Silvar. de Corvo: *Plangat Phœbeius ales.* Neap. *O avis mea*] O corve. Corvus enim eſt ſub Apollinis tutela, qui prius albus erat. At niger factus eſt, revelato adulterio Coronidis puellæ à Phœbo amatæ, de qua natus eſt Æſculapius, ut in 2 Metam. *Moretur*] Detineat in mora. *Pia ſacra*] Religioſa ſacrificia.

250. *E vivis fontibus*] E ſcaturienti fonte.

251. *Corvis inauratum, &c.*] Obtemperaturus Phœbo corvus, accepit craterem deauratum, & volare occœpit. *Pedibus recurvis*] Quaſi unguibus reflexis.

253. *Stabat*] Prominebat. *Denſiſſima pomis*] Quaſi habens poma ſpiſſa. *Duris*] Immaturis.

254. *Non erat apta legi*] Ad colligendum: quia immatura.

255. *Immemor imperii*] Illius ſcilicet, quod Phœbus imperaverat: hoc eſt, ut aquam ferret. *Sediſſe ſub arbore Dum*] Donec.

256. *Poma fierent dulcia*] Matura. *Tarda mora*] Longa expectatione.

257. *Satur*] Comeſis ficubus. *Longum hydrum*] Longum anguem.

258. *Ad dominum*] Ad Phœbum. *Et refert ficta verba*] Falſa & compoſita verba.

259. *Fuit mihi cauſa moræ*] Retardationis.

260. *Hic*] Anguis ſcilicet. *Tenuit fontes*] Occupavit aquas. *Et tenuit*] Impedivit.

261. *Ait*] Dixit Phœbus. *Tu addis culpæ*] Crimini & noxæ tuæ. *Mendacia*] Quaſi dicat: Non ſatis eſt te deliquiſſe, niſi etiam mendacio te excuſes.

263. *At tibi, &c.*] Hæc Phœbus corvum ignominia affecit, ut dum eſſent in arbore ficus, aquam non ebiberet. *Dum ficus lactens*] Habens lacteum ſuccum; & tunc eſt immatura. *Paul. At tibi dum lactens*] Plin. lib. X. cap. XII. *Corvi*

ante

De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ.
Dixit: & antiqui monumenta perennia facti
Anguis, avis, crater, ſidera juncta micant.
Tertia poſt Idus nudos aurora Lupercos
Adſpicit: & Fauni ſacra bicornis eunt.
Dicite Pierides ſacrorum quæ ſit origo:
Attigerint Latias unde petita domos.
Pana deum pecoris veteres coluiſſe feruntur
Arcades.

ante ſolſtitium generant: iidem egreſcunt ſexagenis diebus, ſiti maxime, antequam fici coquantur autumno. Lactens harebit in arbore ficus] Ficus lactens eſt viridis & recens. Lac vocarunt Latini fici rorem, qui Græcis ὀπὸς & σαπὴ cuidam Anonymo, qui ſcripſit Alexandri vitam. *Neapol.*

265. *Dixit, & antiqui, &c.*] Phœbus in perpetuam rei memoriam anguem, corvum, cratera cœlo figuravit. *Dixit*] Phœbus ſcilicet ſuperiora verba. *Monumenta perennia*] Quaſi in perpetuam memoriam.

266. *Micant*] Splendent.

267. *Tertia poſt Idus, &c.*] Decimoquinto Kalendas Martias fiunt in honore Fauni Lupercalia: quæ quamvis à Romulo ſint qui dicant inſtituta fuiſſe, tamen in Latio ab Evandro originem habuere. In Panis ergo honorem hac die conſtituta ſunt Lycæa ludicra, quæ à noſtris *Lupercalia* dicta ſunt. Fiebant autem à nudis Lupercis; tecti tamen erant caprina pelle. Nam quo habitu ſimulacrum ipſius dei figurabatur, eo habitu ſua ſacra fiebant. *Nudos Lupercos*] Fauni ſacerdotes, qui Lupercalia ſacra faciebant in Lupercali, ut Varro inquit, Locum enim, ubi ſacra hæc fiebant, à Romanis *Lupercal*, à Græcis Lycæum. *Paul. Tertia poſt Idus*] XV. Kalendas Martias erant Lupercalia: nomen habuere à Lupercis: quorum plures ſodalitates. Una fuit Fabiorum, alia Quintiliorum; & hæ antiquiſſimæ, addita poſtea ea Julliorum à C. illo Cæſare. Cujus inſtitutionis mentio apud Dionem lib. 44. Ἱεροποιήσε τε ἐς τὸ Παλάτιον γυμνοκαιδίας τρίτην τινὰ ἑταιρίαν ἣν Ἰουλίαν ὠνόμασαν. Tria ergo Romæ Lupercorum collegia, quæ ſacra quotannis rite facerent: hæc aliquantum remiſſa Auguſti ævo, ſed eodemmet reſtituta. Sueton. lib. 11. *Nonnulla*, inquit, *etiam ex antiquis cæremoniis paullatim abolita reſtituit, ut Salutis augurium, Dialeflaminium, ſacrum Lupercale. Nudos Lupercos*] De hoc more Plutarch. in C. Cæſare. Subligacula tantum habebant circa pudenda ex ipſiſmet pellibus caprarum, quas in ſacrificio fecerant. Vide & Dionyſ. lib. 1. nudum etiam corpus tum illis unctum, ut ex Appiano apparet lib. 11. Bell. civil. uncti igitur & ſeminudi diſcurrebant vicatim ludentes, hinc *Ludii* appellati. *Paul.*

268. *Fauni bicornis*] Nam cum cornibus figuratur. *Paul. Et Fauni ſacris bicornis*] Huic Deo ſuſpicor capras illas immolaras: ex harum ſanguine tunc duo juvenes fronte linitâ, lanâ, lacte madidâ eam detergebant, nec fine riſu. Vide Plutarch. in vita Romuli. Canes etiam in eo ſacrificio cæſos. Vid. apud eundem. *N.*

269. *Dicite, &c.*] In referenda horum ſacrorum origine Muſarum imploratnumina. *Sacrorum*] Lupercalium ſcil.

270. *Attigerint domos Latias*] Duo petit, unde habuerint initium, & unde in Italiam venerint. *Paul. Latias unde petita domos*] Ex Arcadiâ primum ſuſpicatur eum Evandro tranſlata: & in hanc ſententiam Plutarchus Romulo. & Clem. Alexandr. Strom. lib. 1. de Carmentâ ἀφ' ἧς Εὐάνδρος, ὁ ἐν Ῥώμῃ τῷ Πανὸς ἱερὸν τὸ Ἀμπέρκιον κλιμακωτὸν κτίσας. Hoc fanum auxerunt poſtea magnis ædificiis Romani, ut auctor Halicarnaſſ. lib. 1. nam vetus illud Arcadium fuit humile & in ſpelunca, multa fronde pertecta.

271. *Coluiſſe feruntur Arcades*] Quippe quem Πανοχάριον. Et ſane nulla prorſus fuit urbs aut angulus in ea regione, in quo ſacrum aliquod huic Pani non eſſet.

Arcades. Arcadiis plurimus ille jugis,
Teſtis erit Pholoë, teſtes Stymphalides undæ,
Quique citis Ladon in mare currit aquis;
Cinctaque pinetis nemoris juga Nonacrini,
Altaque Trœzene, Parrhaſiæque nives.
Pan erat Armenti cuſtos, Pan numen equarum:
Munus ob incolumes ille ferebat oves.
Tranſtulit Evander ſylveſtria numina ſecum:
Hic ubi nunc urbs eſt, tunc locus urbis erat.
Inde deum colimus, devectaque ſacra Pelaſgis,
Flamen ad hæc priſco more dialis erat:

Cur

eſſet. Lege tota Arcadica Pauſaniæ. *Neapol. Pana deum pecoris, &c.*] Exponit nunc, Pana fuiſſe vetuſtiſſimum Arcadiæ numen, præſidemque pecorum. *Arcades veteres*] Vetuſtiſſima enim gens eſt Arcadica. *Pana*] Pro Panem, deum armenti. *In jugis Arcadiis*] In montibus Arcadiæ, celebris erat Panis religio.

273. *Erit teſtis*] Quod ſcilicet in Arcadia coleretur Pan. *Pholoë*] Mons eſt Arcadiæ. *Teſtes undæ Stymphalides*] Eſt enim lacus Stymphalius in Arcadia, & in ejus ripis erat Stymphalum oppidum. *Paul. Teſtis erit Pholoë*] Φολόη mons ejuſdem regionis. Strabo l. VIII. nomen ſortitus à Pholo illo Herculi intimo, ibi ſepulto. Vide Diodor. Βιβλιοθ. lib. IV. *Teſtes Stymphalides undæ*] Stymphalus urbs in Arcadia & ejuſdem nominis amnis. Pauſan. lib. VIII.

274. *Quique citis*] Hic defluit è paludibus Phenei. *N. Et teſtis erit*] Eſt enim Ladon Arcadiæ fluvius: qui cum prius exitum non haberet, paludem faciebat. Poſtea terræ motu alveum invenit.

275. *Nemoris Nonacrini*] Pro Nonacri monte nemoroſo dicit. *Nemoris*] Nonacris etiam inter colles Arcadicos. Adi Plin. lib. IV. c. VI. Is unus è quo fluebat ſtygos hydor. cujus admiranda peras à Vitruvio lib. V. c. 3. *Cincta pinetis*] Quia plena ſunt pinu.

276. *Et alta Trœzene*] Trœzen & Trœzene, idem, eſt urbs Arcadiæ. *Et nives Parrhaſia*] Parrhaſiam ſuperius Arcadiam dictam fuiſſe diximus, & erat etiam Parrhaſia urbs. Sed hic Parrhaſiæ nives, quaſi nivoſi omnes Arcadiæ montes.

277. *Pan erat armenti, &c.*] In Arcadia Pan pecorum & aquarum deus erat, & pro ovium incolumitate Pani munera offerebant. *Illic*] In Arcadia. *Paul. Pan illic numen, &c.*] Hinc in Græcorum Epigrammatis nil frequentius reperies, quam Pani deo vota piſcatorum: de his alicubi Zoſimus Thaſius: πρὸς τὴν Πανὸς ὑφῆπτο λίνα. ad felicem ſane capturam. *Neap.*

278. *Ferebat munus*] Quia ſibi munera offerebantur. *Ob oves incolumes*] Quas ab omni morbo tuebatur.

279. *Tranſtulit Evander, &c.*] Jam retulit, unde ſacra habuerint originem, hoc eſt, ab Arcadibus. Nunc refert unde in Italiam venerint. Illa, inquit, ex Arcadia in Italiam, Evander tranſvexit. *Tranſtulit ſecum, &c.*] Quaſi Panis ſacra, qui dominus eſt ſylvarum. *Paul. Tranſtulit Evander*] Quo tempore, jam notavimus primo Faſtorum. *Neapol.*

280. *Tunc*] Evandro adveniente. *Erat locus urbis*] Nondum erat condita, ſed ibi condi debebat.

281. *Inde*] Ab illa tranſlatione Evandri. *Colimus*] Nos ſcilicet Latini. *Deum*] Pana ſcilicet. *Pelaſgis*] Hoc eſt, ab Arcadibus. Nam ſuperius diximus Arcadiam aliquando appellatam fuiſſe *Pelaſgiam*, aliquando *Lycaoniam*, aliquando *Gigantida*, aliquando *Parrhaſiam*.

282. *Flamen dialis*] Hoc eſt, Jovis ſacerdos. *Ad hæc*] Sacra ſcilicet perficienda. *Paul. Dialis erat*] Ne titubes. Idcirco hujus ſacris flamen hic affuit, quia Pan univerſa natura creditus, & ipſe Jupiter: Norunt Mythici.

283. *Cur*

Cur igitur currant, & cur (ſic currere mos eſt)
Nuda ferant poſita corpora veſte, rogas?
Ipſe deus velox diſcurrere gaudet in altis
Montibus, & ſubitas concipit ipſe fugas.
Ipſe Deus nudus nudos jubet ire miniſtros:
Nec ſatis ad curſum commoda veſtis erat.
Ante Jovem genitum terras habuiſſe feruntur
Arcades: & Luna gens prior illa fuit.
Vita feris ſimilis nullos agitata per uſus,
Artis adhuc expers, & rude vulgus erat.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas:
Nectar erat palmis hauſta duabus aqua.
Nullus anhelabat ſub aduncо vomere taurus,
Nulla ſub imperio terra colentis erat:
Nullus adhuc erat uſus equi, ſe quiſque ferebat.

Ibat

283. *Cur igitur currant*] Nunc dicendæ veniunt cauſæ celerrimi curſus & poſitæ veſtis: quibus diutius inſiſtit. *Neap. Cur igitur currant, &c.*] Cauſas quærit ergo, cur currant, & cur nudi. Et ipſe cauſam explicat: quod diſcurrens ſua velocitate deus diſcurrentes etiam optat, & ſine veſtibus: nam veſtes curſum impediunt. *Cur currant*] Sacra ipſa celebrantes.

285. *Gaudet*] Quaſi modo hac, modo illac per altos montes currere.

286. *Et ipſe concipit*] Repentinos & celeres curſus concipit animo, & exercet corpore. *Paul. Concipit ipſe fugas*] Lege, *concitat ille feras*: & ita liber MS. *Neapol.*

287. *Ipſe deus nudus*] Cauſa, cur nudos miniſtros optet: quia & ipſe nudus. *Ipſe deus nudus, &c.*] Amicitur tamen, ut alii, pelle caprina: ut alii, pelle hinnuli.

289. *Ante Jovem genitum*] Nunc aggreditur ſylveſtrem ipſum vetuſtatis cultum. Sed cum vetuſtiſſima omnium eſſet gens Arcadica, quæ Pana colebat, in Panis ſacris vetuſtatis cultus refertur. *Ante Jovem genitum*] Hoc eſt, antequam dii eſſent.

290. *Orta prior luna*] Hinc Arcades προσέληνοι, i. e. Antelunares dicti ſunt.

291. *Feris*] Nam velut feræ degebant.

Agitata] Exercita. *Uſus*] Conſuetudinem aut converſationem. *Paul. Vitæ feris ſimilis*] Vid. Diod. Siculum in primo. Τὸν δὲ ἐξ ἀρχῆς γενηθέντας τῶν ἀνθρώπων φασὶν ἐν ἀτάκτῳ δὲ διαιτᾶσθαι βίῳ καθάπερ θῆρας, &c. Neap.

292. *Adhuc*] Ad ea tempora. *Et rude*] Impolitum, informatum: & nullum adhuc illis fuerat cum cæteris hominibus commercium.

293. *Frondes pro domibus*] Quia non fabricabant mœnia, ſed nemora incolebant. *Et norant herbas pro frugibus*] Non erant illis uſus frugum, ſed illarum loco herbas edebant.

294. *Duabus palmis*] Quia poculorum adhuc uſus non erat, ſed manus poculorum officium explebant. *Paul. Hauſta duabus aqua*] Cum neque poculi, neque vini uſus erat. *Neapol.*

295. *Nullus anhelabat ſub, &c.*] Non erat uſus aratri, non agricolationis. *Anhelabat*] Ad aratrum non cogebatur. Ideo non anhelitum crebrum emittebat, qui provenit ex motu laboroſo.

296. *Nulla terra*] Nulla terræ pars. *Sub imperio colentis*] Hoc eſt agricolæ.

297. *Nullus uſus equi, &c.*] Equo vehi Bellerophon primus edocuit. *Quiſque ferebat ſe*] Non vehebatur equo, ſed ſuis pedibus ambulabat.

Ibat ovis lana corpus amicta ſua,
Sub Jove durabant, & corpora nuda gerebant,
Docta graves imbres & tolerare Notos.
Nunc quoque detecti referunt monumenta vetuſti
Moris, & antiquas teſtificantur opes.
Sed, cur præcipue fugiat velamina Faunus,
Traditur antiqui fabula plena joci.
Forte comes dominæ juvenis Tirynthius ibat:
Vidit ab excelſo Faunus utrumque jugo.
Vidit, & incaluit, Montanaque numina dixit,
Nil mihi vobiſcum eſt: hæc meus ardor erit.
Ibat odoratis humeros perfuſa capillis
Mæonis, aurato conſpicienda ſinu.

Aurea

298. *Sua lana*] Quia non tondebatur ad hominum veſtes.

299. *Durabant ſub Jove*] Sub dio: hoc eſt, ſub aperto cœlo: quia tectis carebant. *Durabant* ergo, quaſi patienter perſeverabant ſub aëre. *Paul. Et corpora nuda gerebant*] Diodor. Siculus in primo: τὸν μὲν πρώτους τῶν ἀνθρώπων, μηδενὸς τῶν πρὸς βίον χρησίμων εὑρημένου ἐπιπόνως διάγειν, γυμνὸς μὲν ἐσθῆτος ἔνιους, &c. Primus Pelaſgus ſubvenit his malis. Vide & Pauſan. lib. VIII.

300. *Et tolerare notos*] Ventos. Sed notus proprie eſt meridionalis ventus, & ſæpe inducit pluvias.

301. *Detecti*] Hoc eſt, nudi. *Referunt monumenta*] Quaſi repræſentant memoriam.

302. *Et teſtificantur*] Ipſi Luperci ſcilicet. *Antiquas opes*] Quæ fuerint antiquis: quaſi referunt antiquam paupertatem, cum nudi ſint.

303. *Sed cur Faunus præcipue fugiat velamina*] Cur maxime odio habeat & evitet veſtes.

305. *Juvenis Tirynthius*] Hercules, à Tirynthe oppido. *Ibat forte comes Omphalæ*] Cui ſerviebat.

306. *Faunus*] Ipſe Pan. *Vidit utrumque*] Herculem & Omphalen. *Ab excelſo loco*] A ſummo monte.

307. *Et incalnit*] Id eſt, arſit amore illius Omphales. *O numina montana*] h. e. Oreades, quæ ſunt deæ montium.

308. *Nihil eſt mihi veſtſium*] Quaſi non amo vos. *Hic erit ardor meus*] Omphales ſcilicet: nam hanc ardeo.

309. *Ibat Mæonis*] Omphale: Mæonia à patria. Nam Lydia Mæonia dicta eſt: & inde Mæones populi. *Perfuſa humeros*] Habens humeros perfuſos. *Capillis odoratis*] Propter unguenta ſcilicet, quorum uſus eſt Lydis. *Paul. Humeros perfuſa capillis*] De hac & alia crinium textura Lucian. Ἐν τοῖς Ἐρωτικοῖς ſub finem. Quin ſic capillum geſtabant, nodo ad ſummum verticem religabatur. Sic & Apuleius de quadam lib. 11. Metam.

310. *Mæonis*] Nam Omphale domo Lydiâ. Mæones antiquitus dicti Lydiæ populi. Strabo lib. XIII. Herodot. lib. 1. ſub initium. Et nomina barbarica variis obnoxia mutationibus: nam & *Meones* antiquior ſcriptura quam *Mæones*. *Aurato ſinu*] Pro veſte auro ſparſa, ſive acu picta, ſive aureis filis contexta, ſive ſegmentata. Et noſter, paucis interjectis, hanc eandem Omphales facit. *Gætulo murice tinctam.* Compones ex auro & purpura veſtem χιτῶνα ὁλοπόρφυρον, χρυσῷ καλάσασον, ſive melius διάκρισον σηρικὸν, coloris vero purpurei, non ex lana: nam tunicæ epithetum eſt *tenuis*, quod Latinis ſcio paſſim pro ſerico in uſu. Poëta de crocota: *Tenui ſuccincta crocota.* Et hæc è ſerico fuit. *Neapol. Conſpicienda*] Digna conſpici. *Aurato ſinu*] Veſte aurata, filo aureo contexta.

311. *Aurea*

Aurea pellebant rapidos umbracula ſoles,
Quæ tamen Herculeæ ſuſtinuêre manus.
Jamque nemus Bacchi Tmoli vineta tenebant:
Heſperus & fuſco roſcidus ibat equo.
Antra ſubit tophis laqueataque pumice vivo.
Garrulus in primo limine rivus erat.
Dumque parant epulas potandaque vina miniſtri;
Cultibus Alciden inſtruit illa ſuis.
Dat tenues tunicas Gætulo murice tinctas,
Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit.
Ventre minor zona eſt: tunicarum vincla relaxat,
Ut poſſit magnas exſeruiſſe manus.
Fregerat armillas non illa ad brachia factas:
Stringebant magnos vincula parva pedes.
Ipſa capit, clavamque gravem, ſpoliumque leonis,
Condita-

311. *Aurea umbracula*] Hoc eſt, aurea velamina, umbram facientia. *Soles repidos*] Hoc eſt, calores ſolis. *Paul. Tepidos umbracula Soles*] Umbraculum τὸ σκιάδιον: quod ex pellibus & è qualibet divite materia concinnari poterat, quæ Solis radios arceret. *Neap.*

312. *Quæ*] Umbracula. *Suſtinuere*] Nam ipſa ſua manu ſuſtentabat.

313. *Nemus Bacchi*] Mœonia ergo cum nullas habeat arbores, niſi vites, quibus & optimis abundat, Bacchi nemus dicetur, *Et Tmoli vineta*] Et Tmolum vitibus conſitum Plinius dixit. *Vineta* ergo *Tmoli*, Bacchi nemora intelligit. *P. Tmoli vineta*] Τμῶλος Lydiæ mons, imminet Sardibus: quæ olim regia fuit Lydorum. Hinc noſtro, *vineta Tmoli*, & Græcis celebris οἶνος Τμωλίτης: de quo Strabo lib. XIV. *Neapol.*

314. *Heſperus*] Veſper. *Roſcidus*] Humidus; & hoc à noctis humiditate. Per hanc enim circumlocutionem principium noctis demonſtrat.

115. *Sulit*] Hercules ipſe. *Antra*] Cryptas. *Laqueata*] Non tamen arte, ſed ipſa natura. *Tophis & vivo pumice*] Sunt hæ lapidum ſpecies omnibus notæ. *Paul. Tophis laqueata*] Naturâ magiſtra: nam tophus eſt nativus. *Neapol.*

316. *Rivus garrulus*] Ab aquarum murmure: quaſi ſtrepidulus rivus. *In primo limine*] Ante ingreſſum ipſius antri, ut augeret loci amœnitatem.

318. *Illa*] Omphale. *Alciden*] Herculem. *Paul. Alciden induit illa*] O viro forti injuriam: ſed quia mortalis, ἀλιθυρόης: riſit tamen id factum Herculis, Tertullianus in Pallio: vocando illum, *Scytalo ſagittipellegerum.*

319. *Dat tenues tunicas*] Has εἵρεον κύπασσιν vocavit Dictinus Poëta vetus; traditque ab eadem in templo Dianæ conſecratas. Heſych. Κύπασις, περίζωμα καὶ χιτῶνος εἶδος. *Neapol. Gætulo murice*] Quaſi purpura ex Africa. Gætuli enim Afri ſunt.

320. *Dat zonam teretem*] Cingulum rotundum: à ζωννύω, quod eſt cingo.

321. *Ventre minor zona*] Hercules membroſior erat, & corpulentior ipſa Omphale: ergo neque tunica, neque zona illi apta erat. *Relaxat*] Aperit.

322. *Exſeruiſſe*] Pro exſerere.

323. *Fregerat armillas*] Brachiorum ornamenta. *Non factas ad illa brachia*] Herculea ſcilicet.

324. *Vincula parva*] Hoc eſt, calceos parvos. *Scindebant vincula parva pedes*] Quippe fœminea; eademque non laxa ipſis geſtari ſolita: quam phreneſim, inter alias mulierum notavit Lucian. *N.*

325. *Capit clavam*] Qua Hercules utebatur. *Et ſpolium leonis*] Hercules ſemper pro amictu, leonis pelle uſus eſt.

Ibat ovis lana corpus amicta ſua,
Sub Jove durabant, & corpora nuda gerebant,
Docta graves imbres & tolerare Notos.
Nunc quoque detecti referunt monumenta vetuſti
Moris, & antiquas teſtificantur opes.
Sed, cur præcipue fugiat velamina Faunus,
Traditur antiqui fabula plena joci.
Forte comes dominæ juvenis Tirynthius ibat:
Vidit ab excelſo Faunus utrumque jugo.
Vidit, & incaluit, Montanaque numina dixit,
Nil mihi vobiſcum eſt; hæc meus ardor erit.
Ibat odoratis humeros perfuſa capillis
Mæonis, aurato conſpicienda ſinu.

Aurea

298. *Sua lana*] Quia non tondebatur ad hominum veſtes.

299. *Durabant ſub Jove*] Sub dio: hoc eſt, ſub aperto cœlo: quia tectis carebant. *Durabant* ergo, quaſi patienter perſeverabant ſub aëre. *Paul. Et corpora nuda gerebant*] Diodor. Siculus in primo: τὰς δὲ πράξεις τῶν ἀνθρώπων, μηδενὸς τῶν πρὸς βίον χρησίμων εὑρημένου ἐπιπόνως διάγειν, γυμνὸς μὲν ἐσθῆτος ὄντας, &c. Primus Pelaſgus ſubvenit his malis. Vide & Pauſan. lib. VIII.

300. *Et tolerare notos*] Ventos. Sed notus proprie eſt meridionalis ventus, & ſæpe inducit pluvias.

301. *Detecti*] Hoc eſt, nudi. *Referunt monumenta*] Quaſi repræſentant memoriam.

302. *Et teſtificantur*] Ipſi Luperci ſcilicet. *Antiquas opes*] Quæ fuerint antiquis: quaſi referunt antiquam paupertatem, cum nudi ſint.

303. *Sed cur Faunus præcipue fugiat velamina*] Cur maxime odio habeat & evitet veſtes.

305. *Juvenis Tirynthius*] Hercules, à Tirynthe oppido. *Ibat forte comes Omphalæ*] Cui ſerviebat.

306. *Faunus*] Ipſe Pan. *Vidit utrumque*] Herculem & Omphalen. *Ab excelſo loco*] A ſummo monte.

307. *Et incaluit*] Id eſt, arſit amore illius Omphales. *O numina montana*] h. e. Oreades, quæ ſunt deæ montium.

308. *Nihil eſt mihi vobiſcum*] Quaſi non amo vos. *Hic erit ardor meus*] Omphales ſcilicet: nam hanc ardeo.

309. *Ibat Mæonis*] Omphale: Mæonia à patria. Nam Lydia Mæonia dicta eſt: & inde Mæones populi. *Perfuſa humeros*] Habens humeros perfuſos. *Capillis odoratis*] Propter unguenta ſcilicet, quorum uſus eſt Lydis. *Paul. Humeros perfuſa capillis*] De hac & alia crinium textura Lucian. Ἐν τοῖς Ἔρωσι ſub finem. Quin ſic capillum geſtabant, modo ad ſummum verticem religabatur. Sic & Apuleius de quadam lib. 11. Metam.

310. *Mæonis*] Nam Omphale domo Lydiâ. Mæones antiquitus dicti Lydiæ populi. Strabo lib. XIII. Herodot. lib. 1. ſub initium. Et nomina barbarica variis obnoxia mutationibus: nam & *Meones* antiquior ſcriptura quam *Mæones*. *Aurato ſinu*] Pro veſte auro ſparſa, ſive acu picta, ſive aureis filis contexta, ſive ſegmentata. Et noſter, paucis interjectis, hanc eandem Omphales facit. *Gætulo murice tinctam.* Compones ex auro & purpura veſtem χιτῶνα ὁλοπόρφυρον, χρυσῷ καλάπαστον, ſive melius διάχρυσον σηρικὸν, coloris vero purpurei, non ex lana: nam tunicæ epithetum eſt *tenuis*, quod Latinis ſcio paſſim pro ſerico in uſu. Poeta de crocota: *Tenui ſuccincta crocota.* Et hæc è ſerico fuit. *Neapol. Conſpicienda*] Digna conſpici. *Aurato ſinu*] Veſte aurata, filo aureo contexta.

311. *Aurea*

Aurea pellebant rapidos umbracula ſoles,
Quæ tamen Herculeæ ſuſtinuêre manus.
Jamque nemus Bacchi Tmoli vineta tenebant:
Heſperus & fuſco roſcidus ibat equo.
Antra ſubit tophis laqueataque pumice vivo.
Garrulus in primo limine rivus erat.
Dumque parant epulas potandaque vina miniſtri;
Cultibus Alciden inſtruit illa ſuis.
Dat tenues tunicas Gætulo murice tinctas,
Dat teretem zonam, qua modo cincta fuit.
Ventre minor zona eſt: tunicarum vincla relaxat,
Ut poſſit magnas exſeruiſſe manus.
Fregerat armillas non illa ad brachia factas:
Stringebant magnos vincula parva pedes.
Ipſa capit, clavamque gravem, ſpoliumque leonis,
Condita-

311. *Aurea umbracula*] Hoc eſt, aurea velamina, umbram facientia. *Soles tepidos*] Hoc eſt, calores ſolis. *Paul. Tepidos umbracula Soles*] Umbraculum τὸ σκιάδιον: quod ex pellibus & è qualibet divite materia concinnari poterat, quæ Solis radios arceret. *Neap.*

312. *Quæ*] Umbracula. *Suſtinuere*] Nam ipſa ſua manu ſuſtentabat.

313. *Nemus Bacchi*] Mœonia ergo cum nullas habeat arbores, niſi vites, quibus & optimis abundat, Bacchi nemus dicetur, *Et Tmoli vineta*] Et Tmolum vitibus conſitum Plinius dixit. *Vineta* ergo *Tmoli*, Bacchi nemora intelligit. *P. Tmoli vineta*] Τμῶλος Lydiæ mons, imminet Sardibus: quæ olim régia fuit Lydorum. Hinc noſtro, *vineta Tmoli*, & Græcis celebris οἶνος Τμωλίτης: de quo Strabo lib. XIV. *Neapol.*

314. *Heſperus*] Veſper. *Roſcidus*] Humidus; & hoc à noctis humiditate. Per hanc enim circumlocutionem principium noctis demonſtrat.

115. *Sulit*] Hercules ipſe. *Antra*] Cryptas. *Laqueata*] Non tamen arte, ſed ipſa natura. *Tophis & vivo pumice*] Sunt hæ lapidum ſpecies omnibus notæ. *Paul. Tophis laqueata*] Naturâ magiſtra: nam tophus eſt nativus. *Neapol.*

316. *Rivus garrulus*] Ab aquarum murmure: quaſi ſtrepidulus rivus. *In primo limine*] Ante ingreſſum ipſius antri, ut augeret loci amœnitatem.

318. *Illa*] Omphale. *Alciden*] Herculem. *Paul. Alciden induit illa*] O viro forti injuriam: ſed quia mortalis, ἀνθρώπου: riſit tamen id factum Herculis, Tertullianus in Pallio: vocando illum, *Scytalo ſagittiferum.*

319. *Dat tenues tunicas*] Has ἁβρὰν κύπασσιν vocavit Dictinus Poeta vetus; traditque ab eadem in templo Dianæ conſecratas. Heſych. Κύπασις, περίζωμα καὶ χιτῶνος εἶδος. *Neapol. Gætulo murice*] Quaſi purpura ex Africa. Gætuli enim Afri ſunt.

320. *Dat zonam teretem*] Cingulum rotundum: à ζωννύω, quod eſt cingo.

321. *Ventre minor zona*] Hercules membroſior erat, & corpulentior ipſa Omphale: ergo neque tunica, neque zona illi apta erat. *Relaxat*] Aperit.

322. *Exſeruiſſe*] Pro exerere.

323. *Fregerat armillas*] Brachiorum ornamenta. *Non factas ad illa brachia*] Herculea ſcilicet.

324. *Vincula parva*] Hoc eſt, calceos parvos. *Scindebant vincula parva pedes*] Quippe feminea; eademque non laxa ipſius geſtari ſolita: quam phreneſim, inter alias mulierum notavit Lucian. *N.*

325. *Capit clavam*] Qua Hercules utebatur. *Et ſpolium leonis*] Hercules ſemper pro amictu, leonis pelle uſus eſt.

Conditaque in pharetra tela minora ſua.
Sic epulis functi, ſic dant ſua corpora ſomno,
Et poſitis juxta ſecubuêre toris.
Cauſſa, repertori vitis pia ſacra parabant,
Quæ fecerint pure, cùm foret orta dies.
Noctis erat medium (quid non amor improbus audet?)
Roſcida per tenebras Faunus ad antra venit.
Utque videt comites ſomno vinoque ſolutos;
Spem capit in dominis eſſe ſoporis idem.
Intrat: & huc illuc temerarius errat adulter,
Et præfert cautas, ſubſequiturque, manus.
Venerat ad ſtrati captata cubilia lecti,
Et prima felix ſorte futurus erat.
Ut tetigit fulvi ſetis hirſuta leonis

Vel-

326. *Tela minora*] Quæ minora erant è telis Herculeis.

327. *Sic*] Hoc eſt, eo ornatu, ſeu mutato cultu.

328. *Et ſecubuêre*] Id eſt, ſeorſim cubuêre, & diviſim. *Toris*] Lectis. *Juxta*] In eſt, prope. *Secubuêre toris*] Nam id caſto fuiſſe debebant, qui mane ſe rei ſacræ immiſturi erant: receptiſſimus ritus apud veteres. In ſacris Iſidis factitatum obſervo diſertim ex Juvenale Sat. VI. v. 536. ubi maritus, ſi puris & obſervandis diebus à concubitu uxorio non abſtinuerat, veniam à Dea impetrat pro violato cadurco. Inde lectum, in quo per eos dies cubabant, variis herbis ſubſternebant, quibus vis aliqua ad tutelam caſtitatis; quod ſumma cura factum Athenis in Theſmophoriis: erat autem in uſu conyza, pinus folia, cneorum, vitex, & cicutæ liquor, &c.

329. *Repertori vitis, &c.*] Huic potiſſimum, cujus Γέφυραι in Limnis ubi fiebant τὰ ἀρχαιότερα Διονύσια, cogebantur antequam ſacra attrectarent, hanc ſacramenti formulam proferre: Ἁγιεύω καὶ εἰμὶ καθαρὸς καὶ ἁγνὸς ἀπὸ τῶν ἄλλων τῶν καθαιρευόντων, καὶ ὑπ' ἀνδρὸς συνουσίας καὶ τὰ Θιόγνια, καὶ Ἰσβακχεύω γεφύρῳ τῷ Διονύσῳ κατὰ τὰ πάτρια, καὶ ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. Sunt verba Demoſthenis. *Neap. Cauſſa repertori vitis, &c.*] Secubabant hi cum eſſent mane Baccho ſacrificaturi, quod per caſtas manus fieri ſolebat. Aiunt enim, Orpheum Orgia, id eſt, ſacrificia Bacchi inſtituiſſe: à menſtruoſis ſolum mulieribus, quando ab ipſarum commixtione viri abhorreant, celebrari, & hoc ut caſte fierent.

331. *Noctis erat medium*] Sopitis dominis & ſervis, cum eſſet media nox, Faunus illuc conceſſit.

332. *Ad antra*] Ad ea, in quibus illi recumbebant. *Roſcida*] Humida. *Per tenebras*] Cum eam ſibi traditam opportunitatem putaret.

334. *Eſſe idem ſoporis in dominis*] Quaſi itidem dormire dominos, ut famulos putabat.

335. *Temerarius*] Imprudens & audax. *Huc & illuc*] Nam ſine lumine incedebat.

336. *Et præfert*] Ut moris eſt per obſcura incedentium, ſemper manus præferunt, ne crura aut vultum infringant.

337. *Ad cubilia captata*] Quæ captaverat. *Lecti ſtrati*] Inſtrati aut jacentis.

338. *Futurus felix*] Quia venerat ad lectum quem cupiverat.

339. *Vellera hirſuta ſetis*] Quaſi hirta & aſpera ſetis, id eſt, pilis. *Fulvi*] Rufi. *Paul. Setis hirſuta leonis*] Quibus Omphale Herculem mentiebatur, *Neapol.*

340. *Per-*

Vellera ; pertimuit, ſuſtinuitque manum.
Attonituſque metu rediit: ut ſepe viator
Turbatum viſo rettulit angue pedem.
Inde tori, qui junctus erat, velamina tangit
Mollia, mendaci decipiturque nota.
Adſcendit: ſpondaque ſibi propiore recumbit
(Et rigidum cornu durius inguen erat,)
Interea tunicas ora ſubducit ab ima:
(Horrebant denſis aſpera crura pilis)
Cætera tentantem cubito Tirynthius heros
Reppulit. è ſummo decidit ille toro.
Fit ſonus. inclamant comites, & lumina poſcit
Mæonis. illatis ignibus acta patent.
Ille gemit lecto graviter dejectus ab alto:
Membraque de dura vix ſua tollit humo.
Ridet & Alcides, & qui vidêre jacentem:
Ridet amatorem Lyda puella ſuum.
Veſte deus luſus, fallentes lumina veſtes

Non

340. *Pertimuit*] Quia putabat Herculem eſſe. *Suſtinuit*] Quaſi ſurſum tenuit manum.

343. *Inde tori*] Seceſſit, è cubiculo Omphales, cum ibi Herculem eſſe putaret: & acceſſit ad Herculem, deceptuſque eſt velaminibus puellæ, quibus ille tectus erat. *Mollia velamina*] Sericæ veſtes Omphales. *Tori*] Lecti.

344. *Et decipitur mendaci nota*] Id eſt, falſo ſigno muliebrium ornamentorum.

345. *Aſcendit*] Torum illum. *Et recumbit*] Collocat ſe. *Sponda ſibi propiore*] Ea parte lecti, quæ ſibi magis erat propinqua. *Sponda* enim pars lecti eſt. *Aſcendit*] Oſtendit hac vocula fuiſſe κλίνον ejuſdem βατρίριον. Hæc pro literatis. *Spondaque ſibi propiore*] Sponda ſignificat hîc quamlibet cubilis partem: & bene. Nam *ſpondas* dixêre Latini utraque lecti latera, ſed cum diſcrimine: nam quæ parieti hærebat *interior* dicta, ſive *pluteus*; altera *exterior*, ſive *prior*: in hac cubaſſe viros obſervo. *Neap.*

347. *Ab ima ora*] Id eſt, ab extremitate inferiore veſtium: cœperat veſtes elevare.

348. *Horrebant*] Horrida erant. *Denſis pilis*] Denſitate pilorum.

349. *Cætera tentantem, &c.*] Elevaverat veſtem: & cum vellet ſe ad rem accingere, Herculis cubito excuſſus eſt. *Heros Tirynthius*] Hercules. *Paul. Cætera tentantem*] Αἰδοῖα. Neap.

350. *Decidit è ſummo toro*] Excuſſus ab Hercule decidit in humum.

351. *Fit ſonus*] Strepitus ex eo Fauni caſu.

352. *Mæonis*] Omphale Mæonia. *Acta*] Quæ acta erant. *Patent*] Fiunt manifeſta. *Illatis*] Allato lumine.

353. *Gemit*] Suſpirat, vel gemitus edit.

354. *Et vix tollit*] Hoc eſt, cum labore attollere poterat ſua membra.

356. *Lyda puella*] Omphale ex Lydia. *Puella*] De eadem Propert. *Lydia Cygæo tincta puella lacu.*

357. *Veſte deus luſus, &c.*] Hæc igitur cauſa eſt, cur nodos miniſtros in ſacris ſuis optet: quia veſtes odit, quibus deluſus eſt ipſe Faunus. *Deus*] Faunus. *Luſus*] Deluſus. *Veſtes fallentes*] Quibus falluntur, decipiuntur. *Lumina*] Oculi. *Fallentes lumina veſtes*] Et ſecundam cauſſam nudi inceſſus: nunc penſita aliam, quæ ſubſequitur. *Neap.*

358. *Nudos*]

Non amat, & nudos ad ſua ſacra vocat.
Adde peregrinis cauſſas, mea Muſa, Latinas;
Inque ſuo noſter pulvere currat equus.
Cornipedi Fauno cæſa de more capella
Venit ad exiguas turba vocata dapes.
Dumque ſacerdotes verubus tranſſuta ſalignis
Exta parant, medias ſole tenente vias;
Romulus, & frater, paſtoraliſque juventus,
Solibus, & campo corpora nuda dabant:
Cæſtibus, & jaculis, & miſſi pondere ſaxi
Brachia per luſus experienda dabant.
Paſtor ab excelſo, per devia rura juvencos,
Romule prædones, eripe, dixit, agunt.
Longum erat armari. diverſis exit uterque
Partibus,

358. *Nudos*] Miniſtros ſcilicet, aut Lupercos.

359. *Adde peregrinis cauſſas*] Hactenus Poëta Lupercalium externas cauſas retulit, nunc Latinam relaturus eſt. *Latinas cauſſas peregrinis*] O Calliope, adde huic rei cauſam Latinam, cum peregrinam & externam explicuerimus. *Peregrinis*] Ut Græci, quicquid ſuum non erat, *barbarum* & *exoticum* dixere ita Romani *peregrinum*: unde his peregrina lingua quævis extera: peregrina ſacra colebantur eorum more à quibus accepta; ut hæc Lupercalia, illa matris Idææ, &c. *Neapol.*

360. *Noſter equus*] Per tranſlationem, hoc eſt, noſtrum ingenium. *In ſuo pulvere*] Hoc eſt, in Latina materia. Nam Latinus ipſe Latina relaturus eſt.

361. *Cornipedi Fauno caſa, &c.*] Convenit turba ad ſacrificium Fauni, immolata capella, quam mactari in iiſdem ſacris mos fuit. *Fauno cornipedi*] Habet enim caprinos pedes.

362. *Turba vocata*] Ut Romulus, & Remus, & comites, & quævis multitudo cum his. *Ad dapes exiguas*] Non ſumptuoſas.

363. *Tranſſuta*] Quaſi trajecta. *Verubus ſaliguis*] E ſalice factis.

364. *Sole tenente medias vias*] Hoc eſt, in meridie. *Paul. Exta parant*] Ex ritu antiquiſſimo, & exta ex victima ſibi parare eademque aſſa non edixe. *Neapol.*

366. *Dabant nuda corpora*] Id eſt, denudabant corpora, vel exercenda præbebant corpora denudata. *Solibus*] Solis caloribus.

367. *Cæſtibus, & jaculis, &c.*] Exercebant ſe cæſtu, & jaculi & ſaxi jactu. P. *Et miſſi pondere ſaxi*] Solo brachio, an fundâ ſe exercuerint, ex his non colligo; licet veteres Gloſſæ λιθοβόλους *fundibalos* exponant: in qua vocula nihil τῷ σφενδόνης. Neap. *Et jaculis*] Jaculorum jactu. *Et pondere ſaxi miſſi*] Hoc eſt, ponderoſo ſaxo emiſſo.

368. *Dabant brachia experienda*] Quaſi experiebantur & exercebant brachia. *Per luſus*] Ut luderent exercerentque ſe. Eſt enim *cæſtus* genus clavæ, pilas plumbeas corio appenſas habens, quo Daretem & Entellum pugnaſſe legimus.

369. *Paſtor ab excelſo, &c.*] Inclamavit eos paſtor quidam ex alto, monens, prædones juvencos abigere. *Per rura devia*] Per rura, quæ deorſum à via ſunt.

370. *Agunt*] Pro abigunt.

371. *Longum erat armari, &c.*] Nudi, ſicut erant, ne longa mora armandi noceret, hinc Romulus, inde Remus occurrit, prædamque ab hoſte Remus eripuit. *Longum erat armari*] Quaſi longa mora fuiſſet, ſi ſe armare voluiſſent. *Uterque*] Romulus & Remus. *Diverſis partibus*] In diverſas partes.

372. *Occurſu*

Partibus, occurſu præda recepta Remi.
Ut rediit, virubus ſtridentia detrahit exta:
Atque ait, Hæc certe non niſi victor edet.
Dicta facit, Fabiique ſimul. venit irritus illuc
Romulus, & menſas, oſſaque nuda videt.
Riſit, & indoluit, Fabios potuiſſe Remumque
Vincere: Quintilios non potuiſſe ſuos.
Fama manet facti: poſito velamine currunt.
Et memorem famam, cui bene ceſſit, habet.
Forſitan & quæras cur ſit locus ille Lupercal,
Quæve diem tali nomine cauſſa notet.
Ilia veſtalis cœleſti ſemina partu
Ediderat, patruo regna tenente ſuo.
Is jubet auferri parvos, & in amne necari.
Quid facis? ex iſtis Romulus alter erit.

Juſſa

372. *Occurſu*] Interventu Remi.

373. *Ut rediit, &c.*] Reverſus cum victoria Remus, decocta exta accepit, edicens, non niſi victorem ex illis edere debere: itaque cum Fabiis comitibus ſuis fecit. *Exta*] Interiora illa. *Stridentia*] Stridorem facientia, & dum coquerentur, & dum extraherentur verubus.

374. *Niſi victor*] Ille qui prædam ab hoſtibus eripuit.

375. *Dicta facit, &c.*] Facit Remus cum Fabiis, quod dixerat. Fabii enim erant Remi ſocii, & Quintilii erant Romuli. *Venit illuc*] Ubi Remus & Fabii erant. *Et Fabii ſimul*] Nam ſimul edebant, ſine Romulo, & Romuli ſociis.

376. *Romulus irritus*] Qui in caſſum accederat. *Videt menſas & oſſa nuda*] Quia jam carnem comederant.

378. *Non potuiſſe*] Vincere ſcilicet. *Suos Quintilios*] Comites ſuos.

379. *Currunt poſito velamine*] Pro depoſitis veſtibus, id eſt, nudi, ut cucurrerant adverſus prædones. *Paul. Fama manet facti*] Hallucinaris, Ovidi. Tuncne aliquid novi à Romulo & ſociis in poſterum introductum? non hercule, ſed nudi ſe exercebant: quia veſtimenta poſuerant ob ſacrificium Pani peractum, ex more antiquiſſimo, recepto ab Evandri adventu. *Neapol.*

380. *Et qui bene geſſit*] Hoc eſt, Remus, qui prædam recepit. *Habet famam memorem*] Quaſi perpetuam: quia celebris fuit apud poſteros.

381. *Forſitan & quæras, &c.*] Locus in quo Fauni ſacra hunt, *Lupercal* dicitur, *Cur ille locus*] In quo ſcilicet fiunt Lupercalia. *Paul. Cur ſit locus ille Lupercal*] Quærit etymon Lupercalis, quod locus in quo Fauni ſacra fiebant. Et primo ad lucem narratiunculæ præfero Dionyſii verba de nemore, quo ſcapha cum geminis expoſitis receſſit: Ἐκ γὰρ τοῦ Παλατίου τὸ νάπος καὶ βωμὸς ἦν αὐτόθι τοῦ Διός. Neapol.

382. *Cauſa notet locum tali nomine*] Cur ita appelletur locus ille.

383. *Sylvia Veſtalis, &c.*] Hiſtoriam aggreditur ortus & expoſitionis Romuli & Remi. Nam ubi expoſitis lupa lac tribuit, locus ille *Lupercal* dictus eſt. *Sylvia*] Quæ Rhea, & Ilia dicta eſt. *Paul. Sylvia*] Hinc eadem de ſe ipſa in III.

Ignibus Iliacis aderam, cum lapſa capillis
Decidit ante ſacros lanea vitta focos.

384. *Patruo regna tenente ſuo*] Amulio, qui fratre pulſo, regnum occupavit. *Neap. Veſtalis*] Veſtæ ſacerdos, Numitoris filia. *Ediderat*] Pepererat, enixa erat partu. *Semina cœleſtia*] Gemellos pueros ſemine cœleſtis dei, hoc eſt, Martis, genitos. *Suo patruo*] Amulio, qui Numitorem fratrem regno fraudarat.

385. *Parvos*] Infantes Romulum & Remum.

386. *Quid facis*] Converſio ſermonis ad

Juſſa recuſantes peragunt lacrymoſa miniſtri.
Flent tamen & geminos in loca juſſa ferunt.
Albula, quem Tyberin merſus Tyberinus in undis
Reddidit; hybernis forte tumebat aquis.
Hic, ubi nunc fora ſunt, lintres errare videres,
Quaque jacent valles, Maxime Circe, tuæ.
Huc ubi venerunt (neque enim procedere poſſunt
Longius) ex illis unus an alter ait:
At quam ſunt ſimiles! at quam formoſus uterque;
Plus tamen ex illis iſte vigoris habet.
Si genus arguitur vultu; niſi fallit imago,
Neſcio quem in vobis ſuſpicer eſſe deum.
At ſi quis veſtræ deus eſſet originis autor:
In tam præcipiti tempore ferret opem.
Ferret opem certe, ſi non ope mater egeret:
Quæ facta eſt uno mater & orba die.

Nata

ad Amulium. *Quid facis*, cur hoc jubes? Vel *quid facis*, quam dicat, nihil. *Erit Romulus*] Quaſi dicat: Erit ille qui conditurus erat urbem toti orbi dominaturam.

388. *Geminos*] Romulum & Remum. *In loca juſſa*] Ad profluentem.

389. *Albula*] Fluvius, ita ab aquæ colore appellatus: ſed cum in eo merſus eſſet Tyberinus, qui Calpeto Albanorum regi ſucceſſit, Tyberis appellari cœpit. *Merſus in undis*] Nam ex eo Tybris, ſeu Tyberis appellatus eſt.

390. *Tumebat aquis hybernis*] Ad pluvias & imbres reſpexit, quibus auctus erat Tybris. *Paul. Hybernis forte tumebat aquis*] M. Varro lib. 4. de L.L. *Germalum à germanis Romulo & Remo, quod ad ficum ruminalem & hi inventi, quo aqua hyberna Tyberis eos detulerat in alveolo expoſitos.* Clarum ex his hyemali tempore in lucem editos. *Neapol. Hic ubi nunc fora ſunt, &c.*] Ita inundaverat Tybris, ut æquos circa ſe campos occuparet: nam per loca ubi poſtea fora conſtituta fuere, & per circum maximum naviculis iretur. *Errare lintres*] Naviculas. *Fora*] Hoc eſt, forum Romanum, & forum boarium, & piſcarium.

392. *Quaque*] Et ea parte qua. *Jacent tuæ valles, ô Circe Maxime*] Circus maximus dictus eſt, quod circum ſpectaculis ædificatis, ibi ludi fiunt: & quod ibi circum metas fertur pompa, & equi currunt. *P. Quaque jacent valles*] Vallis Circi maximi eadem cum ea, quæ dicta *Murcia*, cavea clamoribus nobilis. *N.*

393. *Poſſunt procedere*] Progredi.

394. *Longus*] Propter aquas ipſas.

396. *Habet plus vigoris*] Ut alluderet Romulo, qui & membris, & vivacitate, aut ipſo vigore erat ſuperior Remo. *P. Iſte vigoris habet*] Haud dubie hic Romulus. *Neap.*

397. *Si genus arguitur, &c.*] Vertens deinde ſe ad pueros commotus Romuli indole, divinam ſtirpem eſſe ſuſpicari fatetur. *Si genus*] Si nobilitas, aut ſi genus, unde origo trahitur. *Arguitur*] Oſtenditur. *Niſi imago fallat*] Niſi me decipiat ipſa forma, aut ipſa effigies.

398. *Eſſe Deum*] Dei filium.

399. *At ſi quis veſtræ, &c.*] Divinam ſtirpem eſſe ſuſpicatur: ſed in hoc dubitat: nam ſi cujuſpiam Dei filii eſſent, ſuccurreret in eo ſtatu pater.

400. *Ferret opem*] Jucunda eſt hæc repetitio, *Ferret opem*: & habet admirabilem quendam affectum. *Paul.*

401. *Si non ope mater*] Nam ſacerdos illico vincta, in cuſtodiam data. *Neap.*

402. *Quæ facta eſt uno mater*] Quæ quo die peperit, amiſit & filios. *Ant.*

403. Et

Nata ſimul, moritura ſimul, ſimul ite ſub undas
Corpora. deſierat: depoſuitque ſinu.
Vagierunt clamore pari: ſentire putares.
Hi redeunt udis in ſua tecta genis.
Suſtinet impoſitos ſumma cavus alveus unda.
Heu quantum fati parva tabella tulit!
Alveus in limo ſylvis appulſus opacis,
Paulatim fluvio deficiente ſedet.
Arbor erat: remanent veſtigia: quæque vocatur
Rumina nunc ficus, Romula ficus erat.
Venit ad expoſitos (mirum) lupa fœta gemellos.
Quis credat pueris non nocuiſſe feram? (erit,
Non nocuiſſe parum eſt: prodeſt quoq; quos lupa nu-
Perdere cognatæ ſuſtinuêre manus.
Conſtitit, & cauda teneris blanditur alumnis,
Et

403. *Ite ſimul ſub undas*] Quaſi ſimul immergamini. *Paul. Nata ſimul, moritura ſimul*] Verba famuli lacrymantis ad puellulos. *Neapol.*

404. *Deſierat*] Loqui ſcilicet. *Et depoſuit ſinu*] A pectore ſuper aquas pueros cum alveo, in quo eos tulerat.

405. *Vagierunt ambo pariter, &c.*] Depoſiti infantes in aquis, vagitum dedere ambo, ita ut ſentire viderentur quod & illi dixerant. *Ambo*] Infantes ſcilicet. *Vagierunt*] Vagire proprie puerorum eſt. *Senſiſſe*] Quid ſcilicet ageretur.

406. *Hi*] Famuli ſcilicet. *Udis genis*] Madidis, ſeu perfuſis lacrymis, ob caſum puerorum.

407. *Suſtinet impoſitos, &c.*] Alveus ille cum pueris parumper innatavit. *Suſtinet*] Non dejicit, ſed ſurſum tenet. *Summa unda*] Super ſummam undam. *Paul. Cavus alveus unda*] Hac vocula plura adſignificarunt veteres: hic valet pro *cavato ligno*. Eſt & Latinis *alveus* πύελος, quod Græcis ſolium. *Neapol.*

408. *Heu quantum fati, &c.*] Hac exclamatione materiam movet Poëta, ob diſcrimen, in quo fuerat omnis res Romana. Nam qui Romam conditurus erat, toti orbi dominaturam, parva tabella ſuper aquis jacebat. *Quantum fati*] Quantum fatalis potentiæ. *Tulit parva tabella*] Alveus ipſe.

410. *Fluvio*] Fluminis inundationes. *Sedet*] Reſidet. *In limo*] In limoſa terra.

411. *Arbor erat, remanent veſtigia*] Quia adhuc ejus tempore truncus apparebat, nondum penitus aruerat. *Paul. Quæque vocatur Rumina*] Ut & *ficus ruminalis*, à mamma: Gloſſæ, *rumis*, θηλή, ἀρχαϊκῶς. Feſtus: *Mamma autem rumis dicitur, ſive ruma & rumen.* Neapol.

412. *Vocatur nunc ficus Romula*] Ab ipſo Romulo. *Erat*] Olim ſcilicet. *Ficus Rumula*] Quaſi Ruminalis, à rumine. Sub hac illi arbore expoſiti fuere. An quod Latini *rumam* mammam nominant, & ficum Ruminalem ideo factam ferunt, quod ibi lupa mammam Romulo præbuit.

413. *Lupa fœta*] Quæ paulo ante pepererat. *Expoſitos*] Quos Amulius exponi juſſerat. *Feram*] Lupam. *Mirum lupa fœta gemellos*] Sic creditum. *Neapol.*

414. *Non nocuiſſe*] Locus indignationis eſt, ab Amulii immanitate.

415. *Prodeſt quoque*] Quia nutricis officium implebat, illi ubera porrigendo.

416. *Suſtinere*] Pro pati potuere. *Perdere*] Ad necem mittere. *Cognata manus*] Cognati.

417. *Conſtitit, & cauda, &c.*] Et verba dabat, & cauda blandiebatur, linguaque cœnum quo pleni erant, abſtergebat. *Alumnis*] Pueris, quos alebat. *P.*

Et fingit lingua corpora bina ſua.
Marte ſatos ſcires: timor abfuit, ubera ducunt,
Et ſibi permiſſi lactis aluntur ope.
Illa loco nomen fecit: locus ille Lupercis.
Magna dati nutrix præmia lactis habet.
Quid vetat Arcadico dictos à monte Lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lycæus habet.
Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe facundæ patienter verbera dextræ:
Jam ſocer optati nomen habebit avi.
Nam fuit illa dies, dura cum ſorte maritæ

Red-

418. *Et fingit*] Ut in quinto hujus operis de Achille juxta ægrum Chironem, *manibus fingebat amicis.* Placet mihi hæc ſcriptura: *Et lingit lingua.* Neapol.

419. *Marte ſatos ſcires, &c.*] Magnitudine animi etiam in primo natali die infantes ſe Martis filios profeſſi ſunt: nam neque expavere ob belluam, neque à ferinis uberibus abhorrebant. Aluntur ergo ferino lacte, quod ſibi non debebatur. *Satos*] Natos. *Timor abfuit*] Quia belluam non timebant, etiam ob id, quia animal hoc Marti dicatum eſt.

420. *Nec permiſſi*] Quaſi lacte, quod illis non debebatur, ſed luporum catulis.

421. *Illa loco nomen fecit, &c.*] A lupa ergo *Lupercal* locus ille appellatus eſt.

422. *Nutrix*] Lupa. *Habet magna præmia*] Quia perpetuum vivit ob id. *Paul. Præmia lactis habet*] Repenſum honorem, ut Propertii illud: *O vigil injuſtæ præmia ſortis habes.*

423. *Arcadio dictos à monte Lupercos*] Accedit novum alterum etymon, à Lycæo ſcil. Arcadiæ monte. *Lupercum* enim vere reddes Græce Λύκαιον, & *Lupercalia* Λύκαια: quæ feſta in ea regione antiquiſſima: & congruunt aliquantum cum noſtris. Vide Plutarch. in vita Cæſaris. Hæc inſtituta à Lycaone Pelagi filio. Vide Pauſan. ſub initium lib. VIII. *Neap. Quid*] Aut quid vetat, prohibet, negat: quaſi dicat, nihil. Lupercos dictos à monte Arcadico, hoc eſt, à Lycæo Arcadiæ monte.

425. *Nupta quid expectas*] Mulieres adultæ ultro ſe Lupercalibus offerebant, exiſtimantes id ſibi fœlicem pariundi facultatem præſtare. Ergo (ut Poëta inquit) quod non herbis, non incantationibus fieri poterat, ut ſcilicet, mulieres conciperent, fiebat verberibus caprinorum coriorum. Monet ergo nuptas, ut verbera hæc patienter excipiant. *Herbis pollentibus*] Virtute pollentium & potentium herbarum.

426. *Nec prece*] Hoc eſt, nec ſupplici voto, aut precibus ad deos. *Nec magico carmine*] Hoc eſt, incantationibus.

427. *Excipe*] Accipe patienter. *Verbera dextræ fœcundæ*] Dextræ Lupercalis, nam ob ipſa verbera concipies. *Paul. Fœcundæ patienter verbera dextræ*] Plutarch. in Romulo: *Mulieres adultæ non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem & partum ratæ.* Idque non à plebeis ſolum, ſed à nobiliſſimis matronis factitatum. *Neapol.*

428. *Jam ſocer*] Pater viri tui. *Habebit optatum nomen avi*] Quia tu paries illi nepotem.

429. *Nam fuit illa dies*] Illud tempus. *Maritæ*] Uxores. *Dura ſorte*] Duro eventu, vel ita maligna Parca volente. *Paul. Nam fuit illa dies*] Aperit nunc unde mos fuerit Lupercis, pellibus caprarum obvias quaſq; cædendi: hæc enim verbera non ex Evandri adventu, ſed poſt annos plurimos, poſt raptas Sabinas, ut vides in urbe recepta. Subjicit ergo quod in alio non reperies, ob diuturnam in concipiendo ſteriliratem à ſexu muliebri aditum lucum Junonis Lucinæ; cumque ſuppliciter medelam à Dea his malis optaret,

auditum

Reddebant uteri pignora rara ſui.
Quid mihi, clamabat, prodeſt rapuiſſe Sabinas,
Romulus (hoc illo ſceptra tenente fuit:)
Si mea non vires, ſed bellum injuria fecit;
Utilius fuerat non habuiſſe nurus.
Monte ſub Eſquilio multis inciduus annis
Junonis magnæ nomine lucus erat.
Huc ubi venerunt; pariter nuptæque virique
Suppliciter poſito procubuére genu.
Cum ſubito motæ tremuêre cacumina ſylvæ,
Et Dea per lucos mira locuta ſuos.
Italidas matres, inquit, caper hirtus inito,
Obſtupuit dubio territa turba ſono.
Augur erat (nomen longis intercidit annis)
Nuper ab Etruſca venerat exul humo.
Ille caprum mactat. juſſæ ſua terga maritæ
Pellibus

auditum ex luco ferunt, ut hircus nuptas iniret. Quod inſignis Augur Etruſcus interpretatus, cædendas mulieres corio caprarum, quas Luperci Deo Pani facerent. Dictum factum: priſtinæ fœcunditati matronæ reſtituuntur, Lupercis jus verberum datum. *Neapol.*

430. *Rara pignora*] Rarum fœtum: quia raro paturiebant.

431. *Quid mihi*] Fuit hæc ſterilitas Romulo regnante; ex quo ipſe querebatur, nihil prodeſſe ad procreandam prolem. *Sabinas*] Nam id illi neque vires, neque prolem augebat, ſed peperit bellum. Utilius igitur erat ſine uxoribus eſſe, quam his raptis bellum peperiſſe.

433. *Si mea injuria*] Quam ſcilicet Sabinis intuli virginum raptu. *Non fecit vires*] Non auxit vires regni mei.

434. *Fuerat non habuiſſe*] Hoc eſt, fœminas: licet proprie nurus ſit uxor filii.

435. *Monte ſub Eſquilio, &c.*] Lucus Junonis intactus ferro erat ſub monte Exquilino. In hoc ergo luco ſupplicatum eſt Junoni à nuptis & viris. *Sub monte*] Ad radices Exquilini montis.

436. *Lucus nomine magnæ Junonis*] Qui Junoni erat ſacer, & lucus Junonis Lucinæ dicebatur. *Inciduus*] Quaſi non cæduus. *Paul. Lucus erat*] Vide Varronem lib. IV. L. L. in Exquiliarum etymologia.

439. *Cacumina*] Summitates.

440. *Dea*] Juno. *Eſt locuta mira*] Admiranda. *Per ſuos lucos*] Nam ex luco audita eſt vox Junonis, quid eſſet agendum.

441. *Italidas matres, &c.*] Hæc vox ex luco reddita eſt, & locutam deam putarunt. *Inito*] Pro ineat. *Italidas*] Latinas ſeu Romanas. *Matres*] Nuptæ, quæ matres eſſe cupiunt.

442. *Turba*] Cœtus & virorum & mulierum. *Obſtupuit territa dubio ſono*] Verbo ambiguo. Nam verbum hoc *Inito*, ambiguum erat.

443. *Augur erat, &c.*] Augurem tunc affuiſſe inquit: Ex Hetruria venerat in urbem. Hetruſci ſemper divinandi peritia fuere celebres, & omni religionis cultu inſignes. *Augur erat*] Tunc Romulo regnante. *Intercidit*] Quaſi excidit à memoria. *Longis annis*] Vetuſtate.

444. *Ab humo Hetruſca*] Ab Hetruria, ab ipſa Thuſcia. *Paul. Ab Etruſca venerat exul humo*] Peperit hæc tellus peritiſſimos artis auguralis. Scitum illud, Attium Navium, hujus diſciplinæ virum magnum, his à patre traditum, ut eam ſolum ediſceret.

445. *Sua terga puella percutienda dabant*] Vere interſcapilium, quod Latinis pars ſub collo, Græcis τὸ κάτομον: und:

Pellibus exſectis percutienda dabant.
Luna reſumebat decimo nova cornua motu,
Virque pater ſubito, nuptaque mater erat.
Gratia Lucinæ: dedit hæc tibi nomina lucus:
Aut quia principium tu Dea lucis habes.
Parce precor gravidis, facilis Lucina, puellis:
Maturumque utero molliter aufer onus.
ORta dies fuerit; tu deſine credere ventis:
Prodidit illius temporis aura fidem.
Flamina non conſtant: & ſex reſerata diebus
Carceris Æolii janua lata patet.
JAm levis obliqua ſubſidit Aquarius urna.
Proximus æthereos excipe, Piſcis, equos.

Te

unde noſtrum verbum catomidiari, quod proprium in Lupercalibus. Vide Scholiaſt. Juvenalis, ad illud:

Agili palmas præbere Luperco. Neap.

Ille] Augur ſcilicet. *Mactat caprum*] Caper Baccho mactabatur, etiam Fauno mactari cœpit. *Puella juſſa*] Ab augure ſcilicet. *Dabant ſua percutienda*] Offerebant terga Lupercis, quæ verberarent.

446. *Pellibus exſectis*] Id eſt, coriis caprinis. Ergo non manus, ſed terga verberabantur.

447. *Luna reſumebat, &c.*] Verberatæ caprino corio puellæ, decimo menſe parere cœpere. *Reſumebat*] Et hoc in novilunio. *Decimo motu*] Quaſi decimo menſe. *Paul. Nova cornua motu*] Libri aliquot, *menſe*: meus vetus, *curſu*. Neap.

448. *Nupta*] Quia jam pepererat.

449. *Gratia Lucina*] Scilicet ſit. *Lucus*] Vel de hoc qui erat in Exquiliis, vel de quocunque luco pro nemore, cum nemoribus præſit Diana, *Dedit tibi hæc nomina*] Lucinæ ſcilicet: quia à luco *Lucina*.

450. *Habes principium lucis*] Quia tu naſcentes ad lucem producis, inde à luce *Lucina* dicta es.

451. *Facilis*] Propitia. *Parce precor puellis*] Quaſi parce dolori parientium puellarum.

452. *Molliter*] Sine dolore. *Onus maturum*] Quaſi infantem, qui in utero tempus explevit.

453. *Orta dies fuerit, &c.*] Jam omnes Lupercalium cauſas abſolvit, & longius in his immoratus redit ad inſtituta, hoc eſt, ad dierum ordinem: monetq; poſt Lupercalia die proxima, quæ erit decimoquarto kalendas Martias, hoc eſt, decimo ſeptimo Die Februarii, credendum non eſſe ventis, & ob id minime eſſe navigandum. *Orta dies fuerit*] Poſtquam illuceſcet dies poſt ipſa Lupercalia. *Paul. Orta dies fuerit*] Eadem Lupercalium: hac Sol in Piſcibus, & ventorum inconſtantia per dies ſex. Hanc ἀκαταστασίαν faciunt etiam Ægytii à XXI. fere Februarii uſq; ad XXVI. *N.*

454. *Perdidit fidem*] Quia decipiunt credentes.

455. *Flamina*] Venti ſeu ventorum flatus. *Non conſtant*] Quia non ſunt firma, ſed varie mutantur.

456. *Carceris Æolii*] Ab Æolo rege ventorum. *Patet reſerata*] Aperta. *Sex diebus*] Nam undique ſpirant venti illis ſex diebus, & ob id creditur Æolius carcer apertus eſſe.

457. *Jam levis obliqua, &c.*] Eadem die ſol relicto Aquario, Piſcium ingreditur ſignum. *Jam levis Aquarius*] Levis, quia à ſolis labore levatus. *Subſedit*] Quia ab officio ceſſit. *Urna obliqua*] Oblique enim ſpectat & urna, qua aquas effundit verſus Piſces: & ideo *obliqua*. *Urna* proprie eſt vas, quo aqua hauritur. *Paul. Obliqua Aquarius urna*] Ex ſchedographia. *Neap.*

458. *Tu piſcis proximus*] Qui Aquarium

Te memorant fratremque tuum (nam juncta micatis
Signa) duos tergo ſuſtinuiſſe deos.
Terribilem quondam fugiens Typhona Dione
Tunc, cum pro cœlo Jupiter arma tulit;
Venit ad Euphraten comitata cupidine parvo,
Inque Palæſtinæ margine ſedit aquæ.
Populus, & cannæ riparum ſumma tenebant,
Spemque dabant ſalices, hos quoque poſſe tegi.
Dum latet; intonuit vento nemus, illa timore
Pallet: & hoſtiles credit adeſſe manus.
Utque ſinu natum tenuit, Succurrite Nymphæ,
Et Dis auxilium ferte duobus, ait.
Nec mora, proſiluit: piſces ſubiêre gemelli.
Pro quo nunc dignum ſidera munus habent.

Inde

rium ſubſequeris. *Equos æthereos*] Ætherei ſolis equos.

459. *Te memorant*] Cauſam refert Piſcium in cœlo locatorum, quæ & ab Hygino traditur. Piſces vero duo ſunt: alter Notius, alter Boreus dicitur. Boreus inter æquinoctialem & æſtivum circulum ſub Andromadæ brachio collocatus, arcticum polum ſpectans conſtituitur. Alter in zodiaco circulo extremo, ſub ſcapulis equi, non longe ab æquinoctiali circulo collocatus, ſpectat ad occaſum: ſed pariter in curſu vadunt, & eodem micant tempore. *Paul. Nam juncta micatis ſigna*] Junguntur enim modo illo cœleſti, quem Græci dicunt, *συνάπτεσθαι τῶν ἀστέρων*. Neap.

460. *Suſtinuiſſe tergo duos deos*] Venerem & Cupidinem, ſe in piſces mutaſſe, & eo pacto exitium evitaſſe.

461. *Terribilem quondam fugiens*] Dione, Heſiodo teſte, Oceani & Tethyos filia, & Veneris mater fuit: ſed ſæpe à Poëtis pro ipſa Venere ponitur, ut & hîc. *Fugiens quondam Typhona*] Typhon unus è filiis Terræ fuit.

462. *Cum Jupiter tulit arma pro cœlo*] Hoc eſt, in ipſa Gigantomachia. *P.*

463. *Venit ad Euphratem*] Sed qua Syriam perluit, quam inundat, ut Taurum penetrat, licet ab ipſo ducat originem: hanc enim habet *ἐν τῷ προσβόρῳ μέρει τοῦ Ταύρου*. Vide Strab. lib. XI.

464. *Inque Palæſtinæ*] Tres enim veteribus Syriæ: Συρία Κοίλη, Φοινίκη, Παλαιστίνη. Vide Ulpian. in lib. 1. de Cenſib. & apud Tibull. ſic legend. contra mentem Scaligeri: *Alba Palæſtino ſancta columba Syro.* Hæc Syria Palæſtina, eadem quæ Judæa. Hinc & Strabo Judæos jungit cum Syris, lib. XVI. *N. Margine*] Quaſi in ripis. *Aquæ Palæſtinæ*] Quia Palæſtina regio Syriæ juncta eſt, & Arabiæ, in ultimos fines eam ambit Euphrates, ideo Palæſtinæ aquæ.

465. *Populus, &c.*] Delituit Venus cum filio inter populos arbores, & cannas, & ſalices, quæ in ripis erant. *Populus*] Arbor Herculi ſacra. *Summa*] Summitates riparum.

466. *Tegi hos*] Venerem cum filio.

467. *Dum latet*] Ipſa Venus. *Vento*] Ob ventum. *Illa*] Venus.

468. *Hoſtiles manus*] Adeſſe Typhonem ipſum.

469. *Utq; tenuit natum*] Cupidinem. *Sinu*] Quaſi ante pectus, vel cum veſte ante pectus. *Ait, ô Nymphæ*] O aquarum harum deæ.

470. *Ferte auxilium diis duobus*] Quaſi matri & filio, Veneri & Cupidini opem feratis.

471. *Nec mora, &c.*] Ubi hæc loquuta eſt Venus, deſiliit in flumen, & à duobus piſcibus excepta eſt, ob quod cœlo figurati ſunt. *Subière*] Suppoſuêre ſe Veneri & filio. *Pro quo*] Facto ſcilicet.

472. *Habent dignum nomen*] Quaſi habent quod merentur, quia ſunt ſtellis additi.

473. *Inde*]

Inde nefas ducunt genus hoc imponere menſis,
Nec violant timidi piſcibus ora, Syri.
PRoxima lux vacua eſt. At tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit.
Sive quod haſta curis priſcis eſt dicta Sabinis:
(Bellicus à telo venit in aſtra deus.)
Sive ſuum regi nomen poſuêre Quirites:
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.
Nam pater armipotens poſtquam nova mœnia vidit,
Multaque Romulea bella peracta manu;
Jupiter,

473. *Inde*] Ab hoc. P. *Genus hoc imponere menſis*] Quod hæc gens fuerit ἀπίχθυς, non dubium. Athenæus lib. 8. ὃς διὰ τὰ Σύρων πάτρια καὶ ἡμᾶς τῶν ἰχθύων ἀπεσέρησεν. Hinc Comicus ille Timocles apud eundem de Hyperide, τῷ ὀψοφάγῳ: Τὰς ἰχθυοπώλας ὕστερον πλησιεῖ. Ὀψοφάγος γὰρ ὥς τις τὰς λάρυγγ' ἤδη Σύρας. Cauſſa cur piſcibus abſtinuerint, non eadem omnibus. *Neapol.*

474. *Syri timidi*] Populi Syriæ, quia circa Euphratem habitant. *Ne violent*] Hypallage eſt: id eſt, ne violare videantur numina piſcium ore: aut polluere ora tanto ſcelere, eſu ſcilicet ſacrorum piſcium. *P. Timidi Syri*] Ad religionem ſpectat epithetum; ut in Lemuralibus, *timiduſque Deorum.* Convenit & Syris, qui priſcis fuere pietate inſignes. An conjectura Scaligeri verior, alluſiſſe Naſonem ad Syriam phreneſim? ex eſu enim piſcium timuit ea gens, ne ſibi venter aut membrum aliud intumeſceret. *Neap.*

475. *Proxima lux vacua eſt*] Duodecimo Kalendas Martias, hoc eſt, decimo octavo die Februarii erit feſtum Quirini, hoc eſt, quando Romulus deus Quirinus appellatus eſt. *Proxima lux vacua eſt*] XIV. Kalendas Martias. *At tertia dict. Quirino*] XIII. Kalend. erant Quirinalia. Inſtituta hæc non eodem die quo Romulus eſſe deſiit in terris, ſed multo poſt ejus exceſſum. *Neapol. Proxima*] Id eſt, ſequens dies poſt ſolem piſces ingreſſum. *Eſt vacua*] Sine feſto. *At tertia*] Dies ſcilicet ſubſequens. *Eſt dicta*] Deputata, ſeu dicata. *Quirino*] Deo ſcilicet; nam tum eſt feſtum Quirini.

476. *Hoc nomen*] Qui nunc vocatur Quirinus.

477. *Sive quod haſta, &c.*] Explicat nunc, cur Quirinus dictus ſit. *Curis* eſt Sabina haſta, unde Romulus *Quirinus*, qui eam ferebat, eſt dictus. *P. Priſcis eſt dicta Sabinis*] Teſtes M. Varro, Feſtus, Plutarch. &c. Inde iidem Sabini Martem primo *Curinum* appellarunt, & tractu temporis *Quirinum*, cujus ſtatua illis & Romanis nihil aliud quam haſta.

478. *Bellicus à telo*] Feſtus: *Curis eſt Sabinè haſta: unde Romulus Quirinus, qui eam ferebat, eſt dictus.* Neap. *Bellicus deus*] Quirinus belli ac pugnæ ſtudioſus. *A telo*] Ab ipſa haſta. *Venit in aſtra*] Quaſi ab ipſa haſta, quæ *Curis* dicebatur, Quirinus deus vocatus eſt.

479. *Sive Quirites*] Romani. *Poſuêre nomen ſuo regi*] Quod à Quiritibus Quirinus ſit dictus.

480. *Junxerat Cures*] Sabinos. *Romanis*] Nam ubi inter Romanos & Sabinos compoſitæ res fuere, par honor Romulo & Tatio datus eſt, & ex duobus populis unum fecêre. *P. Junxerat ille Cures*] Hac tamen lege, ut Romani à Tatii patria Curites dicerentur, urbs antiquum ei nomen à Romulo impoſitum ſervaret. Vide Plutarch. in vita hujus Principis. *Neap.*

481. *Nem pater armipotens*] Martem à Jove facit impetrare, ut Romulum filium in cœlum tollat: nam illud longe ante Marti Jupiter promiſerat. Ergo nunc urbe bene fundata, & confectis bellis pluribus, Mars à Jove repetit promiſſa. *Pater*] Mars. *Armipotens*] Quia bellis præſidet.

483. *Romana*

Jupiter, inquit, habet Romana potentia vires :
Sanguinis officio non eget illa mei.
Redde patri natum : quamvis intercidit alter,
Pro ſe, proque Remo, qui mihi reſtat, erit.
Unus erit, quem tu tolles in cœrula cœli,
Tu mihi dixiſti : ſint rata dicta Jovis.
Jupiter annuerat. nutu tremefactus uterque
Eſt polus : & cœli pondera movit Atlas.
Eſt locus : antiqui Capreæ dixêre paludem :
Forte viris illic, Romule, jura dabas.
Sol fugit & removent ſubeuntia nubila cœlum,
Et gravis effuſis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc miſſis abrumpitur ignibus æther,
Fit fuga : Rex patriis aſtra petebat equis.

Luctus

483. *Romana potentia habet vires*] Auctæ ſunt vires, & Romanum imperium propagatum eſt.

484. *Non eget officio ſanguinis mei*] Quaſi dicat, Non eſt illi magis opus opera filii mei Romuli.

485. *Redde natum*] Filium meum Romulum. *Patri*] Mihi. *Redde dixit*] Quod ex debito eſt. Et quod Jupiter promiſerat, debitum erat. *Quamvis alter*] Hoc eſt, Remus. *Intercidit*] Vim exceſſit.

486. *Reſtat*] Supereſt mihi. *Erit mihi pro ſe & pro Remo*] Fratre : quaſi dicat : erit hic unus pro duobus.

487. *In Sydera cœli*] Quem feres ad aſtra, quem in deos referes. P. *Quem tu tolles, &c.*] Duo veteres, *in cœrula cœli*] Utrumque hauſtum ex Ennii Annalibus, de eodem Rege in numerum Deorum adſcribendo. *Neapol.*

488. *Sint rata*] Sint firma, habeant fidem. *Dicta Jovis*] Quaſi Jovis promiſſa.

489. *Jupiter annuerat*] Quaſi affirmaverat Martis dicta. *Uterque polus*] Arcticus & Antarcticus, id eſt, Septentrionalis & Meridionalis. Sed interdum *polus* pro ipſo cœlo ponitur, quia cœli pars. *Tremefactus*] Contremuit. *Nutu*] Ipſius ſcilicet Jovis. Sic Virgil. *Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.*

490. *Cœli pondera*] Nam Atlas fingitur cœlum humeris ſuſtinere. *Pondera movit Atlas*] Bene etiam rectus liber : *pondera ſenſit Atlas.*

491. *Caprea dixêre paludem*] A qua Nonas illas Quintiles dictas aliqui putarunt *Caprotinas* : ego veto de etymo magis ad Varronem proclino : *Quod eo die*, inquit, *in Latio Junoni Caprotinæ mulieres ſacrificant*. lib. 5. L. L. Vide & Plutarch. poſtrema in vita Romuli, ἡ δ' ἡμέρα νῦν μετάλλαξιν. Neap. *Eſt locus, &c.*] Adhæret vulgari opinioni : locum ipſum refert, ex quo, cum concionem haberet Romulus, raptus eſt. *Paludem Capreæ*] Capream paludem, quæ erat paulo extra urbem, mare verſus.

492. *Dabas illic jura tuis*] Civibus ſcilicet, &, ut dicunt, recenſebat exercitum.

493. *Sol fugit*] Quia eclipſis fieri viſa eſt. *Removent*] Ab oculis hominum cœlum. P. *Sol fugit*] Notarunt hanc Solis defectionem in Romuli exceſſu veterum omnium monumenta : ſed Dion. Halycarnaſſ. addit rem miram in ejuſdem regis conceptione obſervatam, quem vide illo loco : Ἔοικε δὲ ἡ μικρὰν ἀφορμὴν παρέχειν τοῖς θεσπίζουσι τὰ ἔνυπτα, &c. Neap.

495. *Abrumpitur*] Abrumpi & ſcindi videtur. *Ignibus*] Fulminibus & coruſcationibus. *Fit fuga* à multitudine ſcilicet, quia omnes effugere. Unde dies illa *Turba fuga* appellata eſt.

496. *Rex*] Romulus ſcil. *Petebat aſtra*] Quaſi cœlum aſcendebat. *Equis patriis*] Equis Martis. Curru enim ſuo Mars illum

Luctus erat, falsæque patres in crimine cædis,
Hæsissetque animis forsitan illa fides.
Sed Proculus Longa veniebat Julius Alba:
Lunaque fulgebat: nec facis usus erat.
Cum subito motu sepes crepuêre sinistræ.
Rettulit ille gradus: horruerunrque comæ.
Pulcher, & humano major, trabeaque decorus
Romulus, in media visus adesse via:
Et dixisse simul, Prohibe lugere Quirites,
Ne violent lacrymis numina nostra suis.
Thura ferant, placentque novum pia turba Quirinum,
Et patrias artes militiamque colant.
Jussit: & in tenues oculis evanuit auras.

Con-

in cœlum referebat. P. *Fit fuga*] Græci inquiunt, diem illum Romani, τὴν προπὴν τᾶ πλήθας, id est, POPLIFUGIA, appellarunt, ut habet vetus Kalendarium. Vide & Varron. lib. 5. de L. L. & Macrob. *Neapol.*

497. *Luctus erat, &c.*] Flebat populus Romuli mortem, & parricidii senatus accusabatur: creditumque esset, à patribus interfectum fuisse, nisi adveniens ex Alba Julius Proculus jurasset, vidisse Romulum humana forma augustiorem: & alia, quæ mox dicemus. *Et erant patres*] Senatus. *In crimine falsa cædis*] Quasi arguebantur hujus cædis. *Falsæ*] Quia non veræ.

498. *Illa fides*] Illa credulitas, quod senatus illum laceraſſet. *Forsitan hæsisset*] Impressisset se. *Animis*] Populi scilicet.

499. *Sed Julius veniebat procul*] Quasi, longe. Sed per hanc dictionem *procul* alluit Poëta ad cognomen hujus, quia Proculus dicebatur. P. *Veniebat Julius Alba*] Hic fassus Romulum vidisse, & in eo quid humano majus: isti creditum, & sedati plebis animi, cum & dictis jusjurandum addidisset. Vide Xiphilin. sub finem Augusti. Perjurium illud velut hæreditarium postea usui fuit in omni Cæsarea consecratione. Vide & Just. Martyr. Apologia II. *Producentes quempiam quo jurejurando confirmet, vidisse se è rogo in cœlum ascendere ardentem Cæsarem?* Neap.

500. *Lunaque fulgebat*] Ergo nox erat. Tu refer ad Romanum diem, qui ex media nocte in mediam noctem terminabatur. Ergo hodierna prima luce, prima parte dici: & sic etiam nox esse poterat. *Nec erat*] Quia luna lumen dabat.

501. *Sinistræ sepes*] Quæ à sinistra viam sepiebant. *Tremuere*] Visæ sunt tremere: & hoc, numine adveniente.

502. *Ille*] Proculus. *Rettulit gradum*] Quasi retrocessit. *Et coma horruerunt*] Et hoc propter metum: quasi riguerant.

503. *Pulcher*] Et qualis Proculo Romulus apparuerit. *Decorus*] Ornatus trabea.

505. *Prohibe*] Tu Juli Procule.

506. *Violent*] Quasi offendant. *Nostra numina*] Quia jam relatus sum in deos. *Suis lacrymis*] Quasi dicat, ne videantur lacrymando gloriæ invidere.

507. *Thura ferant*] Quasi offerant mihi thura, sacrificent mihi. *Placent novum Quirinum*] Sacrificent mihi novo jam deo, & Quirinum deum appellent.

508. *Et colant patrias artes*] *Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere morem, Parcere subjectis, & debellare superbos.* Artes ergo patriæ, prudentia, justitia, clementia, æquitas, magnanimitas, & similia. *Et colant*] Exerceant.

509. *Jussit & in tenues, &c.*] Ubi hæc loquutus est, evanuit ab oculis Proculi. *Evanuit*] Sustulit se ab oculis Proculi.

510. *Et*

Convocat hic patres: juſſaque verba refert.
Templa Deo fiunt, collis quoque dictus ab illo,
Et referunt certi ſacra paterna dies.
Lux quoque cur eadem Stultorum feſta vocetur,
Accipe: parva quidem cauſſa, ſed apta ſubeſt.
Non habuit tellus doctos antiqua colonos:
Laſſabant agiles aſpera bella viros.
Plus erat in gladio quam curvo laudis aratro:
Neglectus domino pauca ferebat ager.
Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant,
Primitias Cereri farra refecta dabant.
Uſibus admoniti flammis torrenda dedêre,
Multaque peccato damna tulêre ſuo.
Nam modo verrebant nigras pro farre favillas,
Nunc

510. *Et refert verba juſſa*] Quæ Romulus juſſerat. *P. Convocat*] Quatuor apud me, *hic populos*; Sabinos & Romanos.

511. *Collis quoque dictus*] Non adeo verum quin titubet. Feſtus: *Quirinalis collis qui nunc dicitur, olim Agonus appellabatur, antequam in eum commigrarent fere Sabini Curibus venientes, &c. à quo hanc appellationem ſortitus eſt, &c.* N. *Templa deo faciunt, &c.* Verbis Proculi plebs mota eſt, Quirino templum dedicavere in eo colle, qui ab hoc, *Quirinalis* dictus eſt.

512. *Et certi*] Quaſi ſtati & conſtituti. *Sacra paterna*] Sacra myſteria Romuli parentis Romanorum. *P. Certi ſacra paterna dies*] Ergo Quirinalia ſtata & annua. Vide Dionyſ. lib. 2. *Neap.*

513. *Lux quoque cur eadem*] Eadem die, qua Quirini feſtum eſt, ſeu Quirinalia celebrantur, feriæ ſunt ſtultorum, quas ita definivit Pompeius: Stultorum feriæ appellabantur *Quirinalia*, quod eo die ſacrificant hi, qui ſolemni die aut non potuerunt rem divinam facere, aut ignoraverunt: in qua quidem ſententia & ipſe Poëta eſt. *P. Stultorum feſta vocetur*] Vide Plutarch. Quæſt. Rom. & Feſtum Pompeium. *Neapol.*

514. *Accipe*] Audias, aut percipias. *Parva*] Sed tamen apta: conveniens, & digna eſt, quæ referatur.

515. *Tellus antiqua*] Quaſi tellus antiquorum hominum. *Non habuit doctos colonos*] Neq; rei ruſticæ peritos.

516. *Viros agiles*] Viros idoneos, & qui ad omnia agi poſſent.

519. *Farra tamen veteres*] Far ergo Poëta, veteres, inquit, & ferere ſolitos, & metere, & Cereri primitias offerre. Inquit ergo: Etſi neglectus erat ager, *Tamen veteres jaciebant*] Serebant. *Metebant farra*] Secabant, ubi matura erant. *Paul. Veteres jaciebant farra*] Pari ſignificatione dictum à Demoſthene, κατοβάλλειν ἀπὸ ῥιπῆς. Porro far in uſu Romanis ccc. annorum ſpatio fuiſſe, tradit M. Verrius Flaccus apud Plinium lib. 18. Hiſt. Nat. cibus ex eo confectus appellatus *farratum*. Vide Juvenal. Sat. XI. *Neapol.*

520. *Et dabant*] Quaſi offerebant primitias. *Cereri*] Quæ eſt dea agriculturæ. *Farra refecta*] In ipſa meſſe. *Primitia*] ſunt primi fructus, quos ex agro percipimus, diis tamen offerendi.

521. *Uſibus admoniti*] Poëta inquit, veteres utilitate admonitos far torrere cœpiſſe, ſed torrendi ignorantia damna plurima tuliſſe. Nam uſque adeo torrebant, ut in cinerem verterentur: & caſæ, ubi torreretur, ſæpe adurerentur. Inſtituta igitur Fornaci deæ fuere *Fornacalia*, quo torrendæ fruges temperarentur. *Torrenda*] Deſiccanda.

522. *Suo peccato*] Sua ignorantia. *P. Damna tulere ſuo*] Nam ſecuta ſementis jactura ex ignota torrendi ratione. N.

523. *Nam verrebant modo, &c.*] Nam adeo torrebant, ut omnia adurerent.

Nunc ipſas igni corripuêre caſas.
Facta dea eſt Fornax: læti Fornace coloni
Orant, ut fruges temperet illa ſuas.
Curio legitimis nunc Fornacalia verbis
Maximus indicit: nec ſtata ſacra facit.
Inque foro, multa circum pendente tabella,
Signatur certa curia quæque nota.
Stultaque pars populi quæ ſit ſua curia neſcit:
Sed facit extrema ſacra relata die.

EST

524. *Corripuêre*] Quaſi aduſſêre. *Ipſas caſas*] Ubi torrebatur far.

525. *Facta*] Quaſi excogitata eſt dea Fornax, & ab ea *Fornacalia* inſtituta à Numa. *Læti Fornace*] Ipſa dea: quia prius intra domos, deſiccabant ad ignem: & tunc in fornace extructa, quaſi in furno torrere cœpere. P. *Facta dea eſt Fornax*] A Numa habuit initium, & feſta quæ Fornacalia vocata. Plin. l. 18. cap. 2. *Numa inſtituit Deos fruge colere, &c. Is & Fornacalia inſtituit, farris torrendi ferias*: ſed fecit indictitias, non ſtatas. Hinc illi, qui, ea die cum Fornacalia indicebantur, feriari non poterant, Quirinalibus ſacra illa omiſſa coacti peragere. Forte quia hæc inter popularia. Feſtus: *popularia ſacra ſunt, quæ omnes cives faciunt; nec certis familiis attributa ſunt: Fornacalia, Parilia, &c.* Oppoſita ergo his privata, Gentilitia & Familiaritia ſacra. *Neapol.*

526. *Temperet ſuas fruges*] Moderetur, ne adurant.

527. *Curio legitimis*] Romulus urbem trifariam diviſit, & unicuique parti unum præfecit: hi appellati fuere tribuni. Rurſus unamquamque tribum in denas diviſit partes: has appellavit *Curias*, quæ triginta fuere. Singulis curiis ſingulos præfecit: hos appellavit curiones. Sed curionum officium erat, ſacris præſidere, feſta & ludos populo prædicare, & ordinibus in militia præeſſe. *Curio* ergo, quaſi ille qui curiæ præerat, Fornacalia feſta indicebat; nam non erant ſtata. *Curio maximus*] Quia ſacerdos, & curiæ præfectus. *Verbis legitimis*] Secundum legis præcepta. *Paul. Curio maximus indicit: nec ſtata ſacra*] Hic caput & ἀρχὴ XXX. Curionum. Hujus auctoritate, Curiæ & illi regebantur. Græce diceres ἀρχιλοχαγόν. Curiones enim Dionyſius φρατριάρχας καὶ λοχαγοὺς appellavit: inde Curialium conventus φρατριαστῶν σύνοδοι. Et obſervandum, Curionem maximum ad annum V. C. Dxliv. ſemper ex patribus creatum, ex plebe vero deinceps. Liv. lib. 27. *Legitimis verbis*] Ut illa apud Arnob. lib. 7. LAVATIO DEUM MATRIS EST HODIE. JOVIS EPULUM CRAS EST, &c. *Legitimum* erat, quicquid certa formula dicebatur ſive ediſcebatur.

528. *Indicit*] Hinc Curiones ſive Cuſiones in Carmine Saliari, hoc eſt, Calatores, ſive Sacrorum præcones. *Neap. Nec facit ſacra ſtata*] Quia non ſunt ſtata, ſed indicta.

529. *Inque foro multa*] Die quæ præcedebat feſtum, appendebantur in foro tabellæ, cum ſignis uniuſcujuſque curiæ, ut quiſque in ſuam curiam ſacrificatum accederet. *Multa tabella*] Nam à ſingulis curiis ſingulæ tabellæ, & erant numero quinque & triginta. Romulus triginta inſtituit, ſed poſtea quinque ſuperadditæ fuere. *P. Pendente tabella*] In eâ exaratum, ut hæc populi pars in Titia curia cogeretur, pars in Tifata, pars in Saucia, reliqua in attributis cuique curiis: hæ velut ædiculæ erant, in quibus, qui urbem colerent, ſingillatim in ſuâ quiſque ſacra faceret. *Neapol.*

531. *Stultaque pars populi, &c.*] Illi qui ignorabant ſuam curiam, ſtulti ob id dicti ſunt: Faciebant tamen & ipſi ſacra, ſed tardius cæteris.

532. *Die extrema*] Quaſi extrema parte diei, poſteaquam cæteri ſacrificium abſolviſſent. *P. Sacra relicta die*] Non igitur expiabantur his feſtis, ob omiſſi ſacrificii crimen; ſed Deæ Fornaci

EST honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.
Parva petunt manes, pietas pro divite grata eſt
Munere. non avidos Styx habet ima deos,
Tegula porrectis ſatis eſt velata coronis,
Et ſparſæ fruges, parcaque mica ſalis:
Inque mero mollita Ceres, violæque ſolutæ.
Hæc habeat media teſta relicta via.
Nec majora veto: ſed & his placabilis umbra eſt.
Adde preces, poſitis & ſua verba focis.
Hunc morem Æneas pietatis idoneus autor
Attulit in terras, juſte Latine, tuas.

naci quicquid ſacri die illo indicto alii fecerant, iſti Quirinalibus adimplebant.

533. *Eſt honor & tumulis*] Quirinalibus Feralia ſuccedebant, ſed poſt dies tres. In his juſta piis manibus ſolvebantur: quod hoc etiam menſe Græci peragebant. Heſych. Μιαραὶ ἡμέραι τῆ Ἀνθεστηριῶνος μηνὸς, &c. Notum Anthesterionem inter menſes Atticos Februarii & Martii Romani partem complexum. *Neapol. Eſt honor & tumulis*] Diximus ſuperius: Februario menſe inſtituta pro manium expiatione ſacrificia, à Numa, ut juſta diis manibus ſolverentur. *Honor tumulis*] Sepulchris.

534. *In extructas*] In compoſitas & ordinatas pyras. Pyra eſt illa lignorum congeries accenſa, in qua mortuorum cadavera adurebantur.

535. *Manes*] Quaſi dii inferi. *Eſt grata pro munere divite*] Quia magis illis placent pietatis munera, quam opulentiæ.

536. *Styx ergo*] Ipſa inferni palus. *Non habet deos avidos*] Cupidos, avaros, ut magna expoſcant: ſed modico ſunt contenti.

537. *Tegula*] Quæ à tegendo dicta eſt. *Velata*] Ornata, cooperta. *Porrectis*] Appoſitis. *Coronis*] Factis ſcilicet è floribus. *Satis eſt*] Sufficit ad ſacra hæc. *P. Velata coronis*] Hæc etiam ſolitæ in ſepulchra mortuorum afferri: ideo eædem noſtro, lib. III. Triſt. ſunt *Feralia munera*. Et in lapide priſco hæc lego: ET AD MONUMENTUM ITUM ADITUM AMBITUM ADQUE HAUSTUM CORONARE VESCI MORTUUM MORTUASVE MORTUOSVE OSSA INFERRE UT LICEAT. Scito hæc non omnibus patuiſſe, ſed iis quibus à monumenti domino permiſſum, quibus non nominatim excipiebantur.

539. *Inque mero mollita Ceres*] Hæc aut panis vino madidus, aut farina vino ſubacta. Vide Feſtum. *Neapol. Ceres mollita, &c.*] Hoc eſt, panis mollitus. *Et violæ ſolutæ, &c.*] Circumſperſæ.

540. *Teſta relicta in media via habeat*] Ponantur hæc in ipſa regula, & relinquatur in media via. Nam circa viam conſtruebantur. *Paul. Media teſta relicta via*] In viis ſepulchra avita poſita quis ignorat.

541. *Nec majora veto*] Multum ſane conſumpſit antiquitas in his epulis monumentariis. Vide Tertullianum de reſurrect. carnis. *Neap. Nec veto majora*] Non prohibeo, quod majora facias ſacrificia. *Umbra*] Anima extincti corporis. *Eſt placabilis*] Placari ſeu ſaturari poteſt. *His*] Parvis ſcilicet oblatis muneribus.

542. *Sua verba*] Quaſi propria, congrua, ſeu convenientia defunctorum expiationi. *Accenſis focis*] Pro accenſis luminibus.

544. *O juſte Latine*] Ut eum ab æquitate, qua polluit, commendaret, *juſte* dixit. Latinum genitum ex Fauno & Marica nympha Virgil. dixit. *Paul. In terras, juſte Latine*] Bene in Latium: nam ritus antiquior & à Plutone initium ſuum habuit. Vide & Diod. Sicul. l. V.

Ille patris Genio ſolemnia dona ferebat:
Hinc populi ritus edidicêre pios.
At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella; parentales deſeruêre dies.
Non impune fuit. nam dicitur omine ab iſto
Roma ſuburbanis incaluiſſe rogis.
Vix equidem credo: buſtis exiſſe feruntur,
Et tacitæ queſti tempore noctis avi.
Perque vias urbis, Latioſque ululaſſe per agros
Deformes animas vulgus inane, ferunt.
Poſtea præteriti tumulis redduntur honores;
Prodigiiſque venit funeribuſque modus.
Dum tamen hæc fiunt, viduæ ceſſate puellæ:
Exſpectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri;

Co-

545. *Solemnia dona*] Prima tulit ille patris reliquiis in Sicilia noſtra ubi conditæ. *Neapol. Genio patris*] Anchiſæ ſcilicet. Genium Deum appellabant, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum. *Genio patris*] Deo loci: pro ipſo loco, in quo pater erat ſepultus.

546. *Hinc*] Ab ipſo Ænea. *Populi*] Latini. *Ritus*] Mores.

548. *Deſeruere dies parentales*] Diem parentalium ſacrorum, in quibus pro parentibus ſeu majoribus extinctis epulæ ſepulchris ferebantur. *Paul. Parentales deſeruêre dies*] Tibi ſit in hoc fides, mi magiſter: nam ſi eam annalium ſequimur, non meminimus legiſſe, Parentalia aliquando ob bella intermiſſa.

550. *Suburbanis rogis*] Hi enim ante urbem excitabantur. *Neapol.*

551. *Feruntur avi*] Quaſi majores extincti. *Exiſſe buſtis*] A ſepulchris.

552. *Tempore noctis*] Per noctem.

554. *Animas deformes*] Umbras teteras & pullas. *Vulgus inane*] Quaſi multitudinem levem & vanam. *Ululaſſe*] Quod luporum eſt.

555. *Poſtea prateriti tumulis, &c.*] Ceſſavere hæc, ut diximus, cum ſepulchris honores debiti reſtituerentur. *Honores prateriti*] Id eſt, intermiſſi, ipſa Feralia ſacra derelicta. *Redduntur tumulis*] Reſtituuntur ſepulchris.

556. *Et venit modus*] Quaſi finis prodigiis hujuſmodi, portentis & monſtris. *Funeribus*] Species Metonymiæ eſt: quaſi defunctis, ſeu funeraris. *Paul. Prodigiiſque venit funeribuſque*] Has ſpecies miraculorum repulſas, vide in Arnobio lib. VII. adverſus Gentes.

557. *Viduæ ceſſate puellæ*] His igitur diebus vitabantur viduis nuptiæ, ut novis feriis & atris aliquot lucibus: ſed ferias minime religioſas aiebat olim ſolus Verrius Flaccus, idque non futili ratione. Vide Macrob. 1. Saturnal. *Neap. Fiunt hæc*] Sacra Feralia. *Puellæ*] Vos puellæ, quæ nuptæ eſtis. *Ceſſate*] A matrimonio: quaſi ſecubate à viro, & ideo *viduæ*, id eſt, illis diebus viro diviſæ.

558. *Pinea tæda*] Et ſpecies Metonymiæ eſt: fax ipſa conjugalis, quaſi conjugium. *Puros dies*] Non funereos, ſed immaculatos. *Paul. Exoptat puros*] Ac ſi hi impuri: ita eſt; nec alia cauſa dixerunt Græci, τὴν Ἀνθεστηριῶνα μιαρὰν, ut ex Heſychio probavimus. *Pinea tæda*] *Pinea*, an *Spinea* legendum, in incerto eſt: cum ſpinus & pinus utraque pro face novis nuptis in uſu fuerit. Illud moneo, accenſam è foculo maritæ, non viri. Varro apud Nonium de vita P. R.

559. *Matura videbere matri*] Idem

verus

Comat virgineas haſta recurva comas.
Conde tuas, Hymenæe, faces, & ab ignibus atris
Aufer. habent alias mœſta ſepulchra faces.
Dì quoque templorum foribus celentur opertis:
Thure vacent aræ: ſtentque ſine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa ſepulchris
Errant: nunc poſito paſcitur umbra cibo.
Nec tamen hoc ultra, quam tot de menſe ſuperſint
Luciferi, quot habent carmina noſtra pedes.

Hanc,

vetat cuique virgini, ætate etiam nubili. *Neapol.* *Nec tibi, &c.*] Quæ nubilis eſt, non ſe comat, non incumbat cultibus, hoc eſt, ornatibus. *Quæ matura*] Adulta, nubilis. *Videbere*] Videberis. *Matri cupida*] Nam cupit hoc mater, ut filia placere ſtudeat, ut citius viro jungatur, & per hoc ut ſe comat.

560. *Haſta recurva*] Stilus reflexus: hoc eſt, calamiſtrum. *Comat*] Ornet. *P. Haſta recurva comas*] Hæc acus celibaris, diverſa ab acu comatoria, qua compago crinium ſuſtinebatur, & quæ Græcis βελόνης. De celibari vide Feſtum & Plutarch. qui δοράτιον vocat, ut noſter in Quæſtionibus Romanis.

561. *Conde tuas, Hymenæe, faces*] Κάμπτε γαμηλίους. *Neapol.* *Conde tuas, Hymenæe, faces, &c.*] Neque ſunt illis diebus conjugia ſtipulanda. Et eſt apoſtrophe ad Hymenæum. Qui ponitur à Poëtis pro nuptiarum Deo. *Tuas faces*] Matrimoniales ſcilicet. *Aufer ab ignibus atris*] Hoc eſt, funebribus, à Feralibus ipſis.

562. *Habent alias faces*] Non habent lætas, ſed mœſtas: ergo alienæ ſunt à tuis.

563. *Dì quoque templorum*] Neque eſt illis diebus diis ſuperis ſacrificandum, immo occludenda ſunt eorum ſimulacra intra templa. *Celentur*] Abſcondantur. *Opertis*] Clauſis. *Paul. Foribus celentur opertis*] Ut arcerentur ab aſpectu funeſto: qua de cauſa hoc etiam vetitum iis qui rem ſacram facturi erant, ut Pontifici, flamini Diali & aliis miniſtris: quin ſtatuas Deorum in viis poſitas, ſi illac funeſtum aliquod tranſferendum erat, panno velatas memini legiſſe, *Neapol.*

564. *Ara ergo vacent thure*] Quaſi vacent ſacrificio. *Stent ſine igne*] Ergo non accendantur pro cæteris ſacrificiis ignes.

565. *Nunc animæ tenues, &c.*] Nam umbræ extinctorum, cum ad epulas veniant, errant circa ſepulchra, ne quid inficiant, ab his cavendum eſt. *Et corpora functa ſepulchris*] Quaſi umbræ corporum functorum ſepulchris, corporum quæ humata fuere.

566. *Errant*] Circa ſepulcra & epulas ipſas. *Paſcitur*] Saturatur.

567. *Nec tamen hæc, &c.*] Servanda ſunt quæ dixit, ſed non ultra dies undecim: nam totidem diebus errare creduntur umbræ. *Quot luciferi*] Quot dies. *De menſe*] Februario ſcilicet. Nam ſi incipias à decimo octavo die numerare uſque ad finem, erunt undecim dies.

568. *Habent pedes*] Nam alter habet ſex, qui eſt hexameter: alter quinque, qui pentameter. Et ſic ſunt undecim pedes. *Paul. Quot habent carmina noſtra pedes*] Si recte verba capio, oſtendit XII. Kalendas Februarias finita Feralia: ſic remanent è menſe dies undecim, & his includo diem ipſum Feralem; in quo Vates aberrat à veteribus Kalendariis, quibus Feralia ſunt die XXI. Februarii. Suſpicor ego, incepiſſe Feralia à VI. Idus, terminataque XII. Kalendas: hæc, inquit, non ultra, *cum tot de menſe ſuperſunt*. Et non elicitur ex his, per undecim dies continuata Feralia; ſed per aliquot: nam ſupra dixit, *dies parentales*. Vide & Athenæum lib. III. de Februarii etymo. *Neapol.*

569. *Hanc*,

Hanc, quia juſta ferunt, dixêre Feralia lucem.
Ultima placandis Manibus illa dies.
Ecce anus in mediis reſidens annoſa puellis,
Sacra facit Tacitæ. vix tamen ipſa tacet.
Et digitis tria thura tribus ſub limine ponit,
Qua brevis occultum mus ſibi fecit iter.
Tunc cantata ligat cum fuſco licia rombo,
Et ſeptem nigras verſat in ore fabas.
Quodque pice adſtrinxit, quod acu trajecit ahena,
Obſutum menta torret in igne caput:
Vina quoque inſtillat. vini quodcumque relictum eſt,
Aut

569. *Hanc, quia juſta, &c.*] Ab hoc igitur, quod epulæ ſepulchris ferantur, feralis dies dicta eſt, & *Feralia ſacra. Quia ferunt juſta, &c.*] Quia pro mortuis juſta ſolvunt. Nam hæc proprie *juſta* dicimus.

570. *Placandis manibus*] Ad placandos manes. *Illa dies eſt ultima*] Quæ *Feralis* appellatur.

571. *Ecce anus in mediis, &c.*] Inter hæc feralia fiebant ſacrificia deæ Mutæ: quæ etſi Poëta ad fabellam referat, ſacrum tamen erat quoddam magicum, ad compeſcendas detrahentium linguas. *Reſidens in mediis puellis*] Inter medias puellas. *Paul. Ecce anus in mediis*] Recenſet nunc quid actum ultima Feralium luce. Ut vides, anicula, cum puellulis nymphæ Mutæ neſcio quid magicum parant. Præerat hæc Dea compeſcendis detrahentibus linguis. Debet regi Numæ ſuum cultum. Vide & Plutarch. nunc ambigas quid velint hoc ſacrificio veteres, & cur potiſſimum Parentalibus adjunxerint: forſan ut nos edocerent, manes convitio non laceſſendos. *Neapol.*

572. *Tacita*] Deæ mutæ. *Nec tamen ipſa tacet*] Quia ſilentibus utitur.

573. *Ponit tria thura*] Id eſt, tria thuris grana. *Sub limine*] Et cur ſub limine: qua tranſituri eſſent detractores, quorum linguas compeſcere volebant. *P. Et digitis tria thura tribus*] Hunc numerum frequenter invenies receptum in ſuperſtitionibus.

574. *Mus ſibi fecit iter*] Tria igitur grana thuris jacet ad limen, qua murium aditus ad ſua domicilia. *Neapol. Qua mus brevis*] Parvus. *Fecit ſibi iter occultum*] Quaſi in foramine non humana manu facto, non ferro, ſed quod ſub limine mus ſibi fecit.

575. *Tenet*] Ipſa anus. *Licia*] Quæ neverit virginea manus. *Cantata*] Incantata. *Fuſco*] A colore ipſius. *Paul. Cum fuſco licia plumbo*] Licia ad implicandas linguas, plumbum ad reprimendas adhibet. *Ant. Cum fuſco licia plumbo*] En utrumque ad rem magicam. Vide Pſellum lib. de Dæmonibus. *Fuſco plumbo*] Hujus duo genera, nigrum & candidum. Lege cap. Plin. XVI. & ſequens lib. XXXIV.

576. *Nigras verſat in ore fabas*] Quod actum etiam in Lemuralibus. *Paul. Et verſat ſeptem fabas nigras in ore*] Per fabas nigras mortui referebantur: quibus ut ſilentium datum eſt, ita detrahentibus ſilentium incuteretur. Verſabantur in ore, quia ex ore detrahentium verba erumpunt.

577. *Caput obſutum*] Circumſutum. *Menta*] Herba illa odora. *Aſtrinxit pice*] Aſtrictum ex pice compoſuit. *Quod trajecit*] Perforavit. *Acu ahena*] Acu ærea. *Paul. Quodque pice adſtrinxit*] Demum caput aut vere humanum, aut ex alia materia huic ſimile, pice linibat, & acu pingebat à cranio ad mentum: legitur in antiquo noſtro codice: *Obſuto mento torret in igne caput*: dein vivis carbonibus admotum, aridum jam vino conſpergebat. *Neapol.*

579. *Vina quoque inſtillat, &c.*] Dum calefit ad ignem caput illud, vinum ſuperius inſtillatur, guttis quidem exiguis.

581. *Hoſtiles*

Aut ipſa, aut comites, plus tamen ipſa bibit.
Hoſtiles linguas, inimicaque vinximus ora,
Dicit diſcedens; ebriaque exit anus.
Protinus à nobis, quæ ſit dea Muta, requires.
Diſce, per antiquos quæ mihi nota ſenes.
Jupiter indomito Juturnæ captus amore
Multa tulit, tanto non patienda deo.
Illa modo in ſylvis inter coryleta latebat:
Nunc in cognatas deſiliebat aquas.
Convocat hic nymphas Latium quotcunq; tenebant;
Et jacit in medio talia verba choro:
Invidet ipſa ſibi, vitatque quod expedit illi,
Veſtra ſoror; ſummo jugere membra deo.
Conſulite ambobus: nam quæ mea magna voluptas,
Utilitas veſtræ prima ſororis erit.
Vos illi in prima fugienti obſiſtite ripa,
Ne ſua fluminea corpora mergat aqua.
Dixerat; annuerunt omnes Tyberinides udæ,
Quæque colunt thalamos, Ilia diva, tuos.
Forte fuit Naïs, Lara nomine: prima ſed illi

Dicta

581. *Hoſtiles linguas, &c.*] Egreditur poſtea è loco anus, peracto ſacro, & dicit anus Vinximus, id eſt, alligavimus. *Linguas hoſtiles*] Ut obloqui & carpere non poſſint. *Paul. Vinximus ora*] *Vincere* idem quod *ligare*, proprie dixerunt veteres, cum arte magica quidam functione aliqua prohibebatur, ut à ſaga hic linguæ uſu maledici. *Neap.*

582. *Anus diſcedens*] Cum diſcedit & exit ebria: & hoc, quia plus aliis bibit.

583. *Protinus à nobis, &c.*] Retulit ſacrum, quod fit deæ Mutæ, nunc quæ ſit dea Muta. Nympham fuiſſe refert, Almonis fluvii filiam, quæ ex linguæ vitio Lalara dicebatur. Hæc, cum Jupiter Juturnam nympham arderet, ipſam Juturnam, ut caveret, monuit, & Junoni Jovis amores detexit, indignatus Jupiter linguam illi abſtulit: jubetque Mercurio, illam pro inferna nympha ad inferos ducere. Qui inter eundum ejus amore captus, gravidam reddidit: peperitque ex Mercurio Lares duos, qui ſervant compita. Inde *Compitalia feſta*, & dies attributi Laribus, quibus in compitis ſacrificabatur.

585. *Jupiter immodico*] Aggreditur nunc ipſos ignes. *Juturna*] Nymphæ, quæ ſoror fuit Turni.

587. *Illa modo in ſylvis, &c.*] Fugiebat illa ſemper Jovem, nunc in memoribus latitans, nunc in aquis. *Inter coryleta*] *Coryli* ſunt arbores & fructus, quæ à nobis *avellanæ* dicuntur.

588. *Nunc deſiliebat in aquas*] In fluvios nympharum Latinarum, quæ cognationis vinculo ſibi vinctæ erant.

591. *Ipſa ſibi invidet*] Quaſi invidet ſuæ fœlicitati, quam conſequi poſſet.

593. *Conſulit ambobus*] Et Juturnæ & mihi.

597. *Omnes uda Tyberinides*] Omnes nymphæ Tyberinides. Formavit patronymicum à Tyberino, à quo nomen inditum eſt fluvio.

598. *Quæ colunt thalamos tuos*] Nymphæ quæ colunt Anienem fluvium.

599. *Forte fuit Naïs*] Fluvialis nympha. *Nomine Lara*] Nam ſic appellata. *Paul. Lar nomine*] Legend. *Lara nomine.* Firmianus: *Quis cum audiat Deam Mutam, tenere riſum queat? hanc eſſe dicunt ex qua nati Lares, & ipſam Laram nominant*

Dicta bis, antiquum ſyllaba nomen erat,
Ex vitio poſitum. ſæpe illi dixerat Almo,
Nata, tene linguam: nec tamen illa tenet.
Quæ, ſimul ac tetigit Juturnæ ſtagna ſororis;
Effuge, ait, ripas. dicta refertque Jovis.
Illa etiam Junonem adiit: miſerataque nuptam,
Naïda Juturnam vir tuus, inquit, amat.
Jupiter intumuit: quaque eſt non uſa modeſte,
Eripuit linguam: Mercuriumque monet.
Duc hanc ad Manes: locus ille ſilentibus aptus:
Nympha, ſed infernæ Nympha paludis, erit.
Juſſa Jovis fiunt. accepit lucus euntes,
Dicitur illa duci tunc placuiſſe Deo.
Vim parat hic. vultu pro verbis illa precatur,
Et fruſtra muto nititur ore loqui.
Fitque gravis, geminoſque parit, qui compita ſervant,
Et vigilant noſtra ſemper in urbe, Lares.

PRoxima cognati dixêre Chariſtia cari,

Et

nominant vel Larundam: quod veriſſimum. *Prima ſed illi Dicta bis ſyllaba*] Lalara, inquit, fuit ei primum nomen. *Neap.*

600. *Sed antiquum nomen erat illi*] Syllaba prima bis dicta: hoc eſt, *Lala.*

601. *Poſitum ex vitio*] Hoc eſt, ex garrulitate linguæ: λαλέω enim Græce loquor. *Sæpe Almo*] Qui erat ejus pater. Almo fluvius eſt paulo extra urbem, via Hoſtienſi, qui ex paludibus oritur, non longe à templo divi Pauli. *Paul. Et vitio poſitum*] Malo, *Ex vitio poſitum.* A loquacitate ſic dicta hæc Græcis λαλία.

602. *Nata tene linguam*] Fingit hanc Naïdem Almone fatam. *Neapol.*

603. *Juturnæ ſororis*] Lacus Juturnæ erat juxta Pallantium, non longe à templo Veſtæ.

604. *Effuge ripas*] Ne maneas in ripis, ſed in undis. *Et refert dicta Jovis*] Quæ dixerat nymphis Jupiter, ne eam reciperent.

605. *Et miſerata nuptas*] Quaſi dolens injuriam nuptis inferri, cum pellices ſuccumbunt.

607. *Jupiter intumuit*] Quaſi indignatus eſt ex verbis & garrulitate illius. *Non eſt uſa modeſte*] Quam non comprimebat, ſed immodeſte loquebatur. *Paul. Jupiter intumuit*] Græcis etiam οἴδαίνειν, pro iraſci; & οἴδημα pro *ira.* Neap.

609. *Duc hanc nympham ad Manes*] Ad Deos inferos. *Eſt aptus ſilentibus*] Quia ibi ſunt ſilentia.

610. *Erit nympha paludis infernæ*] Ut inter ſilentes perpetuo ſileat.

611. *Luctus accepit euntes*] Lugere cœpere & illa, quia ad inferos ducebatur, & ille commiſeratione illius motus.

612. *Placuiſſe tunc duci Deo*] Mercurio, qui eam ducebat.

613. *Parat vim*] Vult eam violare. *Illa precatur vultu*] Loco verborum, vultu precatur.

615. *Fitque gravis, &c.*] Ex Mercurio facta eſt illa gravida, peperitque duos filios, qui appellati ſunt Lares, & præſunt cuſtodiæ urbis, & ſervant compita. *Compita*] Vias. *Paul. Geminoſque parit*] Hæc igitur Larunda ſive Diva Muta, eſt Mania Macrobii. *Neapol.*

616. *Vigilant in*] Quia præſunt cuſtodiis urbis.

617. *Proxima cognati, &c.*] Inter feralia pro mortuis ſacrificia convivium fit inter cognatos & affines, undecimo Kalendas Martias, hoc eſt, decimo nono die Februarii. De quo Valerius, ita Convivium etiam ſolenne majores inſtituerunt,

Et venit ad ſocios turba propinqua deos.
Scilicet à tumulis, &, qui periêre propinquis,
Protinus ad vivos ora referre juvat:
Poſtque tot amiſſos, quidquid de ſanguine reſtat,
Adſpicere, & generis dinumerare gradus,
Innocui veniant: procul hinc procul impius eſto
Frater, & in partus mater acerba ſuos:
Cui pater eſt vivax, qui matris digerit annos,
Quæ premit inviſam ſocrus iniqua nurum.
Tantalidæ fratres abſint, & Jaſonis uxor,
Et quæ ruricolis ſemina toſta dedit,
Et ſoror, & Progne, Tereuſque duabus iniquus:

Et

runt, idque *Chariſtia* appellavere, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: ut ſi qua inter neceſſarias perſonas querela orta eſſet, inter ſacra menſæ, & inter hilaritatem animorum, adhibitis concordiæ fautoribus tolleretur. *Proxima*] Feſta ſcilicet. *Chariſtia*] ἀπὸ τῆς χάριτος, quod eſt gratia, quaſi gratioſa convivia. *Paul. Proxima cognati dixere Chariſtia*] VIII. Kalendas Martias erant Chariſtia. Bene Kalendarium Conſtantini Magni: IX. FERALIA. VIII. CHARISTIA. VII. TERMINALIA. Omittit hæc feſta vetus Romanum: miror. In Rureſtri, poſt Parentalia & Lupercalia, legitur, CARA COGNAT. mallem CARI COGNAT. id eſt, Cariſtia cognatorum. Vide Valer. lib. II. cap. I. *Convivium etiam ſolemne majores inſtituerunt, idque Chariſtia appellarunt, &c.* Dies ergo ille totus deditus conviviis: hinc eundem, *Feſtum epularum* dixerunt. *Neapol.*

618. *Et turba propinqua*] Quaſi cœtus propinquorum, hoc eſt, affinium. *Ad ſocios Deos*] Quaſi ad Penates conjunctorum.

619. *A tumulis*] Hoc eſt, à ſepulchris, cognatorum ſcilicet. Vel *à tumulis*, à tumulatis cognatis. *Et à propinquis qui periere*] A cognatis & affinibus jam vita functis. *Et juvat*] Delectat.

620. *Ad vivos*] Ad eos qui ſuperſunt.

621. *Poſt tot amiſſos*] Poſt tot cognatos vita functos. *Aſpicere quicquid reſtat de ſanguine*] Quicunque ſuperſunt de eadem cognatione,

622. *Gradus generis*] Gradus cognationis. Sunt enim alii ſuperioris, alii inferioris ordinis dicti.

623. *Innocui veniant, &c.*] Non veniant ad hæc ſontes, ſed inſontes. *Veniant*] Ad hæc Chariſtia. *Paul. Innocui veniant*] Arcet ab hac menſa Atreos & Thyeſtes, Medeas & Inones, Philomelas & Prognes, Tereos, & tandem capita quæ bona ſceleri & crimini debent. *Neap.*

624. *Et mater acerba*] Crudelis. *In partus ſuos*] In filios quos peperit: ut fuit Medea.

625. *Pater eſt vivax*] Cui pater nimium vivere videtur. *Annos matris*] Qui ſperat, hoc anno, vel illo matrem morituram. *Qui digerit*] Qui numerat.

626. *Quæ premit*] Quæ vexat. *Nurum inviſam*] Hoc jam in proverbium tranſit, ut ſocrus nurum diligere non poſſit.

627. *Abſint*] Sint procul. *Fratres Tantalidæ*] Fratres, Tantalidis ſimiles, ut Atreus & Thyeſtes fuere, Tantali nepotes, Pelopis filii. *Et abſit uxor Jaſonis*] Similis uxori Jaſonis, hoc eſt, Medea, patrem prodidit, fratrem laceravit, filios ex Jaſone necavit.

628. *Semina toſta*] Sicca. *Ruricolis*] Agricolis: Ino Phryxi & Helles noverca, Athamantis uxor, agricolis adusta ſemina dabat: quæ cum minime naſcerentur, ſequuta eſt annonæ caritas, &c.

629. *Et ſoror, & Progne, &c.*] Tereï, Prognes, & Philomelæ fabula la-

Et quicumque ſuas per ſcelus auget opes.
Dis generis date thura boni: concordia fertur
Illo præcipue mitis adeſſe die.
Et libate dapes, & grati pignus honoris
Nutriat intinctos miſſa patella cibos.
Jamque ubi ſuadebit placidos nox humida ſomnos,
Larga precaturi ſumite vina manu.
Et, bene nos, bene te patriæ pater, optime Cæſar,
Dicite ſuffuſo ſint bona verba mero.
NOx ubi tranſierit, ſolito celebretur honore
Separat indicio qui deus arva ſuo.
Termine, ſive lapis, ſive es defoſſus in agro
Stipes,

tius in Metamorphoſeos libro 6. refertur. Abſit. *Et Progne, & ſoror*] Hoc eſt, Philomela: quia ambæ in necem Itys conſpiravêre. *Et Tereus iniquus duabus*] Prognæ & Philomelæ.

631. *Dis generis date, &c.*] Sacrificandum eſt à bonis, illis enim chariſtiis adeſt inter cognatos Concordia. *Diis generis*] Diis ejuſdem cognationis. *Concordia*] Dea. *Paul. Dis generis date thura boni*] Vos mentes recti conſciæ. In antiquo meo eſt, *date thura bonis.* Non reprobo ſcripturam: nam boni manes, & boni lemures (alios vocarunt noxios & averſos) erant Dii lares, quibus modo ſupplicabant pro incolumitate reliquæ familiæ: huc ſpectat vetus hic lapis: LARIBUS PRO SALUTE ET INCOLUMITATE DOMUS Q. SERTORII. *Neapol.*

632. *Adeſſe mitis*] Benigna. *Præcipue illa die*] In qua ſunt Chariſtia.

633. *Libate*] Deguſtate. *Dapes*] Quaſi una comedite.

634. *Patella miſſa*] Quaſi poſita ſuper menſa. *Cibos intinctos*] Sapore aliquo reſperſos. *Paul. Miſſa patella cibos*] Tibullus alicubi Lares compellans: *Adſitis Divi, nec vos è paupere menſa Dona, nec è parvis ſpernite fictilibus.* Quid hic, *parva fictilia*, niſi veteres patellæ? hinc *patellarii Dii* Plauto, & à Varrone ſcriptum: *Deos colere ac dare in patellam, μικρὸν χρέος.*

637. *Et bene nos*] Nota formula hæc inter ſcyphos & pocula antiquorum. Vide Plautum in Perſa, Act. V. Scen. I. & in Stycho, Act. V. Scen. IV. *Bene tu patriæ pater optime Cæſar*] Piaculum enim fuit apud antiquos, in quavis publica ſive privata menſa, ſuo etiam principi non bene precari. Vide Ambroſ. de Helia & jejunio, cap. XVII. *Neapol.*

638. *Dicite mero ſuffuſo*] Sparſo. *Per ſacra verba*] Per ora, unde ſacra verba egrediuntur. *Dicite bene vos*] Qui adeſtis ſcilicet, bene vivatis & valeatis. *Paul.*

639. *Nox ubi tranſierit*] VII. Kalend. Martias erant feſta Terminalia dies N. P. ut notatur in Kalendariis.

640. *Indicio qui Deus arva ſuo*] Is à Numa Pompilio primo cultus & inſtitutus. Ut enim contenti reculis propriis non ambirent alienas, fecit, ut unuſquiſque ſuum agellum circumſcriberet, & finibus lapides infigeret. Vide Dionyſ. lib. II. *Neapol. Nox ubi tranſierit, &c.*] Decimo Kalendas Martias, hoc eſt, vigeſimo die Februarii, eſt Termini feſtum. *Nox*] Chariſtiorum. *Tranſierit*] Et illuceſcet ſequens dies. *Deus qui ſeparat*] Diſterminat arva. *Suo indicio*] Suo ſigno, hoc eſt, affixo lapide: id eſt, Terminus Deus. *Solito honore*] Aſſuetis ſacrificiis.

641. *Termine, ſive lapis, &c.*] Nunc ad Terminum ipſum verba facit, quod à veteribus ejus feſtum inſtitutum ſit. *O Termine*] Sive es lapis. Lapidem enim illum fuiſſe dicunt, quem Saturnus pro Jove devoravit. *Sive es ſtipes*] Truncus arboris. *In agro*] In arvorum diſterminatione. P. *Sive lapis, ſive es ſtipes*] Ex utroque confecta ſacra illa indicia rei alienæ: hinc illud:

Πῆγ

Stipes, ab antiquis tu quoque numen habes.
Te duo diverſa domini de parte coronant,
Binaque certa tibi, binaque liba ferunt.
Ara fit: huc ignem curto fert ruſtica teſtu
Sumptum de tepidis ipſa colona focis.
Ligna ſenex minuit: conciſaque conſtruit alte,
Et ſolida ramos figere pugnat humo.
Tum ſicco primas irritat cortice flammas.
Stat puer, & manibus lata caniſtra tenet.
Inde, ubi ter fruges medios immiſit in ignes;
Porrigit inciſos filia parva favos.
Vina tenent alii: libantur ſingula flammis.
Spectant, & linguis candida turba favent.

Spar-

Πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον τὸ δὲ πρόσχυντες. Inde paſſim & lapidis & ſtipitis nomine Terminus exauditur. Tertullianus alicubi, nec fallor, vocavit *palos terminales*, alius *cancellos*: hinc *cancellare*, *cancellatio*, pro limitatione in Siculo Flacco.

642. *Ab antiquis*] Hi Græci ſunt, qui τέρμονας dicunt: nos, una mutata litera, *terminos*. Neap. *Ab antiquis*] Aliqui legunt, *Numen* habes, quaſi pro Deo coleris.

643. *Te*] O Termine. *Coronant duo domini, &c.*] Ex diverſis partibus: nam cum duorum agros dividant, alter hinc, alter illinc, Terminum coronant. P. *Te duo diverſa*] Agrorum utrimque poſſeſſores. Hoc erat ſacrificium privatum; publicum vero, quod fiebat ἀμφιτεῖ ſexto ab urbe lapide: de quo noſter paulo poſt. Vide Plutarch. in vita Numæ. *Neap.*

644. *Et ferunt*] Pro offerunt. *Bina ſerta*] Binas florum coronas: quia hic & ille. *Et bina dona*] Quia uterque ſacrificat.

645. *Ara fit hic*] Componitur in ipſo Termini loco ara. *Paul. Curva fert, &c*] Vaticani verius, *curto teſtu*. Pauperis eſt habere fictilem nec integram patellam, & rupto latere guttum. *Neapol.*

646. *Focis*] Focis, pro loco ubi fit ignis.

647. *Ligna ſenex minuit*] Ruſtica ignem affert, ſed à ſene ruſtico inciduntur & componuntur ligna ad ignem faciendum. *Minuit*] Id eſt, incidit. *Alte*] In altum.

648. *Et pugnat*] Nititur. *Figere ramos*] Hoc eſt, ſtipites. *Humo ſolida*] Terra dura: & hoc ad congeriem lignorum firmandam.

649. *Irritat*] Quaſi ſuſcitat ad incendium.

650. *Stat puer*] Coloni filius. *Lata caniſtra*] Ampla caniſtra: in quibus erant, quibus ad ſacrificium opus erat. P. *Stat puer*] Hinc communi conſenſu literati ſuſpicantur, quem Græci, παῖδα ἀμφιθαλῆ vocant, Latini *Cannillum*. Inclino: ſed quid diſſimulem? lente. Mallem, boni ſenis filiolum pro puero intelligi: nam colona ejuſdem etiam erat proles. *Neap.*

651. *Inde ubi ter fruges, &c.*] Loco thuris fruges adurebantur, deinde mella delibabant. *Ter fruges*] Tria frugum genera. P. *Inde ubi ter fruges*] Dionyſium de ſacrificiis ad eundem vide. *Neap.*

652. *Filia porrigit*] Delibandos apponit. *Favos inciſos*] Mel, ſeu ipſam mellis fabricam in fruſta diviſam.

653. *Alii tenent vina*] Sine vino ſacrificium non fit. *Libantur*] Libanda ponuntur. *Flammis*] Nam de ſingulis quæ habebant, ponebant parum in igne.

654. *Turba candida*] Vel quod in eo ſacrificio candidis veſtibus uterentur; vel *candida*, quaſi pia, religioſa.

Spargitur & cæſo communis Terminus agno:
Nec queritur, lactens cum ſibi porca datur.
Conveniunt, celebrantque dapes vicinia ſimplex,
Et cantant laudes, Termine ſancte, tuas;
Tu populos, urbeſque, & regna ingentia, finis:
Omnis erit ſine te litigioſus ager.
Nulla tibi ambitio eſt, nullo corrumperis auro:
Legitima ſervas credita rura fide.
Si tu ſignaſſes olim Thyreatida terram;
Corpora non letho miſſa trecenta forent:
Nec foret Othryades congeſtis tectus in armis.
O quantum patriæ ſanguinis ille dedit!
Quid nova cum fierent Capitolia? nempe deorum
Cuncta

655. *Spargitur & cæſo*] Ex Plutarcho oſtendimus, nihil animatum ſacrificari. At Poëta immolari agnum, ſeu ſuillam inquit. *Terminus communis*] Quia duorum dominorum. *Spargitur cæſo agno*] Sanguine agni immolati. *P. Spargitur*] Et ubi ſacra illa Numæ lex de ſervandis puris à ſanguine his ſacris? abiit. Audi Plutarchum: Νῦν μὲν ἔμψυχα, immolant, &c. *Neap.*

656. *Nec queritur*] Terminus ipſe. *Dum datur ſibi*] Cum ad honorem ejus immolatur. *Porca lactens*] Hoc eſt ſuilla dum adhuc ſub lacte eſt.

657. *Conveniunt, celebrantque*] Convenit ad hæc ſacra & epulas, omnis vicinia, & Termini laudes cantat. *Et celebrant*] Laudant & frequentant. *Dapes*] Ipſas ſacras epulas.

658. *Laudes*] Hymnos in honorem Termini.

659. *Tu populos, urbeſque, &c.*] Hæc verba in Termini laudes canit Poëta. *Tu finis*] Pro finibus, ſeu diſterminas. *Et urbes*] Hoc quoad urbium agros. *Et regna ingentia*] Ad regnorum ingentium confinia circumſcribenda, aut ſignanda.

660. *Litigioſus*] Litibus plenus. *Sine te*] Nam niſi termino agri ſignarentur, ſemper agrorum domini eſſent in lite, cum alter alterius ſibi partem adſcriberet.

661. *Nulla ergo eſt tibi ambitio*] Quia ambitione flecti non poteſt. *Nullo auro corrumperis*] Quaſi nullo pretio.

662. *Rura credita*] Rura vel agros tibi commiſſos. *Fide legitima*] Integra.

663. *Signaſſes olim terram Thyreatida*] Quem locum Thucidydes in Cynoſuria eſſe, inquit, ad Argivi & Lacedæmonis agri confinia. Tyream Herodotus Argivorum & Lacedæmoniorum contentionem & pugnam fuiſſe aſſerit. Nam inter eos pactum fuit, ut utrinque trecenti dimicarent. Occubuêre Argivi omnes præter Alcenum & Mathinum. Spartani ſeu Lacedæmones, præter Othryadem ducem eorum, omnes cæſi. Ob quod dedecori aſcribens Othryades, quod cæteris pro patria cæſis, ſolus ſupereſſet, inter extinctorum cadavera ſe ipſum interemit. *P. Thyreatida terram*] Sic recte veteres. Thyreatis terra pars erat terræ Argolicæ; Lacedæmonii tamen interceptam tenebant. Vide Thucidyd. Lib. 4.

664. *Miſſa trecenta forent*] Imo ſexcenta: ex his tres ſolum ſupervixêre. Vide Herodot. lib. 1. Atrox hæc pugna fuit, ſi bene ſupputo, anno Mccccl xxii. nam paulo poſt captus Crœſus, & Sardes, quod rejicitur in Mccccl xxiii. *N. Miſſa letho*] Ad mortem. *Trecenta corpora*] Quia utrinque trecenti cæſi ſunt, præter duos, quos diximus.

666. *Dedit ille*] Othryades. Quantum ſanguinis effudit ille pro patria.

667. *Quid nova, &c.*] Tarquinius Priſcus, cum eſſet Jovi Optimo fanum conſtructurus, de loco augures conſuluit: Reſponſum eſt, in Tarpeio colle,

Sed

Cuncta Jovi ceſſit turba locumque dedit.
Terminus (ut veteres memorant) conventus in æde
Reſtitit: & magno cum Jove templa tenet.
Nunc quoque, ſe ſupra nequid niſi ſidera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.
Termine poſt illud levitas tibi libera non eſt.
Qua poſitus fueris in ſtatione, mane:
Nec tu vicino quicquam concede roganti,
Ne videare hominem præpoſuiſſe Jovi.
Et ſeu vomeribus, ſeu tu pulſabere raſtris;
Clamato, Tuus eſt hic ager, ille tuus.
Eſt via, quæ populum Laurentes ducit in agros,
Quondam Dardanio regna petita duci.
Illa lanigeri pecoris tibi, Termine, fibris
Sacra videt fieri ſextus ab urbe lapis.

Genti-

Sed cum ibi multæ eſſent deorum aræ, viſum eſt auguribus, ut de unaquaque ara deos conſulerent, an ſe moveri concederent. Dii cæteri geniique permiſere, in alia loca ſuas aras transferri. Terminus autem & Juventa minime annuerunt. *P. Quid nova? &c.*] Opus inceptum à Tarquinio Priſco ex voto; ſed à nepote Superbo abſolutum. *Neap.*

669. *Reſtitit in æde*] In loco pro Jovis æde deſignato.

670. *Reſtitit*] Quia non ceſſit. *Paul. Reſtitit*] Inde prodiit ænigma illud perantiquum tribus verſibus ſenariis:

Semel minuſve, an bis minus ſit, non ſat ſcio,
An utrumque eorum, ut quondam audivi dicier,
Jovi ipſi regi noluit concedere. Neap.

671. *Cernat ſupra ſe niſi ſidera*] Niſi cœlum in quo ſunt ſidera: hoc eſt, ut libero cœlo frueretur.

672. *Foramen*] Nam ædificato templo, foramen eſt in templo relictum. *P. Foramen habent*] Servius lib. 11. *Unde in Capitolio ſuperna pars tecti patet, quæ lapidem ipſum Termini ſpectat: nam Terminо non niſi ſub divo ſacrificabatur.* Non tamen huic ſoli: cuivis enim Numini, cui in loco aliquo fulgurito ara erecta, ſine tegmine veteres faciebant, ſed his plerumque. Vide & Vitru. l. 1. c. 11. *Neapel.*

673. *Termine poſt illud, &c.*] Ex illo Terminus ubicunque fixus eſt, effodi non poteſt. Et pœna erat, quam ſuperius diximus, in eos, qui aut occuluiſſent, aut tranſtuliſſent Terminum. *Non eſt tibi*] Quia non leviter aut libere potes avelli ex aliis locis; nam capitale eſt.

674. *In ſtatione qua*] In loco quo poſitus fueris.

675. *Vicino*] Hoc eſt, ſi quid à te peteret, quod ſuum non eſſet, ne concedas.

676. *Præpoſuiſſe hominem Jovi*] Quia Jovi non ceſſiſti, non cedas homini.

679. *Eſt via qua, &c.*] In privatorum agris ſupra terminos à privatis ſacrificabatur, in confinibus autem urbium publice ſacrificium fiebat. *Qua ducit populum in agros, &c.*] Eſt via, per quam iter Laurentum, quæ fuerat regia Latina. Dicta eſt *via Laurentina*, quæ eſt inter viam Hoſtienſem & Appiam.

680. *Petita duci dardanio*] Hoc eſt, Æneæ, quia illuc appulit, & poſt mortem Latini regnavit. *Illa*] In ea via Laurentina.

681. *O Termine*] Sextus lapis. Signabantur tunc millia paſſuum lapidibus. Ergo *ſextus lapis ab urbe*: id eſt, in loco, diſtanti ab urbe ſex mil. paſ. *Fibris*] Extis. *Pecoris lanigeri*] Hoc eſt, arietis aut ovis agni. P.

682. *Sacra videt fieri*] En publica, quæ acta in via Laurentina. *Sextus ab urbe lapis*] Num hi antiqui agri Romani fines? haud dubie ita eſt: ideo ſacerdotes

ibi

Gentibus eſt aliis tellus data limite certo;
Romanæ ſpatium eſt urbis & orbis idem.
NUnc dicenda mihi regis fuga. traxit ab illa
Quintus ab extremo nomina menſe dies.
Ultima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna: vir injuſtus, fortis ad arma tamen.
Ceperat hic alias, alias everterat urbes,
Et Gabios turpi fecerat arte ſuos.
Namque trium minimus, proles manifeſta Superbi,
In medios hoſtes nocte ſilente venit.
Nudarant gladios, Occidite, dixit, inermem:
Hoc cupiant fratres, Tarquiniuſque pater,
Qui mea crudeli laceravit verbere terga,
(Dicere ut hoc poſſet, verbera paſſus erat.)

Luna

ibi ſacrum Deo Termino agebant, nec aliam ob cauſam ὑ μαχρὰν ambarvale ſacrificium extendebatur. Vide Strabon. lib. 5. *Neapol.*

683. *Limite*] Termino.

684. *Spacium*] Terminus eſt. *Orbis, & Romana urbis*] Quia eos habet urbs terminos quos habet orbis univerſus.

685. *Nunc mihi dicenda*] Vigeſima tertia dies menſis Februarii, hoc eſt, ſeptimo Kalend. Martias, appellata eſt Regis fuga, quando Tarquinius Superbus cum filiis ejectus eſt.

686. *Quintus ab extremo*] Sic legend. nec alio die notatur in Faſtis lapideis Regifugium. Alii falſo ad Kalendas Junias differunt, ut Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 12. Non ambigo quin Macrobium deceperit carmen Ovidii V. Faſtor. cum canit 9. Kalend. Junias: *Quattuor inde notis locus eſt: quibus ordine lectis, Vel mos ſacrorum, vel fuga Regis ineſt.* Sed in his nulla mentio Regifugii: ſed tantum harum literarum, Q. R. C. F. quæ ſignificant, quando Rex, id eſt, ſacrorum, Comitio fugit. Fuſius ad V. de hoc ritu priſco nos vide ad eoſdem verſiculos. *N. Sextus dies ab extremo menſe*] Quaſi ab extrema die menſis Februarii; ſi numerare incipias uſque ad ſex, erit vigeſimus tertius dies: nam 28. tantum habet Februarius.

687. *Ultima Tarquinius*] Quia ultimus Romæ regnavit. *P.*

688. *Vir injuſtus*] Id ipſum regni initium aperuit, quod occiſo Servio Rege ſocero invaſit. Multa hujus Tyranni impia referunt ſeverioris notæ Hiſtorici; multa quidem, quæ non illi, Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 3. Imo omne convitium comprehendit Latinus Pacatus Panegyrico ad Theodoſium. *N.*

689. *Ceperat hic alius, &c.*] In Volſcos bellum movit, Sueſſam & Pometiam vi captas diripuit, Gabios Fraude cepit. *Everterat*] Diripuerat & deleverat.

690. *Et fecerat ſuos*] Quia in poteſtatem ſuam redegerat Gabios. *Turpi arte*] Fraude & dolo, ac filii audacia.

691. *Proles manifeſta*] Ob innatos mores, quibus erat ei ſimilis.

692. *Venit in medios hoſtes*] Transfugit Gabios. *Nocte ſilente*] Noctis tempore. *P. Proles manifeſta Superbi*] Sextus patri ſimillimus, qui minimus ex tribus erat, ut ſcribit naſo, ex Hiſtorico Patavino: ſi Dionyſium ſequimur, natu maximus; nullius cauſſam agam. *Neapol.*

693. *Nudarant*] Gabini, qui in excubiis erant. *Nudarant gladios*] Ut ſcilicet hunc interficerent. *Ille dixit*] Occidite. *Inermem*] Virum ſine armis.

694. *Fratres*] Titus & Aruns. *Et pater Tarquinius*] Hoc etiam cupit.

695. *Verbere*] Pro verberibus crudelibus.

696. *Poſſet hæc dicere*] Ex veritate ſcilicet, quod illi eum verberaſſent. *Paul.*

Luna fuit. ſpectant juvenem, gladioſque recondunt:
Tergaque deducta veſte notata vident.
Flent quoque, & ut ſecum tueatur bella precantur:
Callidus ignaris annuit ille viris.
Jamque potens, miſſo genitorem appellat amico,
Prodendi Gabeos quo ſibi monſtret iter.
Hortus odoratis ſuberat cultiſſimus herbis,
Sectus humum rivo lene ſonantis aquæ.
Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit, & virga lilia ſumma metit.
Nuntius ut rediit, decuſſaque lilia dixit;
Filius, agnoſco juſſa parentis, ait.
Nec mora: principibus cæſis ex urbe Gabina,
Traduntur ducibus mœnia nuda ſuis.
Ecce (nefas viſu) mediis altaribus anguis

Exit,

Paul. Verbera paſſus erat] Eaque in foro publice. *Neapol.*

697. *Luna fuit*] Lucebat tunc Luna, ita ut ad ejus lumen bene poſſent diſcernere. *Juvenem*] Sextum.

698. *Terga notata*] Signata virgis, aut verberibus. *Deducta veſte*] Remota veſte. *Paul: Notata vident*] Ad idem fere ſenſum torſit *notare* Petronius in Satyrico: *Sequar ego frontes notans inſcriptione ſolerti, ut videamini ſtigmate eſſe puncti.* Neapol.

699. *Flent quoque*] Commiſeratione moti Gabini fiere cœpere: excepere illum, precati, ut ſecum in patrem bella gereret. *Tueatur*] Vel ut eos à bellis tueatur, vel defendat.

700. *Annuit*] Nutu quæ petunt, promittit. *Ignaris viris*] Gabinis ignaris ſcelerum tantorum.

701. *Jamque potens*] Ipſe Sextus: quia Gabinorum dux. *Appellat genitorem*] Ut monſtret ſibi iter perdendi, conculcandi, aut ſubjugandi Gabios.

703. *Hortus*] Tarquinius cognoſcere nolens famulum quæ facere filium juberet, ducens eum ſecum, pergit in adjacentem regiæ ſuæ hortum. Contigit autem papavera in eo multa innata eſſe, per quæ tranſiens Tarquinius, eminentis cujuſque papaveris caput feriens decutiebat, nihil prorſus roganti reſpondens.

704. *Sectus humum*] Habens humum ſectam, id eſt, diviſam rivo. *Lene*] Pro leniter. *Sonantis*] Murmurantis.

705. *Nati*] Sexti ſcilicet: nam in hortum nuncium dixit.

706. *Et petit*] Impetit, decutit. *Lilia ſumma*] Poëta lilia decuſſa inquit, Dionyſius & Livius papavera dixere; eo docens ipſum oportere ſpectatiſſimos cives perdere. *Paul. Lilia ſumma metit*] Imitatus factum Thraſybuli Milefii, qui rogatus à Periandro per quemdam, neceſſaria moneret ad imperium diuturnum, agrum mutus cum Legato petit, & ariſtas cædit altiores: ſi quietem, innuens, Rex tuus quærit in regnis, extinguat validiores. *Neapol.*

708. *Agnoſco juſſa parentis*] Tarquinii. Scio, inquit, quid pater imperat.

709. *Nec mora*] Sexto ubi quid vellet parens, quidve præciperet, tacitis ambagibus patuit, primores civitatis criminando alios apud populum, alios ſua ipſos invidia opportunos interemit. Multi palam, quidam clam interfecti. *Principibus*] Id eſt, primoribus ex urbe Gabina.

710. *Nuda ſuis ducibus*] Qui ea tuebantur. *Traduntur*] Produntur ab ipſo Sexto patri Tarquinio.

711. *Ecce nefas, &c.*] Gabiis receptis Tarquinius pacem cum eorum gente fecit, fœdus cum Thuſcis renovavit, inde ad negotia urbana animum convertit. Hæc agenti, ut Livius cum Poëta concordans

Exit, & exſtinctis ignibus exta rapit.
Conſulitur Phœbus. ſors eſt ita reddita: Matri
Qui dederit princeps oſcula; victor erit.
Oſcula quiſque ſuæ matri properata tulêre,
Non intellecto credula turba deo.
Brutus erat ſtulti ſapiens imitator, ut eſſet
Tutus ab inſidiis, dire Superbe, tuis.
Ille jacens pronus matri dedit oſcula Terræ;
Creditus offenſo procubuiſſe pede.
Cingitur interea Romanis Ardea ſignis,
Et patitur lentas obſidione moras.
Dum vacat, & metuunt hoſtes committere pugnam:
Luditur in caſtris: otia miles agit.
Tarquinius juvenis ſocios dapibuſque meroque
Accipit, ex illis rege creatus ait:

Dum

cordans, inquit, portentum terribile viſum. *Ecce nefas viſum eſt*] Viſa eſt res infanda. *Paul. Altaribus anguis exit*] Tria ſimul triſte aliquod portendebant: viſus coluber in ara, rapta exta, & ignis exſtinctus: ſed duo poſtrema non recenſet Livius; nec illud in altari ſediſſe, ſed è columna lignea (eam templi Capitolini veteris ſuſpicor) elapſum in regiam prorupiſſe. *Neapol.*

712. *Exit anguis mediis altaribus*] De medio templo, aut de medio loco ſacrificiorum. At Livius inquit, Anguis è columna lignea elapſus. *Et rapit*] Devorat, aut raptim accipit. *Exta*] Ipſa inteſtina, quæ ſacrificabantur.

713. *Conſulitur Phœbus*] Acceſſere illi Delphos, ubi erat oraculum cæteris verius. *Conſulitur*] Petitur à Phœbi oraculo conſilium. Primo pro portento: & poſtea conſuluêre, quis eorum regnaturus eſſet. *Sors*] Reſponſum.

714. *Erit victor*] Erit voti compos, & regnabit.

716. *Non intellecto deo*] Non intellecta voce dei, voce oraculi.

717. *Brutus ſapiens*] Qui cum his iverat. *Erat imitator ſtulti*] Quaſi ſimulabat ſe in omnibus ſtultum.

719. *Jacens pronus*] Quaſi ore in terram ſtratus. *Dedit oſcula matri*] Terræ, nam terram communem omnium parentem eſſe exiſtimavit.

720. *Creditus*] Ab aliis. *Procubuiſſe*] Prolapſum deorſum fuiſſe. *Pede offenſo*] Ac ſi pedem ſcrupo offendiſſet. *Paul. Offenſo procubuiſſe pede*] De induſtria factum, fortuitum finxit: ſequitur modo ut ad impletum Pythicum oraculum.

721. *Cingitur interea*] Ex fide Annalium. *Neapol. Cingitur interea, &c.*] Ardea 20. millia paſſuum ab urbe diſtans. Hanc obſedit Tarquinius, cauſam prætendens quod Ardeates Romanos exules ſuſcepiſſent, conſpirarentque cum eis de reditu. *Ardea*] Quæ urbs fuit Rutulorum.

722. *Cingitur Romanis ſignis*] Quaſi obſidetur Romano exercitu. *Et patitur longas moras*] Qua diu duravit. *Paul. Longas obſidione moras*] Vide Livium de urbe obſeſſa. *Neapol.*

723. *Dum vacat*] Dum fit vacatio à pugna. *Et hoſtes*] Ardeates ſcilicet.

724. *Agit otia*] Quia erant otioſi non pugnando.

725. *Juvenis Tarquinius*] Sextus Tarquinii Filius. *Paul. Tarquinius juvenis*] Neſcio cur ambigant interpretes, an hic Tarquinius ſit Sextus, cum de eodem paulo poſt legerint: *Interea juvenis furiales regias ignes concipit*: & mox ipſemet, multa ſecum animo volutans: *Capimus audendo Gabios.* Neapol.

726. *Ex illis rege*] Qui in ea cœna erant.

727. *Dum*

Dum nos difficilis pigro tenet Ardea bello,
Nec ſinit ad patrios arma referre deos;
Ecquid in officio torus eſt ſocialis? & ecquid
Conjugibus noſtris mutua cura ſumus?
Quiſque ſuam laudat. ſtudiis certamina creſcunt,
Et fervent multo linguaque corque mero.
Surgit cui clarum dederat Collatia nomen;
Non opus eſt verbis, credite rebus, ait.
Nox ſupereſt: tollamur equis, urbemque petamus.
Dicta placent: frænis impediuntur equi.
Pertulerant dominos. regalia protinus illi
Tecta petunt: cuſtos in fore nullus erat.
Ecce nurum regis fuſis per colla coronis
Inveniunt poſito pervigilare mero.

Inde

727. *Dum nos ſollicitos, &c.*] Dum in hac Ardeatium obſidione ſumus, nec patriam repetere poſſumus, numquid ſint in nos officioſæ conjuges noſtræ; num curam illæ de nobis gerunt, ſicut nos de illis.

728. *Pigro bello*] Lento, qua non pugnabatur. *Referre arma*] Quia cum hic nos detineat, non ſinit in patriam redire.

729. *Torus ſocialis*] Lectus matrimonialis, quaſi uxor noſtra, vel conjuges noſtræ. *Paul. Ecquid in officio torus eſt ſocialis*] Numquid nos reciproce amant uxores noſtræ? num ſervant conjugales leges? *Neapol.*

730. *Mutua cura conjugibus noſtris*] cura reciproca, ut nos de ipſis curam gerimus pro patria pugnando, an illæ de nobis curam gerant?

731. *Creſcunt ſtudiis*] Quaſi ſtudio, deſiderio laudandi ſuam.

732. *Fervet*] Incaleſcit. *Multo mero*] nam facti erant ob merum alacriores & loquaciores.

733. *Surgit cui dederat, &c.*] Inde certamine accenſo, Collatinus negat verbis opus eſſe, paucis id quidem horis poſſe ſciri, quantum cæteris præſtet Lucretia ſua. *Cui Collatia dederat clarum nomen*] L. Tarquinius, ex multa in urbe Collatia commoratione *Collatinus* appellatus eſt. *Collatia*] Oppidum fuit prope Romam, ſic dicta, quod ibi opes aliarum civitatum fuerint collatæ, à quo porta Romæ *Collatina*, appellata eſt. *P. Clarum Collatia nomen*] Tarquinius Collatinus Egerii F. *Neap.*

734. *Credite*] Res ipſa comprobabit.

735. *Nox ſupereſt*] Quaſi noctis tempus ſupereſt, ad eundum in caſtra. *Tollamur*] Attollamur. *Equis*] Equitemus. *Urbem*] Romam. Poterant ire & redire, quia ſolum diſtabat Romæ mil. paſſ. & quatuor horis feciſſent iter, maxime citatis equis.

736. *Dicta*] Collatini ſcilicet. *Equi impediuntur frænis*] Frænavere equos, aptavere equis habenas.

737. *Pertulerant dominos*] Equi ſcilicet: quaſi jam veneraht Romam. *In fore*] Pro in foribus.

739. *Ecce*] Inquit Poëta, velut exprobraturus laſciviam & crapulam nuruum regiarum: ut à continentia, pudicitia, & exercitio magis Lucretiam commendaret. *Nurus*] Conjuges filiorum regis. *P. Fuſis*] Erat id apud avos violentiæ nota.

740. *Poſito pervigilare mero*] Lege Livium, ſed non meminit vini, cujus potus grave crimen ſexui muliebri: ſcita lex illa Romuli. Inde ex Polybio Athen. lib. 10. Αεσθιν δε ει τις εδυνατο την γυναικα πιουσαν οινον, &c. Nota hos mores & oſcula hæc licita. Vide & Dionyſ. Halicarnaſ.

Inde cito paſſu petitur Lucretia: nebat:
Ante torum calathi, lanaque mollis erant.
Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant:
Inter quas tenui ſic ait illa ſono:
Mittenda eſt domino (nunc, nunc properate puellæ)
Quamprimum noſtra facta lacerna manu.
Quid tamen audiſtis? (nam plura audire ſoletis.)
Quantum de bello dicitur eſſe ſuper?
Poſtmodo victa cades: melioribus, Ardea, reſtas;
Improba; quæ noſtros cogis abeſſe viros.
Sint tantum reduces. ſed enim temerarius ille
Eſt meus, & ſtricto quolibet enſe ruit.
Mens abit, & morior, quoties pugnantis imago
Me ſubit: & gelidum pectora frigus habet.

Definit

Neapol. Pervigilare peſito mero] Indulgere crapulæ. Quod ſi in homine turpe, in muliere turpiſſimum.

741. *Inde cito paſſu, &c.*] Pergunt inde Collatiam, ubi Lucretiam haud quaquam ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum æqualibus viderant tempus terentes: ſed nocte ſera deditam lanæ inter lucubrantes ancillas, in medio ædium ſedentem inveniunt. Muliebris certaminis laus penes Lucretiam fuit. *Petitur Lucretia*] Itur ad Lucretiam. *Cito paſſu*] Acceleratis paſſibus.

742. *Ante torum*] Ante lectum cujus. *Erant calathi*] Caniſtri cum rebus ad telam facientibus. *P. Ante torum calathi*] Antiquæ noſtræ matres in atrio, ubi & lectus ſtratus, lanificio operam dabant. En hæc omnia uno exemplo: Aſconius. Æmilium Probum etiam vide in Præfatione ad ſuos Cæſares. *Γυναικωνίτις* pars erat in ædibus, in qua mulieres habitabant; ut *ἀνδρωνίτις*, in qua ſeorſim viri.

743. *Data penſa trahebant*] A Lucretia præſcripta; hoc matrifamilias incumbebat. *Neap. Trahebant*] Filabant lanam ipſam. *Ad exiguum*] Et hoc ad commendandam Lucretiæ parſimoniam.

744. *Sic illa ait tenui*] Quaſi ſummiſſa voce, ut pudicas decet.

745. *Mittenda eſt*] Ancillas admonet ad opus maturandum: nam perfectura eſt lacernam, quam viro mittat.

746. *Lacerna facta noſtra*] Quam ego fecero. *Lacerna* genus veſtimenti expediti, quo utuntur milites. *Lacerna*] Hinc elicias, lacernam fuiſſe veſtem militarem. Eadem dicta *tenula* Tertulliano & Suetonio: qui etiam in vita Claudii, *tunicas ruſſulas militares* appellavit. Vide & interpretem Juvenalis, in illa: *trita domare lacerna*. Neap. *Domino*] Viro.

747. *Quid tamen, &c.*] Interrogat eas, quamdiu duraturum erit bellum. *Nam poteſtis audire plura*] Quam ego audiam, quæ non egredior domo.

748. *Quantum dicitur*] Hoc eſt, ſupereſſe, vel quantum duraturum eſt.

749. *Poſtmodo victa cades, &c.*] Convertit ſermonem ad Ardeam, quæ quia obſeſſa à Romanis, erat cauſa abſentiæ virorum. *Ardea reſtas*] Tu reſiſtis modo. *Melioribus*] Populis ſcil. *Poſt*] Quaſi finaliter. *Victa*] Tu à Romanis. *Cades*] Quia expugnaberis & deleberis.

751. *Sint tantum reduces*] Pudicæ mulieres de ſalute virorum ſemper ſollicitæ ſunt. *Sint tantum reduces*] Hoc eſt, tantummodo ſoſpites revertantur.

752. *Qualibet*] Ex omni parte. *Stricto*] Evaginato enſe.

753. *Imago pugnantis*] Viri ſcilicet. *Quoties me ſubit*] Quoties videor videre illum pugnantem. *Abit mens*] Efficior velut amens. *Et morior*] Et videor mori, præ dolore ſcilicet.

755. *Deſinit*

Definit in lacrymas: intentaque fila remittit,
In gremio vultum depoſuitque ſuum.
Hoc ipſum decuit: lacrymæ decuêre pudicæ,
Et facies animo dignaque parque fuit.
Pone metum, venio, conjux ait. illa revixit,
Deque viri collo dulce pependit onus.
Interea juvenis furiatos regius ignes
Concipit, & cœco raptus amore furit.
Forma placet, niveuſque color, flavique capilli,
Quique aderat nulla factus ab arte decor.
Verba placent, & vox, & quam corrumpere non eſt:
Quoque minor ſpes eſt, hoc magis ille cupit.
Jam dederat cantum lucis prænuntius ales,
Cum referunt juvenes in ſua caſtra pedem.
Carpitur attonitos abſentis imagine ſenſus
Ille: recordanti plura magiſque placent.
Sic ſedit: ſic culta fuit: ſic ſtamina nevit:
Neglectæ collo ſic jacuere comæ:
Hos habuit vultus: hæc illi verba fuere:
Hic decor, hæc facies, hic color oris erat,

Ut

755. *Deſinit in lacrymas, &c.*] Sermonis ſui finis fuere lacrymæ, deſtititque ab incœpto opere, flectens in gremium caput.

756. *Et depoſuit vultum*] Ut dolentes & flentes ſolent.

757. *Decuit pudicam*] Decori fuit pudicæ mulieri. *Fuit digna & par animo*] Quia ſicut animus erat pudicus, ita facie pudicitiam præferebat: ut qualis eſſet animo, in vultu cognoſceres.

759. *Pone metum*] Audierat Collatinus ante januam Lucretiæ verba, viderat illam anxiam: & ob id lacrymantem pro ſalute ſua non potuit pati, ſed prodens ſe conſolatus eſt eam. *Illa revixit*] Quia exanimis videbatur, revixit ad vocem viri.

760. *Dulce onus*] Nam vir amplexus eſt eam, & ipſa virum, & ſic dulce erat Lucretiæ onus.

761. *Interea juvenis*] Ibi Sextum Tarquinium mala libido Lucretiæ per vim ſtuprandæ capit, tum forma, tum ſpectata caſtitas incitat. *Juvenis regius*] Sextus regis filius, *Concipit furiales*] Non cupidineos, ſed ab infernis furiis incuſſos.

762. *Raptus*] Correptus.

764. *Factus ab arte nulla*] Placet decor naturalis, non fuco, non ullo artificio, ſed à natura factus. *Paul. Nulla fictus ab arte decor*] Sine fuco & pigmento: unde noſter alibi: *Scitis & inducta candorem quærere cerâ: Sanguine quæ vero non rubet, arte rubet.* Malim legas, *candorem quærere cretâ.* Neap.

765. *Et placet quod non eſt*] Quod non datur. *Corrumpere*] Hoc eſt, ipſa pudicitia, quam corrumpere non eſt ipſius.

767. *Jam dederat*] Jam erat gallicinium, cum Collatia abeuntes, in caſtra reverſi ſunt. *Ales prænuncius*] Hoc eſt, gallus, qui cantu diem prænunciat.

769. *Carpitur ille*] Sextus, quaſi conſumitur. *Imagine abſentis*] Nam ſemper ante oculos referebatur imago Lucretiæ, & verba in auribus reſonabant.

771. *Sic ſedit*] Eſt hoc veluti naturale amantium omnium, ut eorum quæ viderint aut audierint de eo quod amant, aſſidua & dulci quadam recordatione afficiantur, ut Sextus nunc de Lucretia.

Ut ſolet à magno fluctus langueſcere flatu;
Sed tamen à vento, qui fuit ante, tumet:
Sic, quamvis aberat placitæ præſentia formæ,
Quem dederat præſens forma; manebat amor.
Ardet; & injuſti ſtimulis agitatus amoris,
Comparat indigno vimque dolumque toro.
Exitus in dubio eſt. Audebimus ultima dixit.
Viderit: audentes Forſne Deuſne juvet.
Cepimus audendo Gabios quoque. talia fatus
Enſe latus cinxit: tergaque preſſit equi.
Accipit ærata juvenem Collatia porta,
Condere jam vultus ſole parante ſuos.
Hoſtis ut hoſpes init penetralia Collatini:
Comiter excipitur: ſanguine junctus erat.
Quantum animis erroris ineſt: parat inſcia rerum
Infelix epulas hoſtibus illa ſuis.
Functus erat dapibus: poſcunt ſua tempora ſomni.
Nox erat: & totâ lumina nulla domo.
Surgit, & auratum vagina liberat enſem,

Et

Paul. Sic ſedit, ſic culta fuit] Lucretiam, ut viderat animo præſentem, ſiſtit.

775. *Ut ſolet à magno*] Nihil altius hac comparatione cogitari poteſt. *Neap. Ut ſolet à magno*] Pulchra hæc comparatio. *Solet langueſcere*] Deficere. *A magno flatu*] Poſt magnos ventos.

776. *Unda tumet*] Etiam cum deſiere venti, tamen unda agitatur.

779. *Ardet*] Sextus ipſe. *Stimulis amoris injuſti*] Injuſtus erat amor, quia nuptam, quia cognati uxorem amabat.

780. *Comparat*] Parat. *Thoro indigno*] Id eſt, matronæ indignæ hujus & violentiæ & fraudis.

781. *Exitus in dubio eſt*] Verba hæc ipſius Sexti ſunt. *Eſt in dubio*] Quia incertum eſt an vincatur. *Audebimus ultima*] Et quæ ſunt ad pudicam mulierem expugnandam. Ultima eſt violentia: nam primo preces, tum minæ, poſtremum vis.

782. *Viderit*] Ipſa Lucretia. *Venus juvat audentes*] Auxilio ſunt his qui audent. Unde illud, *Audentes fortuna juvat*. Arguit ab exemplo ſuiipſius, quod audentia Gabios in patris poteſtatem redegerat.

784. *Terga equi*] Aſcendit equum, & abſceſſit è caſtris, & venit Collatiam.

785. *Accipit ergo Collatia*] Quia in eo oppido tum erat Lucretia. *Juvenem*] Sextum.

786. *Jam ſole parante condere*] Abſcondere. *Vultus ſuos*] Quaſi occidente ſole.

787. *Hoſtis*] Ergo, Sextus. *Ut hoſpes*] Ut amicus illic hoſpitaturus. *Penetralia*] Ædes.

788. *Comiter*] Benigne. *Comiter*] Dionyſius: Ἐξένιζεν αὐτὸν ὡς συγγενῆ τῷ ἀνδρὸς πολλῇ προθυμίᾳ τε καὶ φιλοφροσύνῃ. *Sanguine junctus erat*] Nam Tarquinius Collatinus nepos Tarquinii Superbi, Sexti filii conſobrinus. *Neap.*

789. *Inæſt animis*] Eſt in animis mortalium.

790. *Illa*] Lucretia ſcilicet. *Rerum inſcia*] Perfidiæ Sexti, & violentiæ mox inferendæ, & ob futuram cædem. *Parat epulas ſuis hoſtibus*] Quia Sexto & famulo.

791. *Functus dapibus*] Jam comederat. *Somnus poſcit ſua tempora*] Quaſi jam erat tempus dormiendi.

793. *Surgit, & aurata*] Poſtquam omnes dormire exiſtimavit, exurgens,

vadit

Et venit in thalamos, nupta pudica, tuos.
Utque torum preſſit; Ferrum, Lucretia, mecum eſt,
Natus, ait, Regis, Tarquiniuſque vocor.
Illa nihil: neque enim vocem vireſque loquendi,
Aut aliquid toto pectore mentis habet.
Sed tremit, ut quondam ſtabulis deprenſa relictis,
Parva ſub infeſto cum jacet agna lupo.
Quid faciat? pugnet? vincetur fœmina pugna.
Clamet? at in dextra, qui necet, enſis adeſt.
Effugiat? poſitis urgentur pectora palmis;
Nunc primum externâ pectora tacta manu.
Inſtat amans hoſtis, precibus, pretioque, miniſque.
Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.
Nil agis, Eripiam, dixit, per crimina vitam:
Falſus adulterii teſtis adulter ero.
Interimam famulum; cum quo deprenſa fereris,
Succubuit famæ victa puella metu.
Quid, victor, gaudes? hæc te victoria perdet.
Heu quanto regnis nox ſtetit una tuis!

Jamque

vadit ad cubiculum dormientis jam Lucretiæ, habens gladium. *Surgit*] Sextus ſcilicet. *Et liberat*] Exerit enſem vagina aurata. P. *Auratum vagina*] Enſis auratus idem ac auro vinctus ad capulum, χρυσήλατος. Ni melius, manubrium vere fuiſſe ex ſolido auro & argento confectum. *Neapol.*

794. *Nupta pudica*] Collatini uxor caſta.

795. *Utque thorum*] Livius: Siniſtraque manu mulieris pectore oppreſſo, Tace, Lucretia, inquit, Sextus Tarquinius ſum, ferrum in manu eſt, morieris, ſi emiſeris vocem. In eandem ergo ſententiam & verba cum Poëta conveniunt. *Preſſit thorum*] Lectum, in quo recumbebat Lucretia. P. *Utque thorum preſſit*] Lecto incubuit. *Neapol.*

797. *Habet vires, &c.*] Erat adeo exterrita, ut nullæ in toto corpore vires eſſent, & vocis iter penitus eſſet obſtructum. Et videbatur ſuiipſius immemor.

799. *Sed tremit*] Pulchra hæc eſt comparatio, & rei convenientis, de miti ad mitem, de caſta ad caſtam.

801. *Fœmina pugnans vincetur*] Præcipue à viro.

803. *Pectora urgentur*] Premuntur. *Palmis poſitis*] Manibus ſuperpoſitis.

804. *Nam pectora tum primum*] Nemo prius tetigerat præter virum, nunc autem externus attingit.

808. *Ero falſus teſtis, &c.*] Dicam quod te in adulterio deprehenderim.

809. *Famulum*] Cum quo tu *fereris*, dicêris. *Deprehenſa*] In crimine inventa. Hoc terrore obſtinatam pudicitiam vicit: quæ non precibus, non metu mortis movebatur, victa eſt metu dedecoris. *Paul. Cum quo deprenſa fereris*] Nihil hic πολιτικόν: totum pura puta veritas. *Neapol.*

810. *Succubuit puella*] Lucretia caſta. *Victa metu famæ*] Hoc eſt, infamiæ.

811. *Quid victor*] Converſio orationis in Sextum, cum exclamatione. *Hæc victoria*] Quam de pudica muliere reportas. *Perdet*] Profligabit te & domum tuam.

812. *Heu quantum una nox, &c.*] Quantum abſtulit: nam regno pulſus es.

813. *Jamque erat, &c.*] Ut primum illuxit, egreſſa è cubiculo Lucretia, patrato per Sextum ſcelere, non ſecus mœſta ac lacrymabunda erat, ac ſi mater fi-

[lium

Jamque erat orta dies. paſſis ſedet illa capillis,
Ut ſolet ad nati mater itura rogum.
Grandævumque patrem fido cum conjuge caſtris
Evocat: & poſita venit uterque mora.
Utque vident habitum; quæ luctus cauſa requirunt:
Cui parat exſequias, quove ſit icta malo.
Illa diu reticet, pudibundaque celat amictu
Ora, fluunt lacrymæ more perennis aquæ.
Hinc pater, hinc conjux lacrymas ſolantur, & orant,
Indicet: & cœco flentque paventque metu.
Ter conata loqui; ter deſtitit: auſaque quarto;
Non oculos adeo ſuſtulit illa ſuos.
Hoc quoque Tarquinio debebimus, Eloquar, inquit,
Eloquar infelix dedecus ipſa meum.
Quæque poteſt narrat, reſtabant ultima; flevit:
Et matronales erubuêre genæ.
Dant veniam facto genitor conjuxque coacto.
Quam, dixit, veniam vos datis, ipſa nego.

Nec

lium ſepulturæ traditura. *Sparſis*] Profuſis.

814. *Mater itura ad rogum nati*] Ad locum ubi adurendum eſt filii cadaver.

815. *Cum fido coniuge*] Cum Collatino. *E caſtris*] Nam tunc erant circa Ardeam.

816. *Et uterque*] Vir & pater. *Venit poſita mora*] Sine ulla retardatione.

818. *Cui paret exſequias*] Hoc eſt funus. *Sit icta*] Saucia, afflicta.

819. *Amictu*] Veſte.

820. *More aquæ perennis*] More aquæ, quæ perpetuo curſu fluit.

821. *Hinc pater, hinc conjux*] Conſolabantur & pater & vir filiam & conjugem lacrymantem, orantes aperiret quid hoc eſſet, nec minus flebant & pavebant ipſi. *Solantur lacrymas*] Lacrymantem ipſam.

822. *Indicet*] Manifeſtet quodcunque eſt. *Cæco*] Hoc eſt, occulto. *Metu*] Quia rem ignorabant.

824. *Oculos ſuos*] Nam præ pudore aut clauſos, aut humi defixos tenebat. *Paul.*

825. *Hoc quoque Tarquinio*] Ad ſtuprum reſpicit: quaſi exclamet Lucretia, Expugnatum mihi quoque muliebre decus Tarquinio debemus. N.

826. *Ipſa infelix dedecus meum*] Quo nunc primum ſum affecta.

827. *Quæque poteſt, &c.*] Omnia retulit, uſque ad rem, quam præ pudore non potuit explicare, ſed ſatis intelligebatur. *Reſtabant ultima*] Hoc eſt, ipſa pudicitiæ violatio.

828. *Genæ matronales*] Ipſius matronæ. *Erubuêre*] Et hoc præ pudore.

829. *Dant veniam*] Et Livius: Conſolantur ægram animi, avertendo noxam à coacta in autorem delicti: mentem peccare, non corpus: & unde conſilium abfuerit, culpam abeſſe, &c. *Genitor*] Sp. Lucretius. *Et conjux*] Vir Collatinus.

830. *Nego veniam*] Quam conceditis: nolo quicquam mihi ignoſci. *P. Ipſa nego*] Hæc Phœdra in caſu pari Theſeo conjugi dixit apud Senec. in Hippolyto, Act. 3.

Tentata precibus reſtiti: ferro ac minis
Non ceſſit animus; vim tamen corpus tulit.
Labem hanc pudoris eluat noſter cruor.
Neapol.

831. *Fixit*

Nec mora, celato figit ſua pectora cultro,
Et cadit in patrios ſanguinolenta pedes.
Tunc quoque jam moriens, ne non procumbat honeſtè,
Reſpicit, hæc etiam cura cadentis erat.
Ecce ſuper corpus communia damna gementes
Obliti decoris virque paterque jacent.
Brutus adeſt, tandemque animo ſua nomina fallit,
Fixaque ſemanimi corpore tela rapit.
Stillantemque tenens generoſo ſanguine cultrum,
Edidit impavidos ore minante ſonos:
Per tibi ego hunc juro fortem caſtumque cruorem,
Perque tuos manes; qui mihi numen erunt:
Tarquinium profuga pœnas cum ſtirpe daturum.
Jam ſatis eſt virtus diſſimulata diu.
Illa jacens ad verba oculos ſine lumine movit,
Viſaque concuſſa dicta probare coma.
Fertur in exſequias animi matrona virilis,
Et ſecum lacrymas, invidiamque trahit.
Vulnus inane patet. Brutus clamore Quirites

Con-

831. *Fixit ſua pectora ferro celato*] Hoc eſt, cultro, quem abditum ſub veſte habebat.

832. *Cadit in patrios pedes*] Quia ſaucia ad pedes patris prolapſa eſt.

834. *Hæc etiam*] Cura ſcilicet, ut honeſte procumberet.

835. *Obliti decoris*] Majeſtatis, ſeu proprii honoris: quia non ita decebat fortiſſimos viros. *Gementes damna communia*] Quia ille filiam, hic uxorem. *Super corpus*] Lucretiæ morientis.

837. *Brutus adeſt*] Redierat enim è caſtris cum Collatino. *Fallit ſua nomina animo*] Nam cum ob ſimulatam fatuitatem Brutus appellatus eſſet, tunc diſſimulatam prius prudentia cœpit profiteri. *Sua nomina fallit*] Oſtendit ſe non eſſe *brutum*, id eſt, ſtolidum. *Paul. Sua nomina fallit*] Cognomen hoc L. Junii Græci interpretantur ἀλόγιστον. *N.*

838. *Tela fixa*] Pro, gladium fixum.

840. *Edidit*] Emiſit. *Impavidos*] Verba ſine metu aut pavore ullo. *Ore minante*] Ore minaci.

841. *Juro tibi*] Subintelligas, ô Lucretia. *Caſtum*] Quia animum inviolatum, & obſtinatam pudicitiam ſervavit.

842. *Et per tuos manes*] Id eſt, per tuas umbras. *Qui erunt mihi numen*] Quos ego pro diis colam.

843. *Qui mihi numen erunt*] Manes ſunt defunctorum genii, quos antiquitas venerata ut Deos. *Neapol.*

844. *Virtus diſſimulata*] Celata eſt. *Mihi*] A me: quia tyranni metu ſtultum ſe ſimulaverat.

845. *Illa jacens*] Dixerat ea verba Brutus: juravit ipſe cultrum tenens, coëgit & alios jurare. At Lucretia (ut Poëta inquit) viſa eſt hæc ſenſiſſe & approbaſſe. *Oculos ſine lumine*] Jam acies oculorum defecerat.

846. *Coma concuſſa*] Commoris crinibus.

847. *Fertur ergo*] Inquit Poëta, pro effertur. *In exequias*] In pompam funeris.

848. *Et trahit ſecum lacrymas*] Quia lacrymantium multitudo ſequebatur.

849. *Vulnus inane*] Erat ante curiam jacens Lucretiæ corpus, ſpectaculum populo crudele, patebat vulnus. Convenerant jam non modo qui in foro erant, ſed in urbe tota. Congregato ergo populo omni, Brutus longam habuit oratio-

nem

Concitat, & regis facta nefanda refert.
Tarquinius cum prole fugit: capit annua conſul
Jura. dies regnis illa ſuprema fuit.
FAllimur? an veris prænuntia venit hirundo,
Et metuit, ne qua verſa recurrat hyems?
Sæpe tamen, Prógne, nimium properaſſe quereris;
Virque tuo Tereus frigore lætus erit.
JAmque duæ reſtant noctes de menſe ſecundo,
Marſque citos junctis curribus urget equos:
Ex vero poſitum permanſit Equiria nomen:
Quæ

tionem, quam omnem Dionyſius refert. *Patet vulnus iuane*] Quia vacuum jam exhauſto ſanguine.

850. *Convocat*] Vocat in concionem. *Regis*] Tarquinii. Poſſes etiam intelligere, regis, hoc eſt, Sexti regis filii.

851. *Tarquinius*] Rex. Fugit cum prole, cum filiis: nam duo patrem ſequuti ſunt, qui exulatum Cere in Hetruſcos ierunt. *Conſul capit jura annua*] Nam creati fuere duo conſules, qui ſummam in rempublicam poteſtatem haberent, L. Junius Brutus, & Tarquinius Collatinus.

852. *Illa dies fuit ſuprema*] Ultima. *Regnis*] Quia ex illo reges defecere. *Neapol. Tarquinius cum prole fugit*] Anno ab urbe condita ccxliv. Regno præfuit annos xxxviii, ſeu verius xxxvii. *Capit annua Conſul*] Abit prima ætas (ſic vocarunt illam ſub regibus) accedit ſecunda. Univerſa poteſtas datur Conſulibus, ſed duobus libertatis vindicibus, L. Junio Bruto, & L. Tarquinio Collatino. Vide Florum. *Neapol.*

853. *Dies regnis illa ſuprema*] Caligula primus ſpeciem principatus convertiſſe videtur in regni formam; ſed regis regnique nomen non uſurpatum, niſi inclinato jam Romano Imperio, à Gothis, Francis & Vandalis. *Idem. Fallimur*] Incipiunt circa Februarii finem redire hirundines: *Tum blandi ſoles, ignotaque prodit hirundo.* Redeunt ergo his diebus, metuunt tamen ne revertatur hyems. *Hirundo prænuncia veris*] Quæ adventu ſuo ver nobis adeſſe prænunciat.

854. *Et metuit*] Ipſa hirundo. *Hyems verſa recurrat*] Quaſi retro revertatur: & hoc ob frigora, quæ etiam durant, & ſolent interdum eo tempore vehementiora eſſe. *Prænuncia venit hirundo*] Videtur rejicere hirundinum adventum in diem xxii, ſive xxi. die iv. poſt Solis ingreſſus in Piſces: in eadem ſententia eſt Eudoxus. *Neapol.*

855. *Sæpe tamen*] Apoſtropha ad hirundinem ipſam, ſeu ad Prognen, quæ in hirundinem converſa eſt, quod ſæpe queſtura ſit reditum acceleraſſe. *Quereris*] Lamentaberis.

856. *Erit lætus tuo frigore*] Lætus tuo malo.

857. *Jamque duæ*] Tertio Kalendas Martias, hoc eſt, 27. die Februarii fiunt Equiria in campo Martio, ad honorem Martis. *De menſe ſecundo*] Hoc eſt, de Februario. *Paul. Jamque duæ, &c.*] Tertio Kalendas Martias Equiria celebrabantur frequenti equorum curſu; quæ à Romulo Marti inſtituta ad inſtar Conſualium. *Neapol.*

858. *Urget*] Premit. *Junctis curribus*] Quia junctis ad currum equis currebatur.

859. *Ex vero*] Ab equorum curſu appellati ſunt ipſi ludi *Equiria. Ex vero*] Quaſi ex re ipſa. *Paul. Junctis curribus urget eques*]: Nam ſingulis miſſibus quatuor aut plures quadrigæ laxato repagulo certatim ſeſe fundebant ad palmam: inde *annuli currus*, Jul. Solino in Polyhiſt. *Neapol. Permanſit Equiria nomen*] Varro lib. V. de L. L. *Equiria ab equorum curſu*

Quæ deus in campo proſpicit ipſe ſuo.
Jure venis, Gradive: locum tua tempora poſcunt;
Signatuſque tuo nomine menſis adeſt.
Venimus in portum, libro cum menſe peracto.
Naviget hinc alia jam mihi linter aqua.

curſu: eo enim die currunt equi in campo Martio. Neapol.

860. *Deus*] Mas. *Suo campo*] Quia in campo Martio.

861. *Jure venis*] Ut faciat tranſitionem ad proximum menſem, qui Marti dicatus eſt, jure hæc velut prænuncia ſui menſis affuturi fieri aſſerit. *Gradive*] Gradivus dictus eſt Mars, quia gradatim itur in aciem: vel *Gradivus* dictus eſt Mars à gradiendo in bella ultro citroq;. *Tua tempora*] Hoc eſt, tuus menſis.

862. *Signatus tuo nomine*] Adeſt Martius menſis, qui tibi dicatus, & à te ita denominatus.

863. *Peracto*] Perfecto, expleto. *Libro*] Secundo. *Cum menſe*] Secundo, hoc eſt, Februario.

864. *Hinc*] Ex hoc loco: hoc eſt, ex hoc menſe. *Linter*] Navis. *Alia aqua*] Alia materia. Abſolvimus Februarium, jam dicamus Martium. Eſt tranſlatio ſumpta à navibus. *Paul.*

P. OVIDII NASONIS
FASTORUM
LIBER III.

BEllice depoſitis clypeo pauliſper & haſta
Mars ades, & nitidas caſſide ſolve comas.
Forſitan ipſe roges, quid ſit cum Marte Poëtæ:
A te, qui canitur, nomina menſis habet.

5 Ipſe

B*Ellice depoſitis*] Ordinem menſium per Romulum, & poſtea per Numam primo libro expoſuimus, multaque in ſecundo. Venimus nunc ad tertium & librum & menſem, quem primum Romulus inſtituit: & tanquam primum anni menſem Marti genitori ſuo dicavit. Hujus die prima ignem novum Veſtæ aris accendebant, & in regia & curiis, & in flaminum domibus laureæ veteres novis mutabantur. Eodem menſe ad Annam Perennam ſacrificatum itur, ut [illegible] perennare, commode liceat. Mercedes exolvebant magiſtris, comitia auſpicabantur, vectigalia locabant, *&c.* *Bellice*] Bellorum deus.

2. *Ades*] Pro adſis, & faveas. *Comas nitidas*] Crines nitentes. *Caſſide*] Galea, quaſi ſolve galeam à capite flavo, & eam depone. *Paul.* *Mars ades*] Invocat in ipſo initio Martem, à quo nomen Menſi inditum, ſed inermem, exemplo Palladis, quæ vacat pacis & belli ſtudiis. *Neapol.*

Ipſe vides manibus peragi fera bella Minervæ,
Num minus ingenuis artibus illa vacat?
Palladis exemplo ponendæ tempora ſume
Cuſpidis. invenies & quod inermis agas.
Tum quoque inermis eras, cum te Romana ſacerdos
Cepit; ut huic urbi ſemina digna dares.
Sylvia Veſtalis (quid enim vetat inde moveri?)
Sacra lavaturas mane petebat aquas.
Ventum erat ad molli declivem tramite ripam:
Ponitur è ſumma fictilis urna coma.
Feſſa reſedit humi, ventoſque accepit aperto
Pectore, turbatas reſtituitque comas.
Dum ſedet; umbroſæ ſalices, volucreſque canoræ
Fecerunt ſomnos, & leve murmur aquæ.
Blanda quies furtim victis obrepſit ocellis,
Et cadit à mento languida facta manus.
Mars videt hanc, viſamque cupit, potiturque cupita:
Et ſua divinâ furta fefellit ope.

Somnus

5. *Ipſe vides*] Arguitur ab exemplo Palladis, quæ & bellis præeſt, & tamen ingeniis favet. *Peragi fera bella*] Cum bellis præſit.

6. *Artibus ingenuis*] Artibus liberalibus.

7. *Ponendæ cuſpidis*] Deponendorum armorum.

8. *Inermis*] Etiam cum arma depoſueris.

9. *Tunc quoque*] Arguerat ab exemplo Palladis, nunc ab exemplo ſuiipſius, quod inermis fuerat, cum matrem conditoris urbis gravem reddidit. *Romana ſacerdos*] Rhea ſacerdos Veſtalis.

10. *Cepit te*] Amore ſcilicet. *Semina*] Principia. *Huic urbi*] Romanæ ſcilicet.

11. *Sylvia Veſtalis*] Narratio. Scripturus menſem, qui à Romulo Marti patri dicatus eſt, ab ipſa Romuli conceptione rem exorditur. *Veſtalis*] Veſtæ ſacerdos. *Moveri inde*] Quaſi ab ipſa incipere.

12. *Lavaturas*] Loturas. P. *Sacra lavaturas, &c.*] E more quotidiano Veſtalium. Vide Plutarch. Sylviam credibile è flumine Tyberino tunc undam hauſiſſe. *Neapol.*

13. *Ad mollem ripam*] Herboſam. Vel *mollem*, ſuavem: quia ſuaves in ea carpſit ſomnos. *Declivi tramite*] Via declivi, qua ex ripa ad aquas deſcendebat.

14. *Urna*] Vas ad hauriendam aquam. *E ſumma coma*] E capitis ſummitate. *Paul. Ponitur è ſumma*] Mos geſtandi quodcunque pondus, non magis veteri Latio receptus, quam aliis gentibus. Noſter de Argivis, in Amatoriis: *Cum premeret ſummi verticis urna comas.* Neap.

16. *Et reſtituit*] Quaſi recompoſuit. *Comas turbatas*] Ab urna.

17. *Dum ſedet*] *Omnia ſunt dulces hæc invitantia ſomnos, aura, umbra & cantus, leneque murmur aqua. Dum ſedet*] Ilia. *Umbroſa ſalices*] Quæ erant circa ripam fluminis.

18. *Murmur aquæ*] Strepitus fluentis aquæ.

19. *Surrepſit victis ocellis*] Quaſi repſit in ocellos victos ipſo ſomno. *Cadit à mento*] Ut honeſtius rem explicaret, manum cecidiſſe à mento inquit.

21. *Et potitur cupita*] Ilia quam cupivit.

22. *Fefellit ſua furta*] Hoc eſt, ipſam ſtupratam virginem. *Ope divina*] Divi-

na

Somnus abit; jacet illa gravis, jam ſcilicet intra
Viſcera Romanæ conditor urbis eras.
Languida conſurgit: nec ſcit cur languida ſurgat,
Et peragit tales arbore nixa ſonos:
Utile ſit fauſtumque, precor, quod imagine ſomni
Vidimus: an ſomno clarius illud erat?
Ignibus iliacis aderam, collapſa capillis
Decidit ante ſacros lanea vitta focos.
Inde duæ pariter (viſu mirabile) palmæ
Surgunt. ex illis altera major erat:
Et gravibus ramis totum protexerat orbem,
Contigeratque nova ſidera ſumma coma.
Ecce meus ferrum patruus molitur in illas.
Terreor admonitu: corque timore micat.
Martia Picus avis gemino pro ſtipite pugnant

Et

na potentia decepta eſt illa: nam nihil ſentiens gravida eſt effecta. P. *Fefellit ope*] Ἐπιρρητικῶς, pro abdidit, occultavit. *Neap.*

23. *Somnus abit, &c.*] Expergefacta à ſomno gravior videbatur: conceperat jam Romulum, futurum urbis urbium reginæ conditorem.

25. *Languida conſurgit, &c.*] Surrexit tandem Ilia, ſed languida, quia jam erat gravida. *Languida*] Torpens & pigra. *Cur ſurgat languida*] Torpens: neſcit ſe eſſe gravidam.

26. *Innixa arbore*] Vix poterat ſe tenere pedibus, ergo arbori innixa eſt.

27. *Utile ſit, &c.*] Fauſtum optat, quod per quietem vidit, & viſui & fœlicitati ſuccedere. *Imagine ſomni*] Per quietem.

28. *An erat illud clarius*] Lucidius, apertius ſomno: eſſetne illud verum, quod viſa ſum videre?

29. *Ignibus Iliacis*] Igni veſtali, exilio advecto.

30. *Decidit ante*] Ante ſacrum focum ignis Veſtalis. Quid aliud portendit lapſa vitta, quæ pudoris inſigne eſt quam virginitatem ipſius. Iliæ jam etiam collapſam? *Paul. Ante ſacros lanea, &c.*] Ex ſeipſa, à Pontifice convictæ jam adimenda. Dionyſius de Oppia ſeu Opimia ad ſupplicium damnata: Αὐτὴν μὲν τῆς κορυφῆς ἀφιλόμενοι τὰ στέμματα, καὶ πομπεύσαντες δι' ἀγορᾶς, ἐντὸς τείχους ζῶσαν κατώρυξαν. Inſigne erat, quod ut veſtalibus proprium, ita aliis cuivis numini conſecratis. *Neap.*

31. *Inde*] Ab ipſa vitta ergo, ab ipſa virginitate rapta. *Surgunt pariter*] Hoc portendebat naſcituros gemellos. *Palma* autem arbor victoriæ dedicata; ita & qui ab his palmis naſcerentur, victores erant orbis futuri.

32. *Altera*] Palma ſcilicet. *Erat major*] Hæc portendebat Romulum.

33. *Et gravibus ramis, &c.*] Palmæ illæ ramis totum orbem obumbraverant, comis ſidera attingentes. Hoc nihil aliud ſignificare vult, niſi progeniem Romanam toti terrarum orbi dominaturam, terminaturamque cœlo famam. *Ramis gravibus*] Progenie fœcunda.

34. *Sua coma*] Sua ſummitate.

35. *Ecce meus, &c.*] Per hoc portenditur expoſitio Romuli & Remi, quos dejici in profluentem juſſit Amulius. *Patruus meus*] Amulius. *Molitur ferrum*] Parat arma. *In illas*] Palmas ſcilicet: quia parat eas incidere.

37. *Martia Picus, &c.*] Portendebat hoc, educandos eſſe eos à lupa & Pico. Unde Plutarchus in vita Romuli: Ait lupam quandam, ac volucrem picum, adeo ſumma cum benevolentia infantibus aſtitiſſe, ut & hæc ubera benigne, & ille alimenta plurima con-

Et lupa. tuta per hos utraque palma fuit.
Dixerat: & plenam non firmis viribus urnam
Suſtulit. implerat, dum ſua viſa refert.
Interea creſcente Remo, creſcente Quirino,
Cœleſti tumidus pondere venter erat.
Quo minus emeritis exiret curſibus annus,
Reſtabant nitido jam duo ſigna Deo.
Sylvia fit mater: Veſtæ ſimulacra ferunrur,
Virgineas oculis oppoſuiſſe manus.
Ara deæ certe tremuit, pariente miniſtra,
Et ſubiit cineres territa flamma ſuos.
Hoc ubi cognovit contemptor Amulius æqui:
(Nam raptas fratri victor habebat opes)
Amne jubet mergi geminos. ſcelus unda refugit.
In ſicca pueri diſtituuntur humo.
Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino,
Et picum expoſitis ſæpe tuliſſe cibos?
Non ego te, tantæ nutrix Laurentia gentis,

Nec

tulerit. *Avis Martia*] Quia Marti dedicata. *Pro gemino ſtipite*] Pro utroque trunco palmæ.

38. *Utraque palma*] Quia uterque filius. *Fuit tuta per hos*] Picum & lupam.

39. *Dixerat & plenam, &c.*] Finem fecerat relationi eorum quæ per quietem viderat. *Non firmis viribus*] Quia jam erat debilior.

40. *Dum refert ſua viſa*] Dum ſecum viſionem ſomni referebat.

42. *Cœleſti pondere*] Pondere cœleſtis ſeminis: Marte gravida effecta eſt.

43. *Quo minus, &c.*] Erat jam decimus menſis, perfectumque tempus humani partus. *Emeritis curſibus*] Spatiis exactis, per tranſlationem: quia dicimus *emeritos*, qui debita militiæ tempora complerunt.

44. *Reſtabant jam duo ſigna Deo nitido*] Soli, qui nitidis orbem radiis illuſtrat. *Duo ſigna*] Duo menſes. P.

45. *Veſta ſimulacra, &c.*] Ficta hæc. Nec ſimulacrum ullum fuit unquam in æde Veſtæ.

46. *Oculis oppoſuiſſe manus*] Simile evenit ſceleſtæ illi Tulliæ, viſo parentis ſigno in fano Fortunæ. *Neapol. Oppoſuiſſe oculis virgineas*] Ne ſcelus inſpicerent, miniſtram ſcilicet ſtupratam parere.

47. *Tremuit certe ara Dea*] Veſtæ. *Miniſtra*] Ilia, quæ credita virgo erat. P. *Ara Dea certe tremuit*] Hanc in denariis videre licet cum carbonibus in medio accenſis, & his literis in ora, VESTA. SC.

48. *Et ſubiit cineres*] Fere extincta: quod ſuper omnia gravia & timenda Romani habebant. *Neapol. Et flamma territa*] Ipſa Veſtalis flamma, velut refugiens ſcelus. *Subiit cineres ſuos*] Latuit ſub cineribus, ne videretur jam à corrupta virgine.

49. *Hac ubi cognovit, &c.*] Quæ ad rem hanc facerent, diximus ſuperiore libro. *Contemptor æqui*] Æquitatis & juſtitiæ. *Cognovit hoc*] Iliam ſcilicet peperiſſe Numitori.

51. *Geminos*] Romulum & Remum. *Unda refugit ſcelus*] Nam ceſſavit inundatio, & ſic illi in ſicco remanſere.

52. *Pueri*] Romulus & Remus.

53. *Lacte ferino*] Lacte lupino.

54. *Sæpe tuliſſe cibos expoſitis*] Extra amnem jacentibus. P. *Expoſitis*] Τοῖς χαμαιῤῥιφέσι. Neap.

55. *Non ego te, &c.*] Sermonem ad ipſam

Nec taceam veſtras, Fauſtule pauper, opes.
Veſter honos veniet, cum Laurentalia dicam:
Acceptus geniis illa December habet.
Martia ter ſenos proles adoleverat annos:
Et ſuberat flavæ jam nova barba comæ,
Omnibus agricolis, armentorumque magiſtris
Iliadæ fratres jura petita dabant.
Sæpe domum veniunt prædonum ſanguine læti,
Et redigunt actos in ſua rura boves.
Ut genus audierunt; animos pater agnitus auget,
Et pudet in paucis nomen habere caſis,
Romuleoque cadit trajectus Amulius enſe,
Regnaque longævo reſtituuntur avo.
Mœnia conduntur: quæ, quamvis parva ~~fuerunt~~;
Non tamen expediit tranſiluiſſe Remo.

Jam

ipſam Laurentiam convertit. *Nutrix tanta gentis*] Tantorum virorum, quanti fuere Romulus & Remus.

55. *Veſtras opes*] Quibus ſcilicet Romulum educaviſtis ſub veſtro tugurio.

57. *Veniet veſter honor*] O Fauſtule & Laurentia. *Cum dicam*] Cum ſcribam Laurentalia: nam feſta illa in Decembri appellata fuere *Laurentalia*. Aliqui tamen dicunt *Laurentinalia*.

58. *December*] Dicimus ergo Decembrem acceptum geniis, ob Saturnalia, quæ eo menſe fiebant, quo convivia voluptuoſa celebrabantur. *P. Cum Laurentalia dicam*] In meo: *Larentalia*. Firmat Feſtus editionem in his: *Larentalia, conjugis Fauſti, nutricis Remi & Romuli; Larentiæ feſta*. Sunt in veteri Kalendario menſe Decembri X. Kal. quod & è Macrobio obſerva. *Primo Satur. X. Kal. feriæ ſunt Jovis, quæ appellantur Larentalia*. Sacra faciebat flamen Martialis teſte Plutarcho in Romulo. *Acceptus geniis*] Ob Saturnalia. Iberus epigrammatarius ad Fuſcum: *Otia dum medius prabet tibi grata December*. Ad geniales hos dies alludit, cum fora clauſa, & otium cauſidicis, ſtudiis etiam intermiſſio. *Neapol.*

59. *Martia proles*] Martis filii. *Adoleverat ter ſenos annos*] Creverant in octavum & decimum annum. *Adoleſcere* enim creſcere eſt: inde *adoleſcens* dicitur.

60. *Nova barba*] Nova lanugo. *Paul. Jam nova, &c.*] Antiquo verbo utar, *pilabant*. Feſti Abbreviator: *Pilat, pilos habere incipit*. Novam barbam exponunt Gloſſæ, πρωθήβην, quæ Lucilio dicta, barbula prima. *Neapol.*

62. *Fratres Iliadæ*] Romulus Remuſque Iliæ filii. *Miniſtris armentorum*] Hoc eſt, paſtoribus.

63. *Læti ſanguine prædonum*] Quos ipſi vulneraverant.

64. *Et redigunt*] Reducunt. *Boves actos*] Pro abactos à prædonibus. *In ſua jura*] In ſuam poteſtatem, qui modo fuerant in poteſtate prædonum.

65. *Audierunt genus*] Unde originem haberent. *Pater editus*] Manifeſtatus à Fauſtulo ipſo, qui Romulo rem aperuit. *Auget animos*] Etſi magnanimi erant, tunc longe majoris facti ſunt animi.

66. *Habere nomen*] Hoc eſt, famam & laudem.

67. *Trajectus*] Tranſfixus.

68. *Avo longævo*] Numitori jam ſeniori. *Paul. Reſtituuntur avo*] Cæſo Amulio Numitori regnum Albanum. *Neapol.*

69. *Mœnia ergo*] Romana ſcilicet. *Quæ, quamvis fuerunt parva*] Tunc cum primum nova erant.

70. *Non tamen expediit*] Utile fuit Remo. *Tranſiluiſſe*] Tranſſaltaſſe: quia ob id extinctus eſt. *Paul.*

71. *Pecorum-*

Jam, modo qua fuerant ſylvæ, pecorumque receſſus,
Urbs erat. æternæ cum pater urbis ait:
Arbiter armorum, de cujus ſanguine natus
Credor (& ut credar pignora multa dabo)
A te principium Romano ducimus anno:
Primus de patrio nomine menſis eat.
Vox rata fit: patrioque vocat de nomine menſem.
Dicitur hæc pietas grata fuiſſe Deo.
Et tamen ante omnes Martem coluêre priores.
Hoc dederat ſtudiis bellica turba ſuis.
Pallada Cecropidæ, Minoïa Creta Dianam,
Vulcanum tellus Hypſipylea colit:
Junonem Sparte, Pelopeïadeſque Mycenæ:
Pinigerum Fauni Mænalis ora caput.
Mars Latio venerandus erat; quia præſidet armis:
Arma feræ genti remque decuſque dabant.
Quod ſi forte vacat, peregrinos inſpice faſtos:
Menſis

71. *Pecorumque receſſus*] Qui in palatio: ea propter ejuſdem pars dicta *pecuſcum*, auctore Feſto: cujus & meminit Varro lib. IV. de L. L. *Neapol.*

72. *Cum pater urbis*] Hoc eſt, Romulus. *Ait*] Dixit verba quæ ſequuntur.

73. *Arbiter*] Mars armis præſidens.

76. *De patrio nomine*] Quia à Marte *Martius* dicitur, in dei patris reverentiam.

77. *Vox*] Ipſius Romuli. *Fit rata*] Firma: quia ſervavit quod dixit. *De nomine patrio*] Hoc eſt, Martium, à Marte. *Hæc pietas*, hoc filii officium erga patrem.

78. *Grata deo*] Ipſi Marti: quia placuit eo affici honore, & habere primum menſem ſibi conſecratum.

79. *Et tamen, &c.*] Etſi à Romulo principium anni à Marte ſumptum eſt, Martem tamen longe ante Romulum Italos coluiſſe conſtat, quia ipſa natura bellica gens. *Priores*] Latini ſcilicet.

80. *Bellica turba*] Qualis eſt Latina. *Dederat hoc ſuis ſtudiis*] Suæ militari diſciplinæ, ſuæ armorum peritiæ.

81. *Pallada Cecropidæ, &c.*] Quæque externa regio ſuum habet numen. Latini tamen Martem præ cæteris colunt. Coluna Pallada Athenæ, Creta Dianam, Lemnos Vulcanum. *Cecropidæ*] Athenienſes à Cecrope rege, qui in Attica regnavit. *Pallada*] Minervam. *Creta Minoïa*] A Minoë primo Jovis & Europæ filio. *Colit Dianam*] Cujus templum eſt in Dictæo monte Cretæ: unde & *Dictinna* appellata eſt.

82. *Tellus Hypſipylea*] Hoc eſt, Lemnos inſula, ab Hypſipyle Thoantis filia, quæ in ea regnavit. *Paul.*

83. *Junonem Sparte, &c.*] Spartani & Mycenæi ante alios deos Junonem colebant, & Arcadia Faunum. Sparta eadem quæ & Lacedæmon in Laconia. *Et Mycenæ Pelopeiades*] A Pelope: tum quod fuit in Peloponneſo, tum quod ea regia Pelopidarum.

84. *Ora Manalis*] Arcadia, à Mænalo monte. *Colit caput pinigerum Fauni*] Faunum ipſum pinu coronatum.

85. *Mars erat*] Summa cum veneratione colendus. *Latio*] A Romanis.

87. *Faſtos*] Faſtorum libros. *Peregrinos*] Non intelligas Græcos aut Barbaros, ſed aliarum urbium in Italia. *P. Peregrinos inſpice Faſtos*] In his invenies etiam menſem hujus nominis. Vide Cenſorin. de die nat. *Varro*, inquit, *Romanos à Latinis nomina menſium accepiſſe arbitratur, &c.* Neapol.

88. *Nomine*

Menſis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliſcis:
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.
Inter Aricinos, Albanaque tempora conſtant,
Factaque Telegoni mœnia celſa manu.
Quintum Laurentes, bis quinum Æquilocus aſper;
A tribus hunc primum turba Curenſis habet.
Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit. hic genti quartus utrique Deus,
Romulus hos omnes ut vinceret ordine ſaltem,
Sanguinis autori tempora prima dedit.
Nec totidem veteres, quot nunc, habuêre Kalendas.
Ille minor geminis menſibus annus erat.

Nondum

88. *Nomine Martis*] Erit inſcriptus Martius menſis. Albani cum annum decem menſium haberent, habent & ipſi menſem Marti dicatum, eumque tertio loco numerabant: Phaliſci autem quinto, Hernici ſexto, Aricini vero & Tuſculani eodem loco habebant, quo Albani.

90. *O Hernica terra, tuos, &c.*] Fuit ſextus apud populos tuos. Hernici populi ſexto loco Martium numerabant. Via Latina ſunt Hernici, in quibus eſt Anagnia urbs olim inſignis, ut Strabo ait.

91. *Et conſtat*] Convenit idem ordo menſis inter Albanos, Aricinos, & Tuſculanos. *Paul. Albanaque tempora*] Hoc eſt, Albanos menſes. Ride hic nugas Pauli Marſi.

92. *Factaque Telegoni*] Vide Neapolim tuum ſub initium lib. IV. *Telegoni mœnia*] Telegonus Ulyſſis ex Circe filius, à quo Tuſculum conditum aiunt Laurentes quinto loco, & Equiculi decimo loco Martium numerabant, Forenſes vero quarto.

93. *Laurentes*] A Laurento oppido, ubi regia Latini fuit. *Bis quintum*] Nam decimo loco Martium menſem habebant. Equi & Equiculi ſunt inter Marſos & Sabinos, utriſque finitimi. Et Alba erat Æquorum caput.

94. *Habet hunc*] Menſem Martium. *Primum à tribus*] Primo loco poſt tres menſes, & ſic erat quartus in ordine *Feri* prope Reatę in Sabinis. Inde Forenſes poſtea dicti fuere Foruli, putant aliqui legend. *Turba Ferenſis*] Hoc eſt, Ferentini, à Ferentino oppido, quod Strabo via Latina ponit, & eſt in ipſis Hernicis. *Paul. Turba forenſis habet*] Pro Forenſis turba vult intelligi Scaliger, Forulorum gentes: qui Foruli, Sabinorum oppidum. Strabo lib. V: Σαβίνων δ' ἐστὶ, καὶ οἱ Φόρυλοι πέτραι, πρὸς ἀπόσασιν μᾶλλον ἢ κατοικίαν εὐφυεῖς. Doctiſſ. vero Geographus, *Forum populi*, oppidum ſitum in Albano monte, cujus accolas vocat Plin. lib. III. cap. V. *Foro-populienſes*.

95. *Cum proavis Sabinis*] Peligni, ut vides, genus Italicum: ſed Illyricum Feſto Pompeio: tua tamen fides certa mihi, Naſo, in rebus incertis. *Neapol. O miles Peligne convenit tibi*] Hic menſis ſcilicet. *Cum proavis Sabinis*] Quia eodem loco numeras tu Martium, quo Sabini.

96. *Quartus Deus*] Martius quartus anni menſis. *Fuit huic utrique genti*] Sabinis & Pelignis.

97. *Ut vinceret hos omnes*] Populos. *Saltem ordine*] Quia cum alii alio loco haberent Martium, Romulus primo conſtituit.

98. *Dedit prima tempora*] Primum menſem. *Autori ſanguinis*] Marti.

99. *Nec totidem Kalendas*] Tot menſes. Principia menſium pro ipſis menſibus poſuit. *Paul. Nec totidem veteres*] Incipit oſtendere inſcitiam veterum Latinorum in rebus Aſtronomicis.

101. *Victori-*

Nondum tradiderat victas victoribus artes
Græcia, facundum ſed male forte genus.
Qui bene pugnarat, Romanam noverat artem:
Mittere qui poterat pila; diſertus erat.
Quis tunc aut Hyadas, aut Pleïadas Atlanteas
Senſerat? aut geminos eſſe ſub axe Polos?
Eſſe duas Arctos? quarum Cynoſura petatur
Sidoniis: Helicen Graja carina notet?
Signaque quæ longo frater percenſeat anno,
Ire per hæc uno menſe ſororis equos?
Libera currebant, & inobſervata per annum
Sidera, conſtabat ſed tamen eſſe deos.

Non

101. *Victoribus artes Græcia*] Intromiſſæ igitur poſt bella Punica; & Romanum illud robur ac ſeveritas paululum mutata, vide Manut. lib. 1. in Quæſitis, cui adde Strabonis locum lib. IX. ubi contrarium docet, & cunctas ſcriptor ille Imperii auctas opes his diſciplinis refert acceptas. *Neap. Nondum Græcia*] Quæ fuit doctrinarum parens. *Tradiderat artes victa victoribus*] Quia nondum victa fuerat à Romanis, qui eam poſtea & totum orbem vicere.

102. *Facundum genus ſed male forte*] Quaſi Græcia, quæ eloquentiæ, & aliarum artium laude præſtaret, non autem animi fortitudine.

103. *Qui bene pugnabat*] Qui ſtrenuus erat in bello. *Noverat artem Romanam*] Cum Romanis eſſent vires, & animi robur, & ſcientia rei militaris. *Paul. Romanam noverat artem*] Non Græcanicam: nam illi evirati omnes & deliciis dediti: quorum exemplo à veteris militiæ inſtitutione Romani aliquando degenerarunt; ſed non perſtitere. *Neapol.*

104. *Qui poterat mittere pila*] Qui erat excellens teli Romani jaculator. *Erat diſertus*] Erat facundus.

105. *Quis tunc, &c.*] Nondum Romæ habebatur ulla aſtrologicæ diſciplinæ ratio, ſic nec aſtrorum curſus obſervatus: quia nondum penetraverant in Græciam Latini, nec in Phœniciam aut in Ægyptum. *Hyadas*] Suculas. *Aut Pleiadas Atlanteas*] Atlantis ex Pleione filias. Viderur hoc dicere, Quis obſervaverat ſidera aut verna aut hyemalia? Hyades enim ortu hyemem referunt, *Pleiades* vero oriuntur in vere, inde *Vergiliæ* dictæ. *Hyades* quinque ſtellæ ſunt in fronte Tauri.

106. *Duos polos ſub axe*] Polum arcticum & antarcticum axem ſuſtinentes. Et *axis* pro ipſo polo ponitur interdum. Poli duo ſunt, borealis & auſtralis. Borealis altiſſimus eſt his qui ſunt in noſtro hemiſphærio; auſtralis imus & depreſſus, & qui à nobis videri non poſſit. *Paul. Sub axe polos?*] Ἀρκτικὸν & Ἀνταρκτικόν. Neapol.

107. *Eſſe duas arctos*] Urſam majorem & minorem.

108. *Sidoniis*] Hoc eſt, à Phœnicibus, à Sidone urbe. *Petatur Cynoſura*] Hoc eſt, minor urſa, ad cujus obſervationem Phœnices navigant. *Graia carina*] Hoc eſt, Græcus nauta. *Notat Helicen*] Hoc eſt, majorem urſam, ad cujus obſervationem Græci navigant.

109. *Et quis ſenſerat ſigna*] Duodecim illa ſigna, quæ ſunt in Zodiaco. *Qua percenſeat*] Enumeret. *Frater*] Sol. *Longo anno*] Anno ſolari, qui conſtat ex duodecim menſibus, quibus duodecim illa ſigna ſol permeat; nam in unoquoque ſigno menſem unum abſumit.

110. *Equos ſororis*] Lunæ. *Ire per hæc*] Omnia duodecim ſigna. *Uno menſe*] Nam ſpatium ſignorum per zodiacum luna ſingulis menſibus conficit.

111. *Non obſervata*] Et ob id libera, quia non obſervata pro anni ratione.

113. *Non*

Non illi cœlo labentia ſigna movebant;
Sed ſua: quæ magnum perdere crimen erat.
Illaque de fœno; ſed erat reverentia fœno,
Quantam nunc aquilas cernis habere tuas.
Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos,
Unde maniplaris nomina miles habet.
Ergo animi indociles, & adhuc ratione carentes,
Menſibus egerunt luſtra minora decem.
Annus erat, decimum cum luna repleverat orbem,
Hic noſtris magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti, per quos numerare ſolemus,
Seu quia bis quino fœmina menſe parit,
Seu quod aduſque decem numero creſcente venitur;

Prin-

113. *Non tenebant*] Non intelligebant. *Signa labentia cœlo*] Rationem occaſus ſiderum, ſic nec ortus.

114. *Sed ſua*] Tenebant ſua ſigna, quibus in bellum prodibant. *Quæ ſigna perdere*] Nam pro magno ſcelere habebatur, deſerere ſigna Romana, aut hoſti concedere. *Paul. Perdere crimen erat*] Ob hoc legi, coërcitos milites pane hordaceo, decimatione, diſcinctione, exercitu ſpectante. Legi, amictos veſte muliebri, pœna morte gravi ori rata.

115. *Illa quidem fœno*] Donatus in Terent. Eunuch. Sibi ſertum vel coronam ex manipulo herbæ vel hujuſmodi conficiebant, quod pro ſigno ſequebantur. *Sed erat reverentia fœno*] Quanta, inquit, tuis aquilis. *Neap. Illa quidem fœno, &c.*] Prima Romanorum ſigna fuere fœni manipuli, unde *manipulares milites* dicti. Verum poſtea ſigna Romanorum fuere aquilæ, lupi, leones, &c. *Fœno*] Ex fœno erant. *Sed erat reverentia fœno*] Nam omnes fœnum, quod pro vexillo ferebant, reverebantur non ſecus ac poſteri aquilas.

116. *Habere aquilas tuas*] Aquila enim erat, quæ legionem præcedebat, & unaquæque legio ferebat aquilam.

117. *Pertica longa*] Haſta rudis pertica, velut ex nemore erat avulſa. *Portabat manipulos*] Suſpenſos, manipulum fœni.

118. *Maniplaris*] Pro manipularis. *Habet nomina*] Quia inde *manipularii* dicti ſunt. *Paul. Unde maniplaris*] A manipulo dictus miles manipularis. Vetus nomen & ante urbem conditam. Vegetius vocat *manipulum*, contubernium, unde & iidem *contubernales*. *N.*

119. *Et adhuc carentes ratione*] Pro rationibus, id eſt, rerum cauſis, quas ignorabant.

120. *Egerunt*] Conſtituerunt. *Minora decem menſium*] Nam ut minores anni, ita minora luſtra. *Paul. Luſtra minora*] Nam ex quinis annis decimeſtribus, luſtrum menſibus L. conſtabat.

121. *Cum Luna receperat orbem*] Videris hoc ſupra negaſſe: ſcribis veteres illos omnis Aſtronomiæ alienos; nunc facis menſes Romuli lunares. Quorſum hæc ὁλοχλία. Neapol. *Annus erat*] Decimo quoque lunæ peracto curſu, civilem tunc annum computabant, ex eo quod denarius numerus perfectior ſit, & in honore erat: vel quia 10 digitos continebant hominum manus; vel quod decimo menſe parit fœmina: vel quia cum numeramus, ad decimum uſque aſcendimus. *Orbem decimum*] Cum decies in rotunditatem ſe repleſſet.

122. *In magno honore*] Et quia perfectior numerus.

123. *Per quos ſolemus numerare*] Plerumque enim digitis numeros computamus. *Seu quod*] Venimus uſque ad decimum, numero creſcente; cum numeramus, aſcendimus uſque ad decem, poſtea reſumitur primus numerus decimo additus, ut decem, poſtea undecim, vi-

Principium ſpatiis ſumitur inde novis.
Inde pares centum denos ſecrevit in orbes
Romulus: haſtatos inſtituitque decem.
Et totidem princeps totidem pilanus habebat
Corpora: legitimo quique merebat equo.
Quinetiam partes totidem Titienſibus ille,
Quoſque vocant Ramnes, Luceribuſque dedit.
Aſſuetos igitur numeros ſervavit in anno.
Hoc luget ſpatio fœmina mœſta virum.
Neu dubites, primæ fuerint quin ante Kalendæ
Martis; ad hæc animum ſigna referre potes.
Laurea flaminibus, quæ toto perſtitit anno;
Tollitur:

ginti, poſtea viginti unum: ſic de reliquis. *Paul.*

126. *Spatiis novis*] Hoc eſt, ad unum iterum reditur.

127. *Inde pares centum*] Centuriam ætate & robore æqualem diviſit in decurias. *Neapol.* *Novis ſpatiis*] Per quæ numeramus. *Inde pares*] Non modo in anni computatione ſervatus eſt denarius numerus, ſed etiam in militia, cum centurias, haſtatos principes, pilanos equites, & omnes ordines denario numero diviſit. *Inde*] Ex ea ratione denarii numeri. *Secrevit*] Diviſit. *Centum*] Centurias ipſas: quæ ſub uno centurione ſunt. *In denos orbes pares*] In decem æquas circumnumerationes. *Paul.*

128. *Haſtatos inſtituitque decem*] Hi in acie prima pugna capeſſebant, deinde principes, poſtea triarii; ſed hoc ſtante Repub. nam ſub Cæſaribus principes haſtatis & triariis antepoſiti. Vide Ald. Manut. in Quæſitis lib. 1. Epiſt. III.

129. *Et totidem princeps*] Hinc primus, ſecundus, tertius princeps, uſque ad decimum. Qui caput erat iſtius ordinis. Peculiare etiam illis nomen, *principales, & principia legionum. Totidem pilanus habebat*] Pilani iidem cum triariis, ut ex M. Varrone colligimus; & cum vexillariis, ut ex Livio, Tacito, &c. *N. Et totidem corpora habebat princeps*] Hoc eſt, principium numerus continebat decem milites; nam & denario numero diviſi principes. *Totidem corpora habebat pilanus*] Nam & pilanorum numerus, in denos quoque dividebatur. *Pilani*] Qui pilis pugnabant.

130. *Equo legitimo*] Lege ſibi conceſſo. De equitum turma intelligit in denas quoque partes diviſa. *P. Legitimo quiſque merebat*] Legitimum interpreteris publicum & legibus datum. Equo publico merere, dixere Græci, Δημοσία ἱππεύειν. *Merebat equo*] Non ſolum ergo peditum genera in decem quæque partes diſtributa, ſed & equos. Vide Varron. lib. IV. de L. L. *Neapol.*

131. *Quinetiam ille*] Romulus. *Dedit totidem partes Titienſibus, &c.*] Etiam denario numero diviſit tribus, Titienſem, Ramnenſem & Lucerem; nam unaquæque tribus in decurias decem diviſa eſt. Titienſes à Tatio, Ramnenſes à Romulo: Luceres, ut ait Junius, à Lucumone. Sed omnia hæc vocabula Thuſca.

133. *Numeros aſſuetos*] Et in populo & in militia ſervavit etiam. *In anno*] In anni ratione.

134. *Hoc ſpatio*] Decem menſium.

135. *Neu dubites*] Ut conſtet Kalend. Martias fuiſſe anni principium, ea ſigna refert, quæ & in principio hujus libri retulit, & in regia, & in curiis, & in flaminum domibus, & in templo Veſtæ laureas veteres novis mutari, & novus ignis à Veſtalibus accendebatur. *P. Neu dubites*] Conjecturis aliquot colligit, Kalendas Martias ſub Romulo principium anni fuiſſe.

137. *Quæ toto perſtitit*] Enorditur à prima; cujus & meminit Solinus Polyhiſt. cap. 3. *Romani*, inquit, *initio annum decem menſibus computabant, à Martio*

Tollitur: & frondes ſunt in honore novæ.
Janua tunc regis poſita viret arbore Phœbi:
Ante tuas fit idem curia priſca fores.
Veſta quoque ut folio niteat velata recenti;
Cedit ab Iliacis laurea cana focis.
Adde quod arcana fieri novus ignis in æde
Dicitur, & vires flamma refecta capit.
Nec mihi parva fides annos hinc iſſe priores,
Anna quod hoc cœpta eſt menſe Perenna coli.
Hinc etiam veteres initi memorantur honores
Ad ſpatium belli, perfide Pœne, tui.
Denique quintus ab hoc fuerat Quintilis: & inde
In-

tio auſpicantes, &c. Neap. *Laurea flaminibus*] Quæ pependit in flaminum domibus.

138. *Tollitur*] Removetur. *Novæ frondes ſunt in honore*] Nam rejecta veteri laurea, nova apponitur.

139. *Poſita arbore Phœbi*] Appoſita Lauro, quæ ſub Phœbi tutela eſt propter Daphnem virginem quam amavit in eam arborem demutatam. P. *Poſita viret, &c.*] Macrob. 1. Saturnal. *Eodem quoque ingrediente menſe, tam in regia curiiſque atque Flaminum domibus laureæ veteres novis laureis mutabantur.*

140. *Curia priſca fores*] Ἐπιχώριος, loco παθητικῶς. Curiæ priſcæ, erant, Forenſis, Velienſis, Rapta, Velitia, & reliquæ xxvi. In harum unaquaque & cœnaculum erat, & focus ad rem ſacram, ex Romuli inſtituto. Auctor Dionyſ. lib. 11. Novæ totidem xxx. quæ poſtea exſtructæ, in quas evocata ſacra ab antiquis: ſed illarum quatuor, quas ſupra retuli, & de quibus nunc Naſo noſter, exaugurari per religionem licitum haud fuit. Vide & Feſtum. *Neap.*

141. *Veſta*] Veſtalis ara. *Velata*] Tecta.

142. *Laurea cana*] Laurea vetus, nam *canos* ſenes dicimus. *Cedit ab Iliacis focis*] Removetur à templo Veſtæ, cujus ſacra ex Ilio advecta.

143. *Arcana*] Dixit, quia non licebat ingredi maribus. P. *Fieri novus ignis in æde*] Habes id ex Solino; cui addo Macrob. in hæc verba: *Hujus etiam prima die ignem novum Veſta aris accendebant, ut incipiente anno, cura denique ſervandi novati ignis inciperet*: ſubdit deinde: *Hoc menſe mercedes exſolvebant magiſtris; comitia auſpicabantur, vectigalia locabant.* Neap.

144. *Flamma refecta*] Nova, quæ tum ſuccenſa.

145. *Nec mihi parva fides*] Quaſi credendum eſt. *Hinc*] A Martio. *Annos priores*] Incepiſſe veteres annos. *Hinc*] Ex hoc menſe.

146. *Cœpta coli Anna Perenna*] Quod menſe Martio cœpere fieri ſacrificia Annæ Perennæ, cum eſſet tunc anni principium, quo (ut Macrobius inquit) annare & perennare commode liceret.

147. *Honores veteres*] Magiſtratus priſci; quaſi referuntur comitia auſpicata, & initi magiſtratus. *Paul. Menſe Perenna coli*] Non leve ſane argumentum: aptius enim erat anni principium ad perannare illud ſolitum precandum (quod à Romanis fieri mos erat Martiis Idibus, ut dicemus) quam quodvis aliud tempus.

148. *Initi memorantur, &c.*] Uſque ad finem, inquit, belli Punici, imo uſque ad annum DC. urbis conditæ. Q. Fulvio & T. Annio Coſſ. hi primi Kalendis Januariis ſuum magiſtratum inierunt: qui dies deinceps, ſtante imperio Romano, ſolemnis incundis Conſularibus eſt habitus. *Neap.* *O Pœne perfide*] O Afri, ſeu Carthaginenſes fœdifragi. *Belli tui*] Uſque ad Bella Punica.

149. *Denique quintus*] Julius, qui prius *Quintilis* dicebatur, quintus à Martio.

Incipit, à numero nomina quiſquis habet.
Primus oliviferis Romam deductus ab arvis
Pompilius menſes ſenſit abeſſe duos.
Sive hoc à Samio doctus, qui poſſe renaſci
Nos putat; Egeria ſive monente ſua.
Sed tamen errabant etiam nunc tempora; donec
Cæſaris ut multis hæc quoque cura fuit.
Non hæc ille deus tantæque propaginis autor
Credidit officiis eſſe minora ſuis:
Promiſſumque ſibi voluit prænoſcere cœlum:
Nec deus ignotas hoſpes inire domos.
Ille moras ſolis, quibus in ſua regna rediret,
Traditur exactis diſpoſuiſſe notis.

Is

150 *Habet nomina à numero*] Nam *Sextilis* à ſex, *September* à ſeptem, *October* ab octo, &c.

151. *Primus Pompilius*] Numa Pompilius. *Deductus Romam ab arvis oliviferis*] Accitus in regem ex Sabinis arvis olea abundantibus. *Paul. A numero nomina, &c.*] Vide Solin. loco citato ver. 143. *Neapel.*

152. *Senſit Numa eſſe duos menſes*] Anno ſcilicet à Romulo conſtituto, ſenſit deeſſe menſem, qui Jano deo principiorum debebatur: & alterum, qui deo purgationum.

153. *A Samio*] A Pythagora Philoſopho, qui Samius fuit. *Qui*] Pythagoras. *Putat nos poſſe renaſci*] Putat animam eſſe immortalem, ut eſt, ſed cum à corpore avellitur, in alia quoque corpora tranſire.

154. *Sive monente*] Inſtruente. *Egeria ſua*] Quam ſuam conjugem eſſe fingebat. Egeriam enim (ut Dionyſius inquit) fabulati ſunt nympham quandam fuiſſe, Numam docentem ſapientiam regiam. *Paul. Sive hoc à Samo*] Σάμιος eſt abſolute Sophus Pythagoras. *A Samio doctus*] Tu in hunc ἀντιχρονισμόν. Miror: interim audi Tullium lib. IV. Tuſcul. *Pythagoras fuit in Italia temporibus eiſdem, quibus L. Brutus patriam liberavit*: nec fallitur: calculum addit Strabo, Livius, &c. *Neapol.*

155. *Errabant tempora*] Quia annus ad ſolis curſum non perficiebatur; & menſes verni, factum eſt eo errore, ut hyberni aliquando eſſent.

156. *Fuit una*] Quaſi fuit inter cæteras præcipua, ut annum ad certiorem ordinem redigeret. Sed cum intercalationibus eſſet erratum, rem emendavit Auguſtus, ſublato omni errore intercalcari.

157. *Et autor tantæ propaginis*]. Tantæ ſobolis, quaſi pater Auguſti, avus Tiberii, & proavus tuus, ô Germanice. *Hæc*] Hanc temporum curam. *P. Hæc quoque cura fuit*] Vide Dion. Caſſium lib. xliii. ταῦτα τε ἐνομοθέτησε, καὶ τὰς ἡμέρας, &c. præter Merkedinum, quem ex more in Februarium inſeruit: nam Lxvii. illos dies diſtribuit inter Novembrem & Decembrem. *Fuit una annus*, inquit Sueton. lib. 1. c. 40 *quæ hac conſtituebantur quindecim menſium, cum intercalario, qui ex conſuetudine in eum annum inciderat.* Neap.

158. *Eſſe minora*] Quaſi minus digna ſe. *Suis officiis*] Muneribus & actionibus imperatoriis.

159. *Prænoſcere cœlum*] Obſervationem ſiderum, & cœli rationem.

160. *Domos ignotas*] Voluit prænoſcere loca cœleſtia, ad quæ venturus erat.

161. *Moras ſolis*] Hoc eſt, tempora quæ eundo & redeundo ſol abſumit. Aut ipſa ſolſtitia intellige, hybernum & æſtivum. *Rediret in ſua Regna*] Rediret ſol è Cancro in Capricornum, & è Capricorno in Cancrum. *Paul.*

162. *Ille moras Solis*] Quæ Lunares excedunt diebus XI. 1. Finitur autem

Lu-

Is decies ſenos tercentum & quinque diebus
Junxit, & è pleno tempora quinta die.
Hic anni modus eſt. in luſtrum accedere debet,
Quæ conſummatur partibus, una dies.
Si licet occultos monitus audire deorum
Vatibus; ut certe fama licere putat;
Cum ſis officiis, Gradive, virilibus aptus;
Dic mihi matronæ cur tua feſta colant.
Sic ego, ſic poſita dixit mihi cuſpide Mavors:
(Sed tamen in dextra miſſilis haſta fuit)
Nunc primum ſtudiis pacis, Deus utilis armis,
Advocor: & greſſus in nova caſtra fero.
Nec piget incepti, juvat hac quoque parte morari:

Hoc

Lunaris annus ſpatio dierum ccclv. hanc ob cauſam menſis Lunaris dies habuit XXIX. $\frac{1}{2}$ tempus vero bimeſtre lix. unde cavus unus & plenus alter eſſe debet. Hoc anno uſi olim Romani, & obſcura intercalatione; ſed nunquam fere notum illis certum aliquod anni tempus. Cauſam dat Galen. comment. in 1. Epidem. *Neapol.*

163. *Is*] Cæſar. *Decies ſenos*] Sexagenos dies. *Tercentum & quinque diebus*] Conjux ſimul trecentos ſexaginta quinque dies.

164. *Et tempora quinta*] Quintos quoſque annos, *Die expleto*] Die integro, qui tunc intercalatur. *Tempora quinta*] Dixit: non quod quinis annis fiat intercalatio, ſed quaternis, hoc eſt, in fine cujuſque anni, ſed quia de quinto in quintum, numerando utrumque intercalatum.

165. *Hic anni modus*] Terminus & definitio anni. *Accedere in luſtrum*] In quinquennium.

166. *Dies una*] Intercalaris. *Quæ conſummatur*] Perficitur & expletur. *Partibus*] Senis cujuſque anni horis. Sic in fine quarti anni accipitur una dies integra. P. *Conſummatur partibus, una dies*] Concipit hæc Scaliger in III. magni operis: τῇ τε τραιτυρίδι προσγίνεται ἡμέρα ἐκ τῶν μορίων συγκεφαλαιωμένη. Neap.

167. *Si licet, &c.*] Cum videatur Poëta jam ſatis evagatus in hac anni diſputatione, redit ad inſtituta, hoc eſt, ad ipſa feſta. Kalendis enim Martiis Martis feſtum à matronis celebratur. *Audire occultos monitus deorum*] Arcanas deorum inſtructiones & eruditiones.

169. *O Gravide*] O Mars. *Aptus ſis officiis & viribus*] Hoc eſt, officiis virilibus.

170. *Colant*] Celebrent. P. *Matronæ cur tua feſta*] Quinque recenſet cauſſas: cuique ſuus inerit locus. Solemnitas hæc Martiis erat Kalendis: dies dictus *Matronalia*; fuitque quondam primus anni feſtus: capta illa ex Sabino Romuleoque inſtituto. Vide Plutarch. in ejus vita. Hinc Juvenalis Kalendas Martias nuncupat *fœmineas*: & Tertullianus; *Matronales ferias*. Tunc ſolitæ munuſcula illæ invicem muſſitare, ut auctor Plautus in Milite Glor. *Da mihi vir Kalendis, quæ mittam quum Martia venerint*. Neap.

171. *Caſſide*] Galea, ut ſuperius ora verat, *Et mitidas caſſide ſolve comas*.

172. *Haſta miſſilis*] Ne penitus ab armis diſcederet, depoſuit galeam, & retinuit haſtam. *Miſſilia* tela dicimus, quæ longe mitti poſſunt.

173. *Deus utilis armis*] Utilis ſum in re militari.

174. *Advocor*] Ad pacis officia, qui ſemper exercui bellica. *Fero greſſus*] In militiam pacis, & poëticam. *Fero greſſus*, dixit, ut alluderet ſuo cognomini, cum *Gradivus* à gradiendo dicatur.

175. *Non piget incepti*] Non mihi grave eſt, proſequi quod aggreſſus ſum.

Hæc

Hoc ſolum ne ſe poſſe Minerva putet.
Diſce Latinorum vates operoſe dierum
Quod petis: & memori pectore dicta nota.
Parva fuit, ſi prima velis elementa referre,
Roma: ſed in parva ſpes tamen hujus erat,
Mœnia jam ſtabant populis anguſta futuris:
Credita ſed turbæ tunc nimis ampla ſuæ.
Quæ fuerit noſtri ſi quæris regia nati;
Adſpice de canna ſtraminibuſque domum.
In ſtipula placidi capiebat munera ſomni.
Et tamen ex illo venit in aſtra toro.
Jamque loco majus nomen Romanus habebat:
Nec conjux illi, nec ſocer ullus erat.
Spernebant generos inopes vicinia dives:
Et male credebar ſanguinis autor ego.
In ſtabulis habitaſſe, & oves paviſſe, nocebat,
Jugeraque inculti pauca tenere ſoli.
Cum pare quæque ſuo coëunt volucreſque feræque,
Atque aliquam, de qua procreet, anguis habet.
Extremis dantur connubia gentibus. at, quæ
Romano vellet nubere, nulla fuit.
Indolui: patriamque dedi tibi, Romule, mentem:
Tolle

Hac quoque parte] Hac etiam militia literaria, & pacis ſtudio.

176. *Putet ſe ſolam poſſe hac*] Putet ſe ſolam poſſe utrumque, & armis & paci, ſeu literis præeſſe.

177. *Dierum Latinorum*] Faſtorum Romanorum.

178. *Quod petis*] Hoc eſt, cauſam, cur matronæ colant mea feſta. *Pectore memori*] Quæ ego dicam, memoria teneas.

179. *Parva fuit, &c.*] Cauſam ipſam aggrediens, principium ab urbis initio ſumit, uſque ad raptum Sabinarum pro quo illata ſunt Romanis bella. Sed cum raptæ jam matres eſſent, bellum diremerunt, de quo paulo poſt. *P. Parva fuit, ſi prima velis*] Inſit à prima cauſa, qua bellum eſt inter Romanos & Sabinos per matronas diremptum; eas ſcilicet feſto annuo id Marti acceptum referre.

181. *Mœnia jam ſtabant*] Et quadriennium excurſum à condita urbe, ad raptum & diſcordiam cum finitimis. Vide Dionyſ. lib. 11. *Neapol.*

184. *Adſpice domum de canna*] Extructam è paluſtribus cannis. *Straminibus*] Nam ſtramine & tecta & inſtrata.

185. *In ſtipula*] Et eſt commendatio Romuli à modeſtia & frugalitate. *Paul. Munera ſomni*] Expreſſit Homericum illud, ὕπνου δῶρα ἔλοντο. Neapol.

186. *Et tamen ex illo toro*] Ex illa ſtipula. *Venit in aſtra*] Relatus eſt in deos.

187. *Jamque loco, &c.*] Jam coëperat Romanum nomen apud finitimos extolli, majuſque habebatur, quam re eſſet.

188. *Erat conjux, nec ullus ſocer*] Quia contrahere affinitatem cum his nemo volebat.

190. *Et ego*] Mars. *Male credebar*] Non credebar.

193. *Coëunt cum ſuo pare*] Aves & ſylveſtres beſtiæ habent paria, cum quibus jungantur.

197. *Indolui*] Ægre tuli. *Dedi tibi mentem patriam*] Inſpiravi tibi mentem & conſilium meum. *Patriam mentem*] Mavor-

Tolle preces, dixi: quod petis, arma dabunt.
Feſta para Conſo: Conſus tibi cætera dicet;
Illo feſta die dum ſua ſacra canes.
Intumuêre Cures, & quos dolor attigit idem.
Tum primum generis intulit arma ſocer,
Jamque fere raptæ matrum quoque nomen habebant,
Tractaque erant longa bella propinqua mora.
Conveniunt nuptæ dictam Junonis in ædem:
Quas inter mea ſic eſt nurus orſa loqui:
O pariter raptæ, quoniam hoc commune tenemus,
Non

Mavortiam, ut vi pararet, quod legibus non liceret.

198. *Dixi*] Tolle preces, noli amplius precari finitimos.

199. *Para feſta Conſo*] Deo conſiliorum. *Conſus dicet tibi cætera*] Ipſe conſilii dies inſpirabit tibi quid ſis facturus. *P. Feſta para Conſo*] Antiquiſſima hæc in Italia & ab Evandri adventu. Dionyſ. lib. I. Romulus ergo omiſſa ſacra iterat, inventa fortuito ara quadam ſubterranea: ſed de ficta hac ſive vera cauſa hiſtorici non conveniunt; non ob quod ea tamen efficta. *Neapol.*

200. *Dum canes ſua feſta ſacra*] Dum tu celebrabis ejus ſacra. Hujus diei feſta, *Conſualia* dicta ſunt. De hoc Dionyſium vide. *Paul. Dum ſua ſacra facis*] Intellige certamen equorum: ob quod Strabo lib. V. Conſualia vocat, Ἀγῶνα ἱππικὸν, & ſacrificia quæ ad aram fiebant. de quibus Dionyſius lib. II. Alii pro *facis*, leg. *canes*. Nec diſpliceret, ſi torqueri poſſet ad ſaltationes ad tibiam: nam de illiſmet ludis, in quibus raptæ Sabinæ, ſcripſit noſter in Arte lib. I.

201. *Et quos dolor attigit*] Hi ſunt Cenninenſes, Cruſtumerini & Antennates: iſti primi impetum fecerunt, non Curites ſive Sabini; ſed felicibus prælliis à Romulo fuſi. *Neap. Cures*] Sabini, à Curibus. *Intumuêre*] Indignati ſunt ob eam acceptam injuriam. *Idem dolor attigit*] Hoc eſt, quibus ea erat injuria & dolor communis.

202. *Tum primum ſocer*] Sabini & alii, quorum raptas filias Romani uxores acceperant. *Intulit arma generis*] Intulit bella Romanis.

203. *Jamque fere raptæ matrum*] Jam incœperant raptæ matres eſſe, cum ex Romanis filios peperiſſent: protractaque erant diutius bella. Cumque ſæpe ambiguo marte pugnatum eſſet, deindeque eſſent acies ad pugnandum inſtructæ, mulieres, quarum cauſa bellum erat, convenientes ſine viris in quendam locum, & conſilia conferentes, ut Dionyſius refert, in ea fuere ſententia, ut verba ipſa de reconciliatione apud utroſque inciperent. Re ad ſenatum delata, placuit eas legationis munere fungi. Harum princeps Herſilia fuit, quæ longa & miſerabili oratione poſtulavit, ut viris ſuis pacem concederent. Unde commoti ſunt Sabinorum animi, & fœdera inita ſunt. *P. Jamque fere rapta*] Hæ quot fuerint dubium, XXX. aiunt quidam. Plutarch. Dxxvii. Jubas apud eundem Dclxxxiii. hunc vetuſtiſſ. ſcriptorem ſecutus Dionyſ. Halicarnaſſ. *Matrum quoque nomen habebant*] Triennium enim exactum erat, ab initio ſolum belli Sabini ad amicitiam contractam raptarum precibus. *N.*

204. *Et bella propinqua*] A propinquis & affinibus illata. *Erant tracta*] Pro protracta & dilata. *Longa mora*] Longo tempore.

205. *Dictam*] Conſtitutam ab ipſis. *Paul. Dictam Junonis in ædem*] *Dictam*, quaſi *condictam*, Græcum συντέλεσιν.

206. *Mea ſic eſt nurus*] Socer hæc narrat: ergo Herſilia Romuli uxor. Jam habes certum, quod in ſcriptoribus plerumque dubium. *Neap. Mea nurus*] Herſilia, quæ erat uxor Romuli, ideo nunc Mars ſuam nurum appellat.

207. *O raptæ pariter*] Quæ ſimul mecum raptæ fuiſtis.

208. *Eſſe*

Non ultra lentè poſſumus eſſe piæ.
Stant acies: ſed utra dî ſint pro parte rogandi;
Eligite, hinc conjux, hinc pater arma tenet.
Quærendum, viduæ fieri malimus an orbæ.
Conſilium vobis forte piumque dabo.
Conſilium dederat, parent: crineſque reſolvunt,
Mœſtaque funerea corpora veſte tegunt.
Jam ſteterant acies ferro Martique paratæ:
Jam lituus pugnæ ſigna daturus erat;
Cum raptæ veniunt inter patreſque viroſque,
Inque ſinu natos pignora chara ferunt.
Ut medium campi paſſis tetigêre capillis;
In terram poſito procubuêre genu.
Et quaſi ſentirent, blando clamore nepotes
Tendebant ad avos brachia parva ſuos.
Qui poterat, clamabat avum tum denique viſum:
Et qui vix poterat, poſſe coactus erat.
Tela viris animuſque cadunt: gladiiſque remotis
Dant ſoceri generis accipiuntque manus.
Laudataſque tenent natas, ſcutoque nepotem
Fert avus: hic ſcutis dulcior uſus erat.
Inde diem, quæ prima, meas celebrare Kalendas,
Oebaliæ matres non leve munus habent.

An

208. *Eſſe piæ*] Quaſi non poſſumus ulterius differre & diſſimulare pietatem, quam hinc parentes, quam hinc exigunt viri.

209. *Stant acies*] Quaſi jam ad pugnam inſtructi exercitus, hinc parentum, hinc virorum ſunt.

210. *Hinc*] Ex hac parte.

211. *Fieri viduæ*] Quaſi an velitis potius amittere viros. *An orbæ*] Sine patentibus.

213. *Parent*] Obediunt cæteræ omnes Herſilitæ. *Et reſolvunt crines*] Diſſolvunt & pandunt capillos.

215. *Jamque ſteterant acies*] Inſtructi ſuis ordinibus ad pugnam fuerant exercitus. *Paul.*

219. *Ut medium campi*] Campus hîc locus in quo prælium committendum. Unde apud Cyprianum, *Exercitum ad campum ducere.* Neap.

220. *Procubuêre genu*] Imo ſic immotæ manſere, donec à circumſtantibus erigerentur. *Neap.*

221. *Et nepotes*] Ipſi infantes, quos in ulnis ferebant mulieres. *Paul.*

224. *Poſſe coactus erat*] Exprimeret ſaltem primam literam: per hanc infantes affectus ſuos præcipuos efferunt; & *a* ſolum illis ad loquelam. *Neapol.*

225. *Tela & animi cadunt viris*] Concidêre arma è manibus illorum, & hoſtiles animi commoti ſupplici filiarum oratione, & nepotum aſpectu.

226. *Dant manus generis*] Romanis.

227. *Laudatas*] Dignas laude. Aut commendatas ab earum pietate.

228. *Fert nepotem ſcuto*] Imponebat nepotem ſcuto, velut in cuna. *Erat dulcior*] Quam fuerit in diſcordia & bello.

230. *Matres Oebalides*] Laconicæ, id eſt, Sabinæ. *Celebrare primas meas Kalendas*] Diem Kalendarum Martiarum, mihi dicatarum.

231. *An*

An quia committi ſtrictis mucronibus auſæ
Finierant lacrymis Martia bella ſuis:
Vel quod erat de me feliciter Ilia mater;
Ritè colunt matres ſacra, diemque meum.
Quid? quod hyems adoperta gelu tum denique cedit,
Et pereunt lapſæ ſole tepente nives.
Arboribus redeunt detonſæ frigore frondes,
Vividaque è tenero palmite gemma tumet.
Quæque diu latuit, nunc ſe qua tollat in auras,
Fertilis occultas invenit herba vias.
Nunc fœcundus ager: pecoris nunc hora creandi;
Nunc avis in ramo tecta laremque parat:
Tempora jure colunt Latiæ fœcunda parentes:
Quarum militiam votaque partus habet.
Adde, quod excubias regi Romanus agebat;
Qui nunc Eſquilias nomina collis habet;

Illic

231. *Aut quia committi ſtrictis mucronibus auſæ*] Hac ratione matres Martio ſacrificant, vel quia auſæ ingredi medias acies bellis finem impoſuere. Vel Iliæ recordatione, quæ ex me Romulum peperit. *Committi ſtrictis mucronibus*] Committere ſe evaginatis enſibus.

232. *Finierant Martia bella*] Finem impoſuerant bellis, quibus ego præſum.

233. *Vel quod Ilia*] Virgo Veſtalis, Numitoris filia. *Erat de me mater*] Pepererat ex me Romulum. P. *Vel quod erat de me*] Altera cauſa: ut meis auſpiciis eam felicitatem matronæ conſequantur in filiis, quantam Iliæ meæ dedi, quæ tales Heroas peperit. *Neap.*

234. *Rite*] Ex ritu & conſuetudine.

235. *Quid? quod hyems*] Incertus adhuc hanc tertiam ſubjicit: quod menſe Martio terra mater fœcunda ſit; qualis & matrona fieri cupit. *Neapol.* *Quid? quod hyems adoperta*] Tertia ratio, cur matres celebrant Kalendas Martias: quia tunc eſt tempus fœcundum, quo omnia vireſcere incipiunt, & procreare ſuos fœtus.

236. *Pereunt*] Ab ipſo ſole liquefactæ.

237. *Frondes detonſæ frigore*] Quæ rigore frigoris deciderant ex arboribus.

238. *Gemma uvida tumet*] Turgeſcit in ipſis vitium ſarmentis. *Uvidum* dicimus, quod habet humorem interius, ſicut uva. *Gemma* pro oculo vitis ponitur.

239. *Et herba quæ diu latuit*] Hoc eſt, per hyemem ſub terris fuerat.

240. *Vias occultas*] Subterraneas. *Tollat ſe in auras*] Emergat in aëra, & attollat ſe.

241. *Nunc*] Verno tempore. *Nunc eſt hora*] Eſt tempus.

242. *Larem*] Nidum: ut pariat in eo, & educat pullos.

243. *Colunt fœcunda tempora*] Celebrant principium veris. *Paul.*

244. *Militiam votaque*] Deſiderat mulier partum, ſicut & miles prælium: quamvis non ſine periculis illa ad partum, hic deſcendat ad prælium. *Ant.*

245. *Adde, &c.*] Quarta ratio, quia Kal. Martiis in valle Exquilina nuptæ templum Junoni Lucinæ dedicarunt, pro aſſequenda fœcunditate. Cumque Juno præſit nuptis, & ſit Martis mater, jure ob Martis reverentiam Marti mulieres Kal. Martiis ſacrificant. P. *Adde quod*] Quarta cauſa. *Neapol.*

246. *Qui collis habet nunc nomina*] Vocantur nunc Exquiliæ, ab excubando, ſeu excolendo.

Illic à nuribus Junoni templa Latinis
Hac sunt, si memini, publica facta die.
Quid moror, & variis onero tua pectora caussis?
Eminet ante oculos quod petis ecce tuos.
Mater amat nuptas: matrum me turba frequentat,
Hæc vos præcipuè tam pia caussa decet.
Ferte deæ flores: gaudet florentibus herbis
Hæc dea, de tenero cingite flore caput.
Dicite, tu nobis lucem, Lucina, dedisti;
Dicite, tu voto parturientis ades.
Si qua tamen gravida est; resoluto crine precetur,
Ut solvat partus molliter illa suos.
QUis mihi nunc dicat quare cœlestia Martis
Arma

247. *Illic*] In Exquiliis. *A nuribus Latinis*] Mulieribus Romanis. *P. Junoni templa Latinis*] Sed cognomento *Lucinæ*. Varro lib. 4. de Exquiliis, quarum par Cispius mons in sacris appellatur. *Neapol.*

248. *Sunt facta templa publica Junonis*] Publice fuere consecrata templa Junonis Lucinæ. *Hac die, si memini*] Kalend. meis, si recte recordor. *Paul. Hac publica facta die*] Festus: *Martias Kalendas matronæ celebrant; quod eo die Junonis Lucinæ ædes coli cœpta sit.* Neap.

249. *Onero tua pectora variis causis*] Quasi cur affero tibi tot rationes. *Paul. Quid moror?*] Ultima causa hæc. Juno, inquit Mars, nostra parens, & præest nuptiis, & mulcet tricas puerperiorum. Unde Tertullianus: *In partu Lucina & Diana ejulatur.* Quid mirum igitur, matronæ filium his Kalendis potissimum colant? *Neap.*

250. *Ecce eminet ante oculos tuos*] Ecce tu me vides Junonis filium, qui sum hujusce rei causa.

251. *Mater*] Juno. *Amat nuptas*] Præest connubiis, & nuptæ sunt illi curæ. *Turba matrum frequentat me*] Celebrat diem meum, & frequentes eunt matres in ædem meam. *Hæc causa tam pia*] Qua piæ matres me colunt.

252. *Decet nos*] Et me & matrem; aut me Junonis filium.

253. *Ferte deæ, &c.*] Hortatur nuptas ut Junonem colant, ferantque capita sertis coronata, precenturque ut parturientibus adsit, quo sine dolore possint partum edere. *Deæ*] Junoni Lucinæ. *Gaudet herbis florentibus*] Gaudet offerri sibi flores, & floridas herbas.

254. *Cingite*] Coronate. *De tenero*] Sertis & tenellis floribus contextis.

255. *Dicite*] Vos nuptæ. *Tu Lucina dedisti nobis lucem*] Quia te duce ad lucem venimus.

256. *Ades voto parturientis*] Cum à parturiente vocaris, fer opem, & serva illam.

257. *Crine resoluto*] Crinibus solutis & passis.

258. *Solvat partus suos*] Inclusum partum solvat, ut edere possit. *Molliter*] Leniter, & sine ullo dolore.

259. *Quis mihi nunc*] Hactenus cum Marte locutus est, nunc scripturus festum Saliorum. Egeriam nympham implorat. *Quis nunc dicet mihi*] Quasi à quo discere potero. *Paul. Quis mihi*] Accedit sermo de Saliis: ii instituto anno viii. Numæ regnantis. Pestis urbem invaserat, lacrymæ passim ad deos, cum divinitus scutum æneum è cœlo excidit; quod in urbis salutem missum ab Egeria sua Numa tradidit: id servandum Rex ille Saliis dedit: neve furtum pati posset, xii. alia cœlari curavit, à Mamurio quodam. Ad Saliorum collegium creati primitus xii. idque liquet ex Livii lib. 1. Ii cognomento erant Collini & Agonenses seu Quirinales. Nam *Quirinalis* collis qui nunc dicitur, olim *Agonus* appellabatur. Fuere & Sa-

li

Arma ferant Salii, Mamuriumque canant?
Nympha mone, nemori ſtagnoque operata Dianæ:
Nympha Numæ conjux ad tua feſta veni.
Vallis Aricinæ ſylva præcinctus opaca,
Eſt lacus, antiquâ relligione ſacer.
Hic jacet Hippolytus furiis direptus equorum:
Unde nemus nullis illud initur equis.
Licia dependent longas velantia ſepes,
Et poſita eſt meritæ multâ tabella deæ.
Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab urbe faces.

Regna

lii cognomento *Palatini*: forte quia ſacra in Palatio faciitarent: ubi & eorum ſacrarium refertur à Sexto Ruffo, & P. Victore. Magiſter Saliorum ſeu caput collegii & ἔξαρχος, habet poteſtatem legendi & ejiciendi. Statim poſt Kalendas Martias, ante Piſcis occaſum, Ancilia mota dicit Ovid. *Neapol. Quare Salii*] Qui ſacerdotes ſunt Martis.

260. *Ferant arma cœleſtia*] Ancilia ipſa. *Mamuriumque canant*] Cantando Mamurii nomen repetunt. Voluit enim ipſe Mamurius in mercedem clypeorum quos fecit inſtar illius cœleſtis cani carminibus Saliorum.

261. *Mone*] Inſtrue & doceas tu me. *Nemori & ſtagno Dianæ*] Quia nympha eſt fontis, qui in nemore Cynthiæ eſt.

262. *O nympha*] Et periphraſi Egeriam oſtendit. *Conjux Numæ*] Cum qua Numa congreſſum ſe habere dicebat. *Veni ad tua feſta*] Ad ea feſta, quæ tuo conſilio ſunt inſtituta.

263. *Vallis Aricinæ ſylva præcinctus*] Relaturus Poëta, quæ, & ubi ſit Egeria, facit topographiam, hoc eſt, loci deſcriptionem. Locum enim eſſe dicit in Aricina valle, ubi latet Hippolytus, & Dianæ ſimulacrum eſt ex Taurica advectum, cui mitiore jam ritu fiunt ſacra. Inde rivulus defluit, aquas Egeria ſuggerit: quæ Muſis grata, Numæ uxor & conſilium fuit. *Paul. Vallis Aricinæ*] Erat in ſiniſtra viæ parte, qua Ariciam deſcenditur. Vide Strab. lib. 5. *Sylva præcinctus opaca*] Bene: nam ſanum ſitum in luco. *Neap. Opaca*] Umbroſa. *Vallis aricina*] Ab Aricia, quæ diſtat ab Alba viginti ſtadiis.

264. *Eſt locus præcinctus*] Circundatus. *Sacer antiqua religione*] Hoc ideo dictum, quod conſecrata ibi ara Dianæ ante Album condita.

265. *Latet Hippolytus*] Theſei ex Hippolyta ſive Antiope filius. *Diſcerptus loris*] Id eſt, ab equis frænatis, & loris implicitis tractus laceratuſque eſt.

266. *Illud nemus*] Aricina ſylva. *Aditur nullis equis*] Ex eo quod equi juvenem diſcerpſerunt, illud nemus ingredi non poſſunt.

267. *Velantia*] Tegentia. *Longas ſepes*] Alligabantur tabellæ inſcriptæ liciis, & appendebantur ſepibus, vota teſtantes. *Paul. Licia dependent*] His ſuſpenſa dona votorum compotum. *Longas ſepes*] Murum quo nemus ſeptum.

268. *Meritæ Deæ*] Huc pertinent Strabonis illa lib. 14. Καὶ ἡ Ἄρτεμις ἀπὸ τῆ ἀρτιμέλας τοιῦτο. *Multa tabella*] Heus tu, etiam antiquus noſter iſte mos tabulas votivas in templo ſuſpendendi; quid dubitas? Strab. lib. 8. de Epidaurio templo Æſculapii. Addo Tibulli teſtimonium:

Nunc Dea, nunc ſuccurre mihi: nam poſſe mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis. N.

Et multa tabella] Inſcripta nominibus ſervatorum. *Meritæ Deæ*] Dianæ quæ vota exaudivit.

269. *Potens voti*] Fœmina voti compos, & conſecuta quicquid petiit à Diana, ſæpenumero accenſis faſcibus ex urbe Roma confert ſe ad Artemeſium, ut agat deæ gratias, vel vota perſolvat. *Ant.*

270. *Portat ab urbe faces*] Ad ritum

Regna tenent fortesque manu pedibusque fugaces,
Et periit exemplo postmodo quisque suo.
Desluit incerto lapidosus murmure rivus:
Sæpe, sed exiguis haustibus inde bibit.
Egeria est, quæ præbet aquas, dea grata Camœnis,
Illa Numæ conjux consiliumque fuit.
Principio nimium promptos ad bella Quirites
Molliri placuit jure, deûmque metu.
Inde datæ leges; ne firmior omnia posset:
Cœptaque sunt merito tradita sacra coli.
Exuitur feritas, armisque potentius æquum est,
Et cum cive pudet conseruisse manus.
Atque aliquis modo trux visa jam vertitur ara,
Vinaque

aspectans Statius in Hercule Surrentino: *Fumat Aricinum Triviæ nemus.*

271. *Regna tenent fortes*] Hic *regnum* idem ac sacerdotium: nam qui sacerdos, ibi dictus *Rex nemorensis*; inde sacerdotium *regnum*. Lucan. 3. Pharsal. *quæ regna Dianæ. Fortes manibus*] Is igitur Sacerdos sacri illius nemoris, qui viribus excellens: hunc si tractu temporis præstantior alter vinceret primo interempto, sacerdotium occupabat. De barbarico hoc more Strabo lib. V. *Pedibusque fugaces*] Quivis δρομικὸς, non qui cursu velocior. *Paul. Regna tenent fortes*] *Regnum* appellat Poëta, eo quod sacerdos Triviæ illic rex vocabatur, & sicut dicimus *Ariciam nemoralem*, ita & regem nemorensem, & regna Dianæ dicta. *Regna*] Ipsius Dianæ. *Et fugaces pedibus*] Ille enim efficiebatur rex, qui & viribus corporis, & pedum celeritate præstaret: opus enim erat dimicatione, & qui validior erat alterum pellebat.

272. *Et quisque*] Ex illis regibus Nemorensibus. *Postmodo perit suo exemplo*] Quia validior alios opprimit.

273. *Desluit*] Per lucum Cynthiæ. *Rivus lapidosus*] Inter lapides fluens. *Incerto murmure*] Quasi tam levi susurro, ut vix auribus percipiatur. *Paul. Incerto murmure*] Nam id ubi sit ambigitur. Sermo Nasoni est de fontibus, quibus lacus ille impletur. De his Strabo: & pro τερέα, Scalig. leg. Ἱτέρνη. De Juturna locum audiens. Hic fons in eo tractu. *Neapol.*

274. *Inde*] Ex eo rivulo.

275. *Egeria est quæ præbet aquas*] Quasi Egeria est illius fontis nympha, quæ aquas fundit. *Dea grata Camœnis*] Musis. *Paul. Egeria est*] Hæc τῶν Δαιμόνων ἐπώνυμος. cum Juturna. *Neapol.*

276. *Illa*] Egeria. *Fuit conjux Numæ & consilium*] quod diceret se habere cum ea congressum, & consulere de rebus agendis.

277. *Promptos ad bella*] Bellicosos.

278. *Placuit*] Numæ. *Molliri*] Leniri & mites fieri. *Jure*] Juris observantia. *Et metu deum*] Religione.

279. *Datæ leges*] Dedit enim populo leges, quas ab Egeria accepisse simulabat. *Posset omnia*] Ne omnia potentioris & fortioris arbitrio administrarentur.

280. *Sacra tradita*] Quasi cæremoniæ & ritus sacrorum, & deorum cultus. *Sunt cœpta coli*] Et ab ipsis Romanis.

281. *Pure*] Caste. *Feritas exuitur*] Cum essent prius feroces, jam ipsam feritatem exuerunt. *Æquum est potentius armis*] Quia arma & vires ab æquitate vincuntur.

282. *Conseruisse manus*] Pudet inter se pugnare. *Atque aliquis modo*] Paulo ante.

283. *Trux*] Ferus & crudelis. *Vertitur jam visa ara*] Jam mites redditi, & religiosi, cum primum viderint aram, & sacrificatum eunt. *Paul. Visa jam*

vertitur

Vinaque dat tepidis ſalſaque farra focis.
Ecce deûm genitor rutilas per nubila flammas
Spargit, & effuſis æthera ſiccat aquis.
Non alias miſſi cecidêre frequentius ignes.
Rex pavet: & vulgi pectora terror habet.
Cui dea, Ne nimium terrere; piabile fulmen
Eſt ait: & ſævi flectitur ira Jovis.
Sed poterant ritum Picus Faunuſque piandi
Prodere: Romani numen uterque ſoli.
Nec ſine vi tradent, adhibeto vincula captis.
Atque ita, qua poſſint, erudit arte, capi.
Lucus Aventino ſuberat niger ilicis umbra,

Quo

vertitur ara] Ex Numæ nova lege. Vide Plutarch. Solitum ergo antiquis in adorationis ritu corpus dextroverſum circumagere: hoc adſtricte ſignificat Τὸ *vertitur*. Manifeſte Plautus in Curculione. PH. *Quo me vertam neſcio.* PA. *Si deos ſalutas, dextroverſum cenſeo.* Athen. lib. 4. Erat & apud antiquos, in adoratione ſolennis manus ad os admota; quod & Minutius Felix obſervat: inde hujuſmodi oſcula, *labrata* dixerunt veteres; imo ſtatuas ipſas deorum, & imagines Imperatorias, quæ iſto oſculo adorabantur. Sic exponunt Græci λάβρατα. *Neapol.*

284. *Farra focis*] Hoc eſt, molam ex farre & ſale molito. *Tepidis focis*] Aris ubi fit ignis ſacrificii.

285. *Ecce deûm*] Jam expoſito Numæ ſtudio, dirigit narrationem ad inquirendam anciliorum narrationem, & inquit eo tempore emiſſa ab Jove creberrima fulmina, ſic & creberrimas fuiſſe pluvias. *Flammas rutilas*] Ignea & corruſcantia fulmina.

286. *Aquis effuſis*] Effuſione aquarum. Bene autem exoneratur atque ſecutum per pluviarum effuſionem.

287. *Ignes miſſi*] Fulmina è cœlo miſſa.

288. Rex] Numa. *Et terror, &c.*] Omnia reformando exterrita eſt.

289. *Cui dea, &c.*] Egeria territum Numam conſolatur, monſtratque Jovem poſſe placari. *Ne nimium terrere*] Non exterreris nimium. *Fulmen eſt piabile*] Quaſi cauſæ vel delicta, quibus iratus eſt Jupiter, & fulmina emittit, poſſint ſacrificiis expurgari. *Paul. Piable fulmen*] Et monitorium (utor veteri verbo) nam latens fatum apperuit. *Neapol.*

290. *Flectitur*] Mitigatur, ſeu placatur.

291. *Ritum piandi*] Quo ritu ſacrorum mitiges iratum Jovem.

292. *Utrumque numen Romani ſoli*] Quaſi uterque Deus Latium tuetur. Picus Saturni filius, quem in picum avem Martiam Circes veneficio verſum dicunt. Sed Latini eum pro Deo coluerunt. *Faunus*] Hujus Pici filius, pater Latini.

293. *Nec tradent*] Ipſi non docebunt te placare Jovem. *Sine vi*] Niſi viribus cogas. *Adhibe tua vincula captis*] Cum inveneris dormientes, capias, & alliges.

294. *Edidit*] Dixit, & docuit Numam Egeria. *Qua arte*] Quo dolo, quibus inſidiis. *Poſſent capi*] Apprehendi: appoſito ſcil. vino in eo loco, quo illi potare conſueverant.

295. *Lucus aventino, &c.*] Topographia eſt. Erat in Aventino colle ſylva, quæ ſolo aſpectu ineſſe aliquid numinis indicabat: locuſque erat herbidus, unde & aqua ſcatebat, de qua Picus & Faunus haurire conſueverant. Ibi ove mactata, diſpoſitiſque circa poculis. Numa in inſidiis latuit. *Suberat aventino lucus*] Erat ſylva ſub Aventino monte. *Niger*] Obſcurus. *Umbra ilicis*] Quod erant ibi denſæ umbroſæ ilices. *Paul. Lucus Aventino ſuberat*] Varro de hujuſce collis Etymo: *Olim*, inquit, *paludibus mons erat ab reliquis diſcluſus, &c.* Neapol.

296. *Ineſt*

Quo poſſis viſo dicere; numen ineſt.
In medio gramen, muſcoque adoperta virenti
Manabat ſaxo vena perennis aquæ.
Inde fere ſoli, Faunus Picuſque bibebant.
Huc venit, & Fonti rex Numa mactat ovem,
Plenaque odorati diſponit pocula Bacchi,
Cumque ſuis antro conditus ipſe latet.
Ad ſolitos veniunt ſylveſtria numina fontes,
Et relevant multo pectora ſicca mero.
Vina quies ſequitur. gelido Numa prodit ab antro,
Vinclaque ſopitas addit in arcta manus.
Somnus ut abſceſſit; pugnando vincula tentant
Rumpere: pugnantes fortius illa tenent.
Tum Numa, Di nemorum factis ignoſcite noſtris,
Si ſcelus ingenio ſcitis abeſſe meo:
Quoque modo poſſit fulmen, monſtrate, piari.
Sic Numa: Sic quatiens cornua Faunus ait.
Magna petis: nec quæ monitu tibi diſcere noſtro
Fas ſit. habent fines numina noſtra ſuos.

Di

296. *Ineſt numen*] Quia indicabat, alicui numini eſſe ſacrum, ob umbram, & horrorem quem incutiebat.

297. *Adoperta*] Tecta. *Muſco*] Illa tenui herba, quæ naſcitur circa aquas.

298. *Et vena aquæ perennis*] Perpetuo fluentis. *Manabat è ſaxo*] Scaturiebat è rupe.

299. *Inde*] Ex ea aqua. *Paul.*

300. *Fonti Rex Numa mactat ovem*] Hœdus victima proprior. *Neapol.*

302. *Latet cum ſuis antro*] Abſcondit ſe & comites in inſidiis diſpoſitos, ne abſterreret eos à guſtu vini, & ebrios & dormientes apprehenderet.

303. *Numina ſylveſtria*] Picus & Faunus ſylvarum præſides. *Veniunt ad ſolitos fontes*] Quo ſæpe venire conſueverant.

304. *Pectora ſicca*] Propter ſitim. *P. Cumque ſuis*] Hi numero biſseni. Vide Arnob. adverſ. gentes. *Neap.*

305. *Sequitur vina*] Nam poſt epotum vinum ſomnus ocellos oppreſſit. *Ab antro gelido*] Ubi in inſidiis delituerat.

306. *Manus ſopitas*] Deorum ſopitorum. *In arcta vincula*] Nam manus utriuſque laqueis alligavit. *Paul. Addit in arcta manus*] Ridet hos nexus Arnobius. *Neapol.*

307. *Somnus ut abſceſſit, &c.*] Experrecti à ſomno dii, quo magis tentabant vincula rumpere, eo magis implicabantur.

308. *Pugnantes*] Diſſolvere aut frangere conantes.

309. *Tunc Numa, &c.*] Petit ab his veniam Numa, cum quod fecit, non ſcelere fecerit: oratque ut oſtendant quo pacto Jovem placare poſſet.

310. *Si ſcitis*] Pro quia ſcitis. *Abeſſe ſcelus ingenio meo*] Quaſi me non feciſſe hoc ulla impietate.

311. *Poſſit piari fulmen*] Poſſit placari Jupiter, qui fulmina emittit.

312. *Quatiens cornua*] Quia bicornis fingitur. *Paul. Cornua Faunus ait*] Capripedem & cornutum hunc finxit antiquitas *Neapol.*

313. *Diſcere*] Noſtra inſtructione.

314. *Numina noſtra habent ſuos fines*] Quaſi quia licet dii ſimus, præfinita tamen eſt nobis poteſtas, & velut circumſcripta in agris & montibus. *Paul. Et qui dominemur*] Belle in alio veteri: *& qui dignemur.* Neap.

318. *At*

Dî ſumus agreſtes, & qui dominemur in altis
Montibus. arbitrium eſt in ſua tela Jovi.
Hunc tu non poteris per te deducere cœlo:
At poteris noſtra forſitan uſus ope.
Dixerat hæc Faunus: par eſt ſententia Pici,
Deme tamen nobis vincula, Picus ait.
Jupiter huc veniet valida deductus ab arte
Nubila promiſſi Styx mihi teſtis erit.
Emiſſi laqueis quid agant, quæ carmina dicant;
Quaque trahunt ſuperis ſedibus arte Jovem;
Scire nefas homini. nobis conceſſa canentur,
Quæque pio dici vatis ab ore licet.
Eliciunt cœlo te Jupiter. Unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.
Conſtat Aventinæ tremuiſſe cacumina ſylvæ,
Terraque ſubſedit pondere preſſa Jovis.
Corda micant Regis, totoque è pectore ſanguis
Fugit, & hirſutæ diriguêre comæ.
Ut rediit animus, Da certa piamina, dixit,
Fulminis, altorum rexque paterque deûm:
Si

318. *At forſitan poteris*] Deducere ſcil. *Uſus noſtra ope*] Noſtro conſilio & auxilio.

319. *Par ſententia eſt Pici*] Quia affirmavit quæ Faunus dixerat.

322. *Nubila Styx*] Ara palus inferni, per quam dii jurant. *Erit mihi teſtis promiſſi*] Quaſi juro per Stygem, Jovem huc affuturum.

323. *Emiſſi laqueis*] Soluti & liberati è vinculis. *Paul. Quæ carmina dicant*] Quaſi quibus carminibus ſeu incantationibus utantur. Videntur mihi verba illa Pontificis cum fulmina condebat: de quibus veteres Gloſſæ Juvenalis. *Neapol.*

325. *Nefas ſcire homini quid agant*] Non licet homini ſcire, quid Faunus & Picus ſoluti dixerint, quidve fecerint ad deducendum è cœlo Jovem. *Nobis conceſſa canentur*] Dicemus ea quæ conceſſa ſunt Poëtis ſcire & referre.

327. *Eliciunt cœlo te*] Faunus & Picus precibus deducunt è cœlo Jovem, unde ab eliciendo *Elicius* Jupiter dictus eſt. *Unde*] Ex quo. *Minores*] Poſteri.

328. *Celebrant*] Colunt ſub hoc cognomine. *Elicium*] Sic dictus ab eliciendo; vel quod ara eſt ei conſecrata in Aventino, ad elicienda conſilia, quibus manes placarentur, & prodigia fulminibus facta purgarentur. *Paul. Eliciumque vocant*] Habuerunt quoque Græci τὸν Διὰ καλαβάτην, quod *Elicium* interpreteris: illius meminit Pollux lib. 9. hujus Varro lib. 5. Sic *Elicii Jovis ara in Aventino, ab eliciendo.* Neap.

329. *Conſtat*] Manifeſtum eſt. *Sylva Aventina*] Quæ in Aventino erat. *Cacumina*] Summitates.

330. *Et terra preſſa pondere*] Qui jam è cœlo deſcenderat. *Subſedit*] Subſidere viſa eſt, cum vix ſuſtinere poſſet tanti numinis majeſtatem.

331. *Corda micant regis*] Non poterat humanitas tantam ferre divinitatem, & ideo, *Micant*] Hoc eſt, tremunt. *Corda regis*] Numæ, ob metum.

332. *Diriguere*] Propter cedentem ſanguinem cute contracta: inde rigent crines.

333. *Ut rediit animus, Da certa, &c.*] Petiit hoc ab Jove Numa, ubi in ſe rediit;

Si tua contigimus manibus donaria puris;
Hoc quoque, quod petitur, si pia lingua rogat.
Annuit oranti: sed verum ambage remota
Abdidit, & dubio terruit ore virum.
Cæde caput dixit. cui rex, Parebimus, inquit:
Cædenda est hortis eruta cepa meis.
Addidit hic, Hominis sumes, ait ille, capillos.
Postulat hic animam: cui Numa, Piscis, ait.
Risit: & his, inquit, Facito mea tela procures,
O vir colloquio non abigenda meo.
Sed tibi, protulerit cum totum crastinus orbem
Cynthius: imperii pignora certa dabo.
Dixit, & ingenti tonitru super æthera motum
Fertur, adorantem deseruitque Numam.

Ille

diit, ut doceat expiari fulmina, si sua pietate meretur. *Rediit animus*] Quasi ubi in se reversus est. *Da certa piamina*] Doce me quo sacrificio possim te placare, ne mittas fulmina.

335 *Donaria*] Aras tuas. *Manibus puris*] Castis: quasi, Da hoc, si pie & caste solitus sum tibi sacrificare.

337. *Annuit*] Affirmavit nutu Jupiter. *Remota ambage*] Sine ulla obscura circuitione verborum, brevibus docet, sed dubie verum protulit.

338. *Abdidit*] Involvit verum. *Virum*] Numam. *Ore dubio*] Hoc est, ambiguis verbis.

339. *Dixit*] Jupiter. *Cade*] Incide, & macta. *Caput*] Sed quod caput, non explicuit. *Cui*] Jovi. *Rex*] Numa inquit.

340. *Cadenda*] Incidenda. *Eruta hortis meis*] Hoc est, incidam tibi cepam, quam eruam, seu evellam ex hortis meis. *Paul. Eruta cepa meis*] Studet Numa tristius avertere, Plutarch. in eodem. *Neapol.*

341. *Addidit hic, hominis*] Quasi subjunxit Jupiter, Mactato caput hominis, non cepam. *Ille*] Numa respondit. *Sumes capillos*] Accipies quod capitis diminutivum est, hoc est, capillum.

342. *Postulat animam*] Quasi non cepam, non capillos. *Cui Numa ait, &c.*] Mactabo tibi piscem, & piscis animam tibi dabo. Et in his Numæ lenitas cognescitur. cum non sit secutus Barbarorum morem, qui humana victima putabant deos placare. *Paul. Piscis, ait*] Cur *piscis* potius oblata, non alius, nescio. Dianæ olim immolabant, ob causam quam citat Eustath. *Neapol.*

343. *Risit*] Jupiter. *Facito procures mea tela*] Curam habeas, & sic expiabis seu expurgabis mea fulmina. *His*] Rebus: id est, cepa, capillis, pisce. Sic modum expiandi fulminis tradidit, cæsa cepa, incisis capillis, & mactato pisce.

344. *O vir non abigende*] Non repellende, sed admittende. *Colloquio deum*] Magna hæc Numæ commendatio à sanctitate & pietate, quibus dignus sit Deorum alloquio.

345. *Sed tibi protulerit cum totos*] Jam ad anciliorum causam descendit, quia ab Jove primum ancile traditum. Nunc enim Jupiter pollicetur se daturum certa imperii pignora. *Sed cum Cynthius crastinus*] Sol diei crastini. *Cynthius* Phœbus dicitur, à Cyntho monte Dei. *Protulerit*] Ostendit. *Totum orbem*] Hoc est, cum sol crastinus totus erit ortus.

346. *Certa pignora imperii*] Dabo certam fidem mansuri imperii Romani. *Paul. Imperii pignora certa*] Ancile: cui ad imperii tutelam eadem fides præstita ac Palladio, Diis Samothracum, & igni Vestali. *Neapol.*

349. Ille

Ille redit lætus, memoratque Quiritibus acta.
Tarda venit dictis difficilisque fides.
At certe credemur, ait, si verba sequatur
Exitus: en, audi crastina, quisquis ades.
Protulerit terris cum totum Cynthius orbem,
Jupiter imperii pignora certa dabit.
Discedunt dubii, promissaque tarda videntur,
Dependetque fides à veniente die.
Mollis erat tellus rorata mane pruina;
Ante sui populus limina regis adest.
Prodit, & in solio medius considit eburno.
Innumeri circa stantque sedentque viri.
Ortus erat summo tantummodo margine Phœbus:
Sollicitæ mentes spemque metuque pavent.
Constitit, atque caput niveo velatus amictu
Jam bene dis notas sustulit ille manus.
Atque ita, Tempus adest promissi muneris, inquit:
Pollicitam dictis Jupiter adde fidem.
Dum loquitur, totum jam Sol emoverat orbem,
Et gravis æthereo venit ab axe fragor.
Ter tonuit sine nube deus, tria fulgura misit:
Credite dicenti; mira, sed acta loquor.

A me-

349. *Ille redit*] Ex sylva Aventina in regiam Numa redit. *Latus*] Quia Jovem alloquutus.

350. *Tarda & difficilis fides venit*] Tarde, & cum difficultate adhibebatur fides verbis ejus.

351. *Si exitus sequetur verba*] Si verba ipsa sortientur effectum, aliter credere non vultis.

354. *Cum Cynthius*] Sol.

355. *Discedunt dubii*] Cives qui illud futurum non arbitrabantur. *Promissa videntur tarda*] Nam quod cupidius expectabatur, tardius affuturum existimabatur.

356. *Et fides dependet*] Dubia est.

357. *Rorata*] Aspersa. *Pruina*] Rore cœlesti.

358. *Populus adest ante limina*] Ante fores regiæ.

359. *In solio acerno*] Ex acere facto.

361. *Tantummodo summo margine*] Summa extremitate: quia tantum superior extremitas solis videbatur.

363. *Atque velatus caput*] Habens caput velatum, id est, tectum. *Paul. Niveo velatus amictu*] Galea sacerdotali: Veteres Glossæ Juvenalis: *Tiara galea sacerdotis quæ per malas veniens mento subligatur.* Videtur pileum Judaici sacerdotis. *Neapol.*

364. *Manus jam bene notas diis*] Quas bene dii noverant, & ob ejus religionem, & quia deorum alloquio fretus.

366. *Jupiter adde fidem, &c.*] Quasi fiat, ô Jupiter, quod pollicitus es. Da quod promisisti.

367. *Jam Sol emoverat totum orbem*] Extulerat se totum.

368. *Gravis fragor*] Quasi ingens tonitru. *Venit ab axe æthereo*] Ab axe septentrionali.

369. *Tonuit sine nube*] Quasi cœlo sereno. *Ter*] Dixit, ob fœlicitatem imparis numeri. *Tria fulmina*] Quia quot tonitrua, tot fulmina ejaculatus est.

370. *Credite dicenti mira*] Adhibete

A media cœlum regione dehiſcere cœpit :
Summiſêre oculos cum duce turba ſuos.
Ecce levi ſcutum verſatum leniter aura
Decidit. à populo clamor ad aſtra venit.
Tollit humo munus, cæſa prius ille juvenca,
Quæ dederat nulli colla premenda jugo.
Idque ancile vocat ; quod ab omni parte reciſum eſt,
Quemque notes oculis, angulus omnis abeſt.
Tum, memor imperii ſortem conſiſtere in illo,
Conſilium multæ calliditatis init.
Plura jubet fieri ſimili cælata figura ;
Error ut ante oculos inſidiantis eat,
Mamurius, morum, fabræne exactior artis,
Difficile eſt, illud dicere, clauſit opus.
Cui Numa munificus, Facti pete præmia, dixit :
Si mea nota fides ; irrita nulla petes.

Jam

fidem verbis meis, cum admirabilia referam.

371. *Dehiſcere*] Aperiri.

372. *Turba cum duce*] Populus cum rege. *Summiſêre oculos ſuos*] Demiſêre in humum, quod & reverentiæ eſt.

373. *Ecce decidit*] E cœlo ſcil. ſcutum *verſatum*, volutatum. *Leniter*] Non cum impetu. *Levi aura*] Exiguo vento.

375. *Munus*] Scutum è cœlo delapſum.

376. *Quæ dederat colla*] Immolavit Jovi juvencam ex armento delectam, quæ adhuc jugum non tuliſſet.

377. *Ancile*] Quod eſt reciſum ab omni parte : ita ut angulus ullus minime diſcernatur. *Paul. Quod ab omni parte reciſum*] Ancile igitur licet ex noſtri ſenſu colligam fuiſſe rotundum, non tamen hujuſmodi penitus credam ; ſed adeo oblongulum, ut in nummis vidiſſe memini. Feſtus vero dicit : *Ancile appellatum, quia ex utroque latere erat reciſum, ut ſummum infimumque latus* (vel *latius*) *pateret.* Quæ ſi bene capio, non alia Feſti mens, quam ancilis ſchema delineare : Etymon ergo ejus deduci poſſet ex eo quod eſſet ἄγκυλον τὸ σχῆμα, aut quod ἐπ' ἀγκώνων geſtaretur : an quod averruncandæ peſtilentiæ cauſa, ἀκέσιος ſignificatio in omine ſit. *Neapol.*

378. *Quem notes*] Notare & diſcernere poſſis. *Oculis*] Quia nullus ineſt angulus.

379. *Memor tum*] Numa. *Sortem imperii*] Fatum imperii Romani.

380. *Init conſilium multæ calliditatis*] Poſt longam cogitationem illud conſilium inivit, ut plura ſcilicet ad ejus ſimilitudinem fierent.

381. *Plura*] Undecim alia. *Cælata ſimili figura*] Quæ ſimilem figuram referrent. *Paul. Plura jubet fieri*] Non ab uno, ſed à pluribus : ut inter tot aliquis ad verum cœleſte σχῆμα exprimeret. *Neap.*

382. *Ut eat error ante oculos inſidiantis*] Ut errarent & fallerentur ſimilitudine illi qui per inſidias & furta ſurripere voluiſſent.

383. *Mamurius*] Plutarchus inquit : Veturium Mamurium, unum è ſummis opificibus uſque adeo ſimilitudinem effinxiſſe, ut neque Numa jam ipſe dignoſceret, qui præmii loco petiit, ut ſuum nomen inter carmina Salii canerent. *Paul. Morum fabræne exactior artis*] Fueritne morum probitate an arte præſtantior. *Ant.*

384. *Clauſit*] Cælavit. *Opus*] Quia undecim peltas ad cœleſtis illius ſimilitudinem effinxit.

385. *Munificus*] Liberalis & gratus. *Facti*] Artificii tui.

386. *Irrita*] Nihil petes fruſtra. *Si mea*

Jam dederat Saliis (à ſaltu nomina ducunt)
Armaque, & ad certos verba canenda modos.
Tum ſic Mamurius, Merces mihi gloria detur,
Nominaque extremo carmine noſtra ſonent.
Inde ſacerdotes operi promiſſa vetuſto
Præmia perſolvunt, Mamuriumque vocant.
Nubere ſi qua voles, quamvis properabitis ambo ;
Differ : habent parvæ commoda magna moræ.
Arma movent pugnam, pugna eſt aliena maritis.
Condita cum fuerint ; aptius omen erit.
His etiam conjux apicem diſcincta dialis

Lucibus

mea nota fides] Si tu & cæteri fidem meam noviſtis.

387. *Jam*] Numa. *Dederat nomina*] Jam delegerat Marti gradivo duodecim juvenes, quos à ſaltando *Salios* appellavit. *Paul. A ſaltu nomina*] Salii, inquit M. Varro, à ſaltando : quod facere in Comitio quotannis & ſolent, & debent. Vide Plutarch. & Dionyſ. lib. II. Ὑπὸ δὲ Ῥωμαίων ἀπὸ τῆς συντόνου κινήσεως, &c. & alibi : Κινοῦνται γὰρ πρὸς ἀυλὸν ἐν ῥυθμῷ τὰς ἐνοπλίους κινήσεις, &c. In montibus à frequens illis fuit amptruatio, quæ fiebat in circum : hæc à proſaltore initium ſumebat. Lucillius : *Præſul ut amptruat, inde & volgu redamptruat olli.* Præſul & Proſaltor, idem : hoc unum ex Saliatu munus ; quæ tria, Præſulis, Vatis, & Magiſtri.

388. *Armaque*] Ea quî fuerint diximus : unum addi poteſt & debet, quo habitu induti, hunc accurate deſcriptum invenio apud Dionyſium l. II. quem vide. *Neapol. Ad certos modos*] Ad quoſdam modulos conſtitutos.

389. *Tum ſic Mamurius*] Hoc Veturius Mamurius in mercedem petiit, ut in carminibus Saliorum ultimo loco ſuum nomen caneretur. *Detur mihi gloria*] Quaſi date in præmium, æternitatem nominis, hoc eſt, famam & gloriam.

390. *Et noſtra nomina ſonent extremo carmine*] Reſonent in ultimo loco carminis. *Paul. Nomina noſtra ſonent*] Dictum factum : ut addita non multo poſt Lucia Volumnia : nec hi ſolum, verum alii (ſic poſtea receptum, graſſante adulatione) in ſacrum hoc carmen inſerti. Germanico mortuo, auctore Tacito, inter alios honores decretum, *ut nomen ejus Saliari carmine caneretur.*

392. *Mamuriumque vocant*] Fabrum quemdam hunc fuiſſe, fabuloſum multis. M. Varroni, cui Veturius Mamurius nihil aliud quam vetus memoria. *Neap. Perſolvunt præmia promiſſa*] Quæ Numa promiſerat. *Operi vetuſto*] Ancilibus vetuſtis à Mamurio fabrefactis. *Et vocant Mamurium*] Repetunt nomen. *P. Mamuriumque vocant*] Fabrum quemdam hunc fuiſſe, fabuloſum multis, ut M. Varroni, cui Veturius nihil aliud quam vetus memoria. *Neapol*

393. *Si qua voles nubere*] Si qua puella eris nuptias contractura. *Quamvis ambo properabitis*] Et tu & juvenis, qui vir tuus erit.

394. *Differ*] Tamen velis differre ad alium diem. *Parvæ mora habent magna commoda*] Nam ex parva dilatione magna ſequetur commoditas. *Paul. Differ*] Ad condita uſque ancilia. Eadem ſuperſtitione per id tempus nihil publice geri poterat, nullum iter alicui fas erat aggredi. Vide Sueton. lib. VIII. Mora dicebantur, dum illa Salii per urbem circumferebant. *Neap.*

395. *Pugna eſt aliena maritis*] Qui cum concordes eſſe debeant, à diſcordia & pugna penitus abhorrere debent.

396. *Omen erit cum fuerint condita*] Cum ipſa ancilia & alia arma erunt condita, tunc meliore auſpicio nubere poteris.

Lucibus impexas debet habere comas.
TErtia nox emerſa ſuos ubi moverit ignes;
Conditus è geminis piſcibus alter erit.
Nam duo ſunt: auſtris hic eſt; aquilonibus ille
Proximus. à vento nomen uterque tenet.
CUm croceis rorare genis Tithonia conjux
Cœperit, & quintæ tempora lucis aget;
Sive eſt Arctophylax, ſive eſt piger ille Bootes:
Mergetur, viſus effugietque tuos.
At non effugiet Vindemitor: hoc quoque cauſſam
Unde trahit ſidus parva referre mora eſt.
Ampelon intonſum Satyro nymphaque creatum
Fertur in Iſmariis Bacchus amaſſe jugis.
[Tradidit huic vitem pendentem frondibus ulmi;
Quæ nunc de pueri nomine nomen habet.]

Dum

397. *His etiam lucibus*] His tribus diebus. *Conjux dialis*] Uxor flaminis Dialis: hoc eſt, ſacerdotis Jovis. *Paul. Apicem diſcincta Dialis*] Veteres: *apicati ſancta Dialis*. Apicatus, qui gerit apicem.

398. *Debet habere comas*] Ut etiam per dies XIV. menſe Junio, donec ſtercus ex æde Veſtæ delatum; ut in VI. Faſtor. dicturi ſumus. *Neapol. Habere comas capitis impexas*] Debet & diſcincta eſſe, nec crines pectere, nec ſe excolere, veluti cum Jovi ſacrificatur.

399. *Tertia nox*] Quinto Nonas Martias, hoc eſt, tertia die menſis noctu coſmico occaſu alter è piſcibus occultur. *Tertia nox*] De menſe Martio ſcilicet. *Moverit ſuos ortus*] Cum orietur, aut cum orta eſt. *Paul. Ubi moverit ortus*] V. Nonas eſt auſtrini piſcis δύσις ἐῶα φαινομένη. Neap.

400. *Alter è piſcibus*] Ex duobus. *Erit conditus*] Nam occultur notus ſeu auſtralis.

401. *Hic*] Qui nunc occultur. *Paul. Auſtris hic eſt*] Ideo Νότιος appellatus, alter Βόρειος, ſed hic & χειμωνίας & Solitarius, & Ἰχθὺς ὁ μέγας. Vide Theonem. *Neap.*

402. *Proximus aquilonibus*] Ipſi ſeptentrionali. *Uterque piſcis tenet nomina à vento*] Nam à noto *notius*; à borea *boreus* dicitur, ſive aquilonaris.

403. *Cum croceis*] Tertio nonas Martias, hoc eſt, quinta die ipſius menſis occidit Arctophylax. *Cum conjux Tithonia*] Aurora, uxor Tithoni. *Cœperit rorare*] Rorem effundere. *Genis croceis*] Reſpexit ad aeris colorem, cum videatur mane oriens croceus.

404. *Et erunt tempora quinta lucis*] Erit quintus dies menſis. *Paul. Quinta tempora lucis aget*] III. Nonas occidit Arctophylax coſmice. *Neap.*

405. *Sive eſt Arctophylax*] Cuſtos urſæ. *Sive ille piger Bootes*] Rector boum, quia plauſtrum regere videtur.

406. *Mergetur*] Mergi videbitur. *Et effugeret viſus tuos*] Quia occidet.

407. *At Vindemitor*] Vindemitoris ſtella. *Non effugiet*] Viſus ſcil. tuos, quemadmodum Bootes: quia non mergitur tunc, ſed exurgit tertio Non. Martias. *P. At non effugiet Vindemitor*] Hac eadem vindemiatoris ortus ἀκρόνυχος. *Neap.*

408. *Trahat cauſam*] Ducat originem.

409. *Bacchus fertur*] Dicitur. *Ampelon intonſum*] Crinitum puerum. *Creatum ſatyro & nympha*] Filium Satyri unius ex illis qui Bacchum comitantur.

410. *In jugis Iſmariis*] In Iſmario monte Thraciæ.

411. *Tradidit*] Bacchus. *Huic*] Ampelo. *Vitem*] Cum ulmis adjungantur.

412. *Habet nomen de*] Nam vitis Græce vocatur ἄμπελος.

413. *Dum*

Dum legit in ramo pictas temerarius uvas:
Decidit. amiſſum Liber in aſtra tulit.
Extus ubi Oceano clivoſum ſcandit Olympum
Phœbus, & alatis æthera carpit equis;
Quiſquis ades, caſtæque colis penetralia Veſtæ;
Cratera, Iliacis thuraque pone focis.
Cæſaris innumeris, quos maluit ipſe mereri,
Acceſſit titulis pontificalis honos.
Ignibus æternis æterni numina præſunt
Cæſaris. imperii pignora juncta vides;
Di veteris Trojæ, digniſſima præda ferenti,
Qua gravis Æneas tutus ab hoſte fuit.
Ortus ab Æneа tangit cognata ſacerdos
Numina. cognatum, Veſta, tuere caput.
Quos ſancta fovet ille manu, bene vivitis ignes.
Vivite

413. *Dum temerarius*] Imprudens. *Legit*] Colligit. *Uvas pictas*] Varii coloris. *In ramo*] In ramoſa ulmo.

414. *Decidit*] Ex alto ſcilicet in humum. *Tulit amiſſum*] Quem jam amiſerat. *In aſtra*] Inter ſidera collocavit. *Paul. Amiſſum Liber in aſtra tulit*] Græce vocatus προτρυγητὴρ, ῆρος vel ὁς: ſita hujus ſtella in una virginis ala. Vide Hyginum; eadem Geminus.

415. *Sextus ubi è terra, &c.*] Pridie Nonas Martias Auguſtus Pontifex Max. deſignatur, ut haberet ex omni parte jus αὐτοκρατορίας. Vide Sueton. in eodem. Liquidum hoc etiam ex Dione Caſſio lib. LIV. Annus fuit ab urbe condita Dccxli. diem vero, quem ſuggerit noſter firmat vetus Kalendarium; in quo ante Nonas hæc legimus: PR. NP. HOC DIE CÆSAR PONTIF. MAX. FACT. EST. Eodem menſe, ſed poſt dies quatuor (res mira) Tiberius filius dignitatem hanc adit. Lapis Rom. *Quem diem, quo frequentior quotannis ſit, ſervabimus VI. Idus Martias, quia hac Tiberius Cæſar Pont. Max. feliciſſime creatus eſt.* N. *Sextus Phœbus*] Sextum diem ſignificat. *Scandet*] Aſcendet. *Æthera*] Quaſi ex inferiore parte in altum. *Olympum clivoſum*] Cœlum convexum.

416. *Carpet æthera*] Carpet iter per æthera. *Equis alatis*] Velocibus.

418. *Gratare*] Pro gratulare vel ipſi Veſtæ, vel tanto pontifici. *Pone thura focis Iliacis*] Aris Veſtalibus, ubi æterni ſunt ignes, ex Ilio avecti.

420. *Honor pontificalis*] ipſa dignitas pontificatus. *Paul. Pontificalis honor*] Hujus exemplo, ſecuti Cæſares munus id ſacrum non neglexere ad Gratianum uſque: qui primus ex iis ſancte reſpuit hunc morem. Vide Zozimum l. 5. *Neap.*

421. *Numina æterni Cæſaris*] Qui relatus eſt in deos immortales. *Præſunt æternis ignibus*] Veſtalibus ſacris, quæ per Pontificem maximum adminiſtrabantur; nam ignem inextinctum virgines ſervabant.

422. *Vides pignora imperii juncta*] Hoc eſt, Veſtales ignes, & Pontificem Cæſarem, quæ ſunt duo imperii pignora.

423. *Di veteres*] Orat nunc deos Trojanos pro ſalute cognati Pontificis. *Præda digniſſima*] Æneæ, qui vos è mediis hoſtibus tanquam prædam eripuit.

424. *Qua*] Præda. *Æneas gravis*] Onuſtus. *Fuit tutus*] Quia ſoſpes evaſit.

425. *Sacerdos ortus ab Æneа*] Cæſar à Julio nepote progenitus. *Tangit cognata numina*] Veſtam & penates.

426. *Tuere*] Defendas & ſerves. *Cognatum caput*] Cæſarem Auguſt. qui à Trojanis originem ducit.

427. *O ignes*] Veſtales. *Bene vivitis*] Inextincti eſtis. *Bene*] Sub optimo Pontifice.

428. *Vi-*

Vivite inextincti, flammaque duxque precor.
UNa nota eſt Marti : nonis ſacrata quod illis
Templa patet lucos, Vejovis, ante tuos.
Romulus ut ſaxo lucum circundedit alto ;
Cuilibet, huc, inquit, confuge : tutus eris.
O quam de tenui Romanus origine crevit!
Turba vetus quam non invidioſa fuit !
Ne tamen ignaro novitas tibi nominis obſtet
Diſce quis iſte deus, curve vocetur ita.
Jupiter eſt juvenis : juveniles adſpice vultus.
Adſpice deinde manum : fulmina nulla tenet.
Fulmina poſt auſos cœlum affectare Gigantas
Sumpta Jovi: primo tempore inermis erat.
Ignibus Oſſa novis, & Pelion altius Oſſa
Arſit, & in ſolida fixus Olympus humo.
Stat quoque capra ſimul : Nymphæ paviſſe feruntur
Cretides. infanti lac dedit illa Jovi.
Nunc vocor ad nomen. Vegrandia farra colonæ,
Quæ

428. *Vivite precor inextincti*] Quaſi vivatis æterni & ignis & Cæſar.

429. *Una nota*] Unus titulus, una in Faſtis inſcriptio. *Illis*] Nonis. *Sacrata*] Conſecrata. *Paul. Una nota eſt Martis Nonis*] Martiis, inquit, Nonis dicata Vejovis ædes: erat in regione VIII. P. Victor in eadem. *Ædes Vejovis inter arcem & Capitolium*] Prope Aſylum exædificavit hanc Romulus, ad augendam Aſyli religionem. Vide Dionyſ. lib. II *Neap.*

430. *Templa Vejovis*] Parvi Jovis.

431. *Circumdedit*] Sepſit. *Lucum*] Quercetum in Intermontio.

434. *Fuit non invidioſa*] Quia tam parvus populus, tam exigua civitas, ut nullus invideret.

435. *Tamen ne novitas nominis*] Quia Vejovis nomen tibi novum videtur. *Obſtet*] Ad intelligendum feſta. *Tibi ignaro*] Qui ignoras nominis rationem.

440. *Erat inermis*] Nam non habebat fulmina.

441. *Oſſa*] Mons. *Arſit novis ignibus*] Novis fulminibus.

442. *Olympus eſt fixus in ſolida*] Hoc eſt, ita fixus, ut jam avelli non poſſit.

443. *Stat quoque capra ſimul*] Extat etiam cum Jovis imagine effigies Amaltheæ capræ, quæ ſuo lacte Jovem pavit, ut illud indicet aliquando Jovem parvum fuiſſe. Capella enim Amaltheæ Nymphæ uberibus ſuis aluit infantem. *Nymphæ Cretides*] Cretenſes. *Paul. Stat quoque capra ſimul*] A. Gellius lib. V. Noct. Attic. *Immolatur illi ritu humano capra ; ejuſque animalis figmentum juxta ſimulacrum eſt.*

445. *Vegrandia farra*] Dicta ait antiquitus, quæ male creverunt ; id eſt, male grandia & minuta : nam veteres *ve* ſyllabam ad rei parvitatem præponebant: unde minutam fabam, *vegrandem* quoque dixerunt ; minores flamines, *veſtamines*. Neapol. *Nunc vocor*] Nunc ipſum nomen definit, quia *Vejovis* parvus eſt Jupiter. A ſimili arguit: quia *vegrandia* male, hoc eſt, non grandia dicuntur. *Nunc vocor ad nomen*] Ad aperiendam nominis ſignificationem. *Farra vegrandia*] Quæ non habuere ſuum incrementum, ſic parva ſunt.

446. *Veſca*

Quæ male creverunt, veſcaque parva vocant.
Vis ea ſi verbi eſt; cur non ego Vejovis ædem,
Ædem non magni ſuſpicer eſſe Jovis?
Jamque ubi cœruleum variabant ſidera cœlum;
Suſpice: Gorgonei colla videbis equi.
Creditur hic cælæ gravida cervice Meduſæ
Sanguine reſperſis proſiluiſſe jubis.
Huic ſupra nubes & ſubter ſidera lapſo,
Cœlum pro terra, pro pede penna fuit.
Jamque indignanti nova fræna receperat ore,
Cum levis Aonias ungula fodit aquas.
Nunc fruitur cœlo, quod pennis ante petebat:
Et nitidus ſtellis quinque decemque micat.
PRotinus adſpicies venienti nocte Coronam
Gnoſſida.

446. *Veſca vocant parva*] Hodie etiam in Marſis noſtris, lingua vernacula, quæ parva ſunt, *veſca* dicuntur. *Paul. Veſcaque parva*] Hinc veſcus pro imbecillo & exſucco. Plin. de Tritano refert. *Veſco corpore, ſed eximiis viribus fuiſſe.* Gloſſæ, *veſcus*, ὀλιγόσιτος, ὀλιγοδίαιτος. Neap.

447. *Si ea vis eſt verbi*] Si ea eſt proprietas vocabuli. *Paul.*

448. *Non magni Jovis*] Adoleſcentis ſive pueri: forte malum numen; & cui nocendi poteſtas, non juvandi. Papias Vocabuliſta: *Vedius Pluto*, vel *Orcus*, id eſt, malus Divus. *Neapol.*

449. *Jamque ubi cœruleum*] Veſperi Nonarum oriri, inquit, Pegaſum equum alatum, ex ipſo Meduſæ ſanguine, quam Perſeus interemit, natum pervolavit in Helicona, ubi ſaxum ungula feriens, fontem aperuit, qui ex eo Hippocrene eſt appellatus.

450. *Suſpice*] Attollas oculos, & cœlum reſpice: *Videbis colla equi Gorgonei*] Pegaſi nati ex ſanguine Gorgonis, hoc eſt, Meduſæ. *Paul. Gorgonei colla videbis equi*] Iiſdem nonis Pegaſus oritur Heliace. *Neap.*

451. *Creditur hic*] Bene *creditur*, de re fabuloſa. Pegaſum alii è ſanguine Meduſæ natum volunt; cui Perſeus caput dicitur abſtuliſſe. Alii Neptuni & Meduſæ filium dicunt, & alatum fuiſſe fabulantur. *Ant.*

452. *Proſiluiſſe*] Saltans exiviſſe. P. *Proſiluiſſe comis, &c.*] Sic vulgus Poetarum. Vera opinio eſt, Pegaſum fuiſſe navis nomen, qua vectus Bellerophon appulit ad montem Telmiſſum temporibus Amiſodari; monſtraque ibi quædam evertit. *Neap.*

454. *Cœlum*] Aër. *Fuit terra*] Loco terræ. *Huic*] Equo. *Lapſo*] Volanti. *Penna fuit pro pede*] Utebatur alis pro pedibus.

455. *Jamque receperat nova fræna*] Jam apud Pyrenem ſub Actocorintho deprehenſus fuerat à Bellerophonte, & acceperat nova fræna. *Ore indignanti*] Reluctanti.

456. *Cum ungula*] Pegaſi. *Levis*] Quia alati equi. *Fodit aquas Aonias*] Caballinum, ſeu Pegaſeum fontem in Helicone ab Aonia montana regione Bœotiæ. *Paul. Ungula fodit*] Unde fons ille dictus à Græcis ἵππου κρήνη; *fons Caballinus.* Neap.

457. *Nunc fruitur cœlo*] Quia cœlo locatus eſt. *Quod ante petebat pennis*] In quod prius evolabat.

458. *Micat*] Lucet. *Paul. Quinque decemque micat*: Sunt Hygino XVIII.

459. *Venienti nocte Coronam*] VIII. Idus, die XXI. poſt ſolis ingreſſum in piſces, ut placuit Eudoxo. *Neap. Venienti nocte*] Poſt noctem Nonarum ſequenti nocte. *Coronam Gnoſida*] Cretenſem. Nam Ariadne Cretenſis fuit Gnoſo

Gnoſſida. Theſeo crimine facta dea eſt.
Jam bene perjuro mutarat conjuge Bacchum;
Quæ dedit ingrato fila legenda viro.
Sorte tori gaudens, Quid flebam, ruſtica, dixit?
Utiliter nobis perfidus ille fuit.
Interea Liber depexos crinibus Indos
Vincit, & Eoo dives ab orbe venit.
Inter captivas facie præſtante puellas,
Grata nimis Baccho filia regis erat.
Flebat amans conjux, ſpatiataque litore curvo
Edidit incultis talia verba comis:
En iterum ſimiles fluctus audite querelas:
En iteruth lacrymas accipe, arena, meas.
Dicebam (memini) perjure & perfide Theſeu,
Ille abiit. eadem crimina Bacchus habet.
Nunc quoque nulla viro, clamabo, fœmina credat:
Nomina mutato cauſſa relata mea eſt.
O utinam mea ſors, qua primum cœperat, iſſet,
Jamque ego præſenti tempore nulla forem!

Quid

ſo urbe, ubi fuit regia Minois.

460. *Facta dea*] Ipſa Ariadne eſt in cœlum relata. *Theſeo crimine*] Perfidia Theſei, qui eam in Dia reliquit.

461. *Jam bene mutarat Bacchum perjuro conjuge*] Nam pro homine Deum, pro perjuro & perfido fidelem acceperat.

462. *Quæ*] Ariadne. *Quæ dedit fila*] Nam Ariadne dederat filum Theſeo, quo ſciret è Labyrintho regredi. At ille non retulit beneficii gratiam.

463. *Sorte thori gaudens*] Jam cum gauderet thalami, ſeu conjugii fortuna. *Quid flebam ruſtica*] Quid flere debebam, me ab illo relictam? *Paul. Quid flebam*] De his lacrymis alibi noſter. *Neapol.*

464. *Utiliter*] Quaſi ſua perfidia fuit nobis utilitas, quia Deo nupſimus.

465. *Depexis crinibus*] Sicut eſt eorum mos, pectere & enutrire comas.

466. *Et redit dives*] Quaſi cum ingenti præda. *Ab orbe Eoo*] Ab oriente.

469. *Amans conjux*] Ariadne. *Spatiataque litore curvo*] Cum ſpatiaretur: hoc eſt, cum deambularet per littus finuoſum.

470. *Edidit talia verba*] Ita loquuta eſt. *Comis incultis*] Crinibus non ornatis, ſed ſolutis.

471. *En iterum fluctus ſimiles*] Querela Ariadnes, quod adducta eſſet ei pellex à Bacchio. Querebatur primum de Theſeo: nunc ſimilis cauſa data eſt fletui, & undique movet commiſerationem.

473. *Memini*] Me ſcilicet ſic dixiſſe: *O Theſeu perjure & perfide.*

474. *Bacchus habet eadem crimina*] Fidei ſcilicet violatæ: quia adducit pellicem. *Paul.*

475. *Clamabo fœmina credat*] Ex nuptiis Catullianis, Pelei & Thetidos. *N.*

476. *Cauſa mea*] Ob perfidiam virilem. *Eſt relata mutato nomine*] Nam querebar de Theſeo, nunc de Bacchō: ita nomen mutatum de Theſeo in Bacchum.

477. *O utinam, &c.*] Utinam, inquit, remanſiſſem deſerta in littore, nec me Bacchus reperiſſet: nam jam extincta non hos ſentirem dolores. *Mea ſors*] Mea fortuna. *Iſſet quo primum cœperat*] Perſeveraſſet in tenore incœpto.

478. *Nulla forem*] Quia eſſem extincta.

479. O

Quid me deſertis perituram, Liber, arenis
Servabas? potui dedoluiſſe ſemel.
Bacche levis, leviorque tuis, quæ tempora cingunt,
Frondibus, in lacrymas, cognite Bacche, meas;
Auſus es ante oculos adducta pellice noſtros
Tam bene compoſitum ſollicitare torum?
Heu ubi pacta fides? ubi, quæ jurare ſolebas?
(Me miſeram, quoties hæc ego verba loquor!)
Theſea culpabas, fallacemque ipſe vocabas:
Judicio peccas turpius ipſe tuo.
Neſciat hoc quiſquam, tacitiſque doloribus urar:
Ne toties falli digna fuiſſe puter.
Præcipuè cupiam celari Theſea: ne te
Conſortem culpæ gaudeat eſſe ſuæ.
At, puto, præpoſita eſt fuſcæ mihi candida pellex.
Eveniat noſtris hoſtibus ille color.
Quid tamen hoc refert? vitio tibi gratior ipſo eſt.

Quid

479. *O Liber*] Bacche. *Quid ſervabas me morituram*] Cum jam moritura eſſem, cur opem attuliſti. *In arenis deſertis*] In deſerto littore. *P. Morituram, Liber, &c.*] Non Chii, ut nugantur interpretes, ſed Diæ inſulæ, quæ ſita juxta Theram Κυρηναίων μητρόπολιν. Ibi relictam à Theſeo, & inventam à Baccho, ſcribit in Arte & Metamorph. *N.*

481. *Bacche levis*] Inconſtans. *Levior tuis frondibus*] Quæ cingunt tempora: levior pampinis, quibus coronaris: nam ut illi decidunt, nec ſervant viriditatem, ita tuus animus ſua inconſtantia agitur.

482. *Cognite Bacche in lacrymas*] Quarum tu cauſa es, cum pellicem ſuperinduras.

483. *Et auſus ſollicitare*] Sollicitum & anxium reddere.

484. *Thorum*] Thalamum. *Tam bene compoſitum*] Tam bene jugali jure munitum.

485. *Heu ubi pacta fides*] Ubi ea quam promiſiſti fides.

486. *Quoties ego loquor hæc verba*] Quoties cogor ita loqui: nam primum perfidia Theſei, nunc vero Bacchi facit ut ita loquar.

487. *Culpabas Theſea*] Damnabas Theſeum à perfidia, quod me reliquiſſet.

488. *Tu ipſe peccas turpius*] Quia qui perfidum illum judicabas, nunc cum in eodem ſis crimine, ex eo quod illum damnabas, longe magis damnari mereris.

489. *Neſciat quiſquam hoc*] Me ſcil. à Baccho fuiſſe deceptam. *Et urar*] Abſumar ego.

490. *Fuiſſe digna toties falli*] Meruiſſe aliqua culpa mea toties à viris decipi.

491. *Cupiam celari Theſea*] Cupiam hoc eſſe illi occultum.

492. *Ne gaudeat te eſſe conſortem ſuæ*] Te fuiſſe ejuſdem fallaciæ ſtudioſum.

493. *At puto*] Ironicus ſermo, ut pellicem in contemptum adducat. Præfers, inquit, mihi illam candidam, cum illa colore fuſca ſit, & Ariadne candida. *P.*

493. *Fuſcæ mihi, &c.*] Ironice. *Fuſcus* erat color noviter amatæ: hic Indorum proprius: Itali dicunt *olivaſtro*: aliquando ſignificat ejuſdem idiomatis *brunetto*. Neap.

494. *Ille color*] Fuſcus, qui eſt in iſta pellice. *Eveniat noſtris hoſtibus*] Quaſi non amici, ſed hoſtes ſint ita nigri, ut illa eſt.

495. *Ipſo vitio*] Ipſa nigredine, quod vitium eſt corporis. P. *Vitio tibi gratior ipſa eſt*] Duo veteres: *gratior ipſo eſt*, ipſa nigredine. *Neap.*

Quid facis? amplexus inquinat illa tuos.
Bacche, fidem præſta, nec præfer amoribus ullam
Conjugis aſſuetæ ſemper amare virum.
Ceperunt matrem formoſi cornua tauri;
Me tua: ſed lædit ille pudendus amor.
Ne noceat quod amo: nec enim tibi, Bacche, nocebat,
Quod flammas nobis faſſus es ipſe tuas.
Nec quod nos uris, mirum facis. ortus in igne
Diceris, & patria raptus ab igne manu.
Illa ego ſum, cui tu ſolitus promittere cœlum.
Hei mihi, pro cœlo qualia dona fero!
Dixerat: audibat jamdudum verba querentis
Liber, ut à tergo forte ſecutus erat.
Occupat amplexu, lacrymaſque per oſcula ſiccat,
Et, pariter cœli ſumma petamus, ait.
Tu mihi juncta toro, mihi juncta vocabula ſumes:
Nam tibi mutatæ Libera nomen erit.

Sintque

496. *Quid facis?* O Bacche qui illam amas. *Tuos amplexus*] Commaculat tua brachia ſuo colore: nam nigredinem contrahent.

497. *Ullam amoribus conjugis*] Quia magis te amat conjux, quam ancilla.

498. *Aſſuevi ſemper amare*] Nam prius Theſeum, deinde te ardentiſſime amavi, ſervavique fidem inviolatam.

499. *Cornua tauri formoſi ceperunt matrem*] Quaſi Paſiphaë mater capta fuit cornibus tauri pulcherrimi: nota eſt fabula. *Paul. Ceperunt matrem*] Paſiphaëm: nota fabula.

500. *Me tua*] Sic probat & matri & filiæ placuiſſe caput cornigerum. *Neap. Me tua*] Scilicet cornua capiunt: quaſi ego capta ſum cornibus tuis; nam Bacchus cum cornibus pingitur. *Sed lædit me*] Excruciat. *Ille amor pudendus*] Amor tuus in captivam; ideo pudendus, quod ſerva eſt & fuſca: aliqui referunt illud ad Paſiphaëm: quia pudendus amor illius quæ tauro ſuccubuit.

501. *Non nocebat*] Sed proderat. *Tibi*] O Bacche, quod tu ipſe es faſſus nobis flammas tuas; quod aperuiſti nobis amores tuos.

503. *Quod nos uris*] Quod uror ego tuo amore. *Diceris ortus in igne*] Idcirco non eſt mirum, quia tu natus in igne injicis mihi flammas.

504. *Raptus*] Ereptus. *Ab igne*] A fulmine. *Manu patria*] Manu Jovis: Nam cum Semele exanimata eſſet fulmine, editus immaturus infans, ſemori Jovis adhæſit, ubi tempora debita complevit.

506. *Hei mihi, qualia dona fero pro cœlo*] Loco promiſſi cœli, ſum ita abs te relicta; & pro munere, pellicem Indicam adducis.

507. *Dixerat: audierat*] Querentem ita Ariadnem Bacchus audivit, amplexuſque eam primum verbis conſolatur; deinde in cœlum retulit, coronamque ſimul inter aſtra collocavit, novemque gemmas in totidem ſtellas transformavit. *Verba querentis*] Ariadnes lamentantis.

509. *Occupat amplexu*] Amplectitur illam.

510. *Petamus pariter ſumma cœli, &c.*] Conſcendamus ſimul in cœli ſummitatem.

511. *Tu mihi juncta toro*] Nam tu mea conjux. *Sumes vocabula mihi juncta*] Quæ juncta es thalamo, eris quoque juncta nomine.

512. *Nam tibi mutata*] Ex humana in deam, ex mortali in immortalem. *Erit nomen Libera*] Nam ut ego Liber dico, tu quoque *Libera* diceris.

513. *Et*

Sintque tuæ tecum faciam monumenta coronæ;
Vulcanus Veneri quam dedit: illa tibi.
Dicta facit: gemmaſque novem transformat in ignes,
Aurea per ſtellas nunc micat illa novem.
SEx ubi ſuſtulerit totidem demerſerit orbes,
Purpureum rapido qui vehit axe diem;
Altera gramineo ſpectabis Equiria campo,
Quem Tyberis curvis in latus urget aquis.
Qui tamen ejecta ſi forte tenebitur unda;
Cœlius accipiat pulverulentus equos.
IDibus eſt Annæ feſtum geneale Perennæ,

Haud

513. *Et faciam ſint tecum monumenta tua corona*] Ut tecum habeas in cœlo coronam tuam, aut ipſius memoriam, nam ejus gemmæ in ſtellas transferentur. *Paul. Monumenta coronæ*] Inde hanc cœleſtem quis dixit *Groſſiam*: quis *monumentum deſerta puella*: & hic Manilius in Sphæra: quis, ſignum ἀποιχομένης Ἀριάδνης. *Neapol.*

514. *Illa tibi*] Nam Venus tibi dono dedit.

515. *Dicta facit*] Nam retulit illam in cœlum. *Novem gemmas*] Quæ ſunt in Corona. *In ignes*] In totidem ſtellas ignitas.

516. *Aurea*] Corona ex auro. *Micat*] Lucet.

517. *Suſtulerit*] Elevarit. *Sex orbes*] Rotunditates, ſeu ſolares orbes. *Dimiſerit*] Deorſum miſerit: hoc eſt, poſtquam ſexies orietur ſol, & totiens occidet ſol, id eſt, poſtquam fluxerit ſextus dies ab ipſo ortu Coronæ. *Paul. Sex ubi ſuſtulerit*] III. Idus Martias erant Equiria in Campo Martio.

519. *Altera gramineo*] Dixit *altera*; quia prima acta, III. Kalendario menſe Februarii hæc legimus: B. EQ. NP. Bulengerus priora fuiſſe ſcribit, ut equitatus luſtraretur; altera, ut numerus integraretur: ſed teſtem non adhibet. *Neap. Campo gramineo*] In campo Martio herbido. *Altera* dixit, quia & altera fiebant in fine Februarii; de quibus ſuo loco diximus.

520. *Quem*] Campum. *Tyberis urget in latus*] Quaſi ambit ab uno latere, aquis curvis, flexis & ſinuoſis, Campus Martius juxta Tybrim, ubi ſæpe fiebant ludi & certamina: circum erant porticus pulcherrimæ, & horti numeroſi. *Paul. In latus urget aquis*] Erat enim Martius Campus poſitus prope Tyberim.

521. *Qui tamen ejecta*] Qui ex undatione Tyberina, ſi forte ſit inacceſſus, in campo quodam montis Cœlii Equiria agebantur. Campus minor etiam vocatus ille Cœlii montis. Vide & Feſtum. *Neapol. Qui tamen*] Campus. *Tenebitur* Occupatur. *Unda ejecta*] Inundatione Tyberina.

522. *Cœlius*] Mons. *Pulverulentus*] Siccus, ubi non ſit inundatio. *Accipiet equos*] Et fient Equiria in Cœlio. *Paul. Cœlius*] Eſt unus è ſeptem urbis collibus; cui primum Tuſcum fuit nomen *Maſtarna*.

523. *Idibus eſt Annæ*] Vide Macrob. 1. Saturn. Tunc amnem populus auſpicato tranſibat, & Annæ Perennæ re divina facta, omnibus licitum annare & perennare illud ſolitum precari. Hilaris olim fuit illa dies. Ludi Romæ etiam aliquando excitati, an quotannis, non affirmo. Vide Appian. lib. 2. bellor. *Neapol. Idibus eſt*] Poëta referens Annæ ſacra, turbam, inquit, ita campum convenire, hæc celebraturam, & pro vitæ perennitate mero indulgere: precarique ut quot calices exiccarent, tot annos viverent, ita ut inde nemo decederet non ebrius: ſed quæ dea ſit Anna, varias refert opiniones. *Idibus*] Martiis ſcilicet, hoc eſt, decimo quinto die menſis. *Feſtum geniale*] Quaſi plenum voluptatis; nam *genius* pro deo voluptatis interdum accipitur.

Haud procul à ripis, advena Tybri, tuis.
Plebs venit, ac virides paſſim disjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quiſque ſua.
Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt:
Sunt, quibus è ramis frondea facta caſa eſt:
Pars ibi pro rigidis calamos ſtatuêre columnis:
Deſuper extentas impoſuêre togas.
Sole tamen vinoque calent: annoſque precantur,
Quot ſumant cyathos, ad numerumque bibunt.
Invenies illic, qui Neſtoris ebibat annos:
Quæ ſit per calices facta Sibylla ſuos.
Illic & cantant, quidquid didicêre theatris,
Et jactant faciles ad ſua verba manus:
Et ducunt poſito duras cratere choreas,

Cultaque

cipitur. *Anna perenna*] Quæ commode annare & perennare facit.

524. *Non procul à ripis, &c.*] Qui aliunde advenis: nam ex Etruria. Ergo in Campo Martio prope Tyberim hebant ſacra genialia à plebe. *Paul. Non procul à ripis*] Ubi nemus Annæ Perennæ, de quo Martial. lib. 4. Epigram. 40. inter Anienis confluentem & Milvium pontem. *Neapol.*

525. *Disjecta per virides herbas*] Effuſa in diverſis locis.

526. *Cum pare ſua*] Cum conjuge, aut ſocia.

527. *Pars durat ſub Jove*] Sub dio: hoc eſt, ſub aëre, non ſub tectis. *Paul. Pauci tentoria ponunt*] Ut commodius ſub his ſe continerent. Uſus verbo militari, nec male: animadverto ex Athenæo lib. 4. ubi quædam feſta apud Lacedæmonios prorſus his paria, & cum iiſdem tabernaculis, vocat immitamentum militaris diſciplinæ. *Neapol. Tentoria*] More militum, ut ſub tentoriis ſint. *Paul.*

528. *Frondea facta caſa eſt*] Adludit ad trichila & umbras, quæ & Neptunalibus excitari ſolitæ. Vide Sex. Pompeium. *Neapol. Sunt*] Qui caſam faciunt ex frondoſis arborum ramis.

529. *Statuere calamos*] Erexere humi defixas harundines. *Rigidis*] Duris & firmis.

530. *Impoſuêre deſuper*] Super columnas ipſas. *Paul. Extentas impoſuêre comas*] Cameras his ſimiles & in bellica neceſſitate reperio. *Neapol.*

532. *Et bibunt ad numerum*] Quia numerant, quoties bibunt, ut numerum teneant.

533. *Qui ebibat annos*] Qui toties bibat, quot annos vixit Neſtor ille Pylius, quem vixiſſe dicunt trecentos annos.

534. *Quod ſit facta Sibylla*] Quod etiam annos Sibyllæ adæquarit: hoc ob Cumæam dictum, quæ fuerat longe ante Trojana bella: & vixerat, ut à multis aſſeritur, ad Romanorum uſque regum tempora.

535. *Illic & cantant*] Canant quod in theatris audivêre cani. *P. Quidquid didicere*] Præclarus ad hanc corruptelam locus Ariſtidis in Oratione, De non agendis Comœdiis.

536. *Ad ſua verba manus*] Jactare manus, pro ſaltare. Propert. *Jactabat truncas ad cava buxa manus*: id eſt, ſaltabat ad tibiam. Sic & Græcis βάλλειν χεῖρας, pro eodem. Sed illa, *ad ſua verba*, ſaltationis motum oſtendunt compoſitum ad cantilenam. Ex. gr. ſi lugubre quid canerent, lugubres quoque motus exprimerent; & ſic in aliis. Has v. ſaltationes voci ſubſervientes, *hyporchemata* appellarunt. Vide & Luciam libel. περὶ ὀρχήσεως. Neap. *Et jactant*] Ut ebrii ſolent. *Manus faciles ad ſua verba*] Nam eas ad cantum agitant.

537. *Choreas*] Saltationes; à χορεύω, quod

Cultaque diffuſis ſaltat amica comis.
Cum redeunt, titubant, & ſunt ſpectacula vulgi:
Et fortunatos obvia turba vocat.
Occurrit nuper (viſa eſt mihi digna relatu)
Pompa: ſenem potum pota trahebat anus.
Quæ tamen hæc dea ſit quoniam rumoribus errant;
Fabula propoſito nulla tegenda meo.
Arſerat Æneæ Dido miſerabilis igne;
Arſerat extructis in ſua fata rogis.
Compoſituſque cinis, tumulique in marmore carmen
Hoc breve, quod moriens ipſa reliquit, erat:
Præbuit Æneas & cauſſam mortis & enſem:
Ipſa ſua Dido concidit uſa manu.
Protinus invadunt Numidæ ſine vindice regnum,
Et potitur capta Maurus Iarba domo.

Seque

quod eſt ſalto. *Poſito cratere*] Depoſito parumper poculo.

538. *Culta*] Ornata. *Saltat diffuſis comis*] Paſſis crinibus.

539. *Cum redeunt*] E campo domum. *Titubant*] Nam ebrii eunt titubanter, & firmare paſſum nequeunt.

540. *Vocat fortunatos*] Appellat eos fœlices: quia quoad ebrii ſunt, nec bona, nec mala diſcernunt: nec cupiditate ulla, nec ambitione moventur.

541. *Occurrit nuper mihi pompa*] Turba ebriorum redeuntium. *Viſa eſt digna relatu*] Digna quæ refertur.

542. *Trahebat ſenem potam*] Jucundum erat ſpectaculum, cum ebria ebrium duceret.

543. *Quæ tamen*] Sed quæ dea ſit Anna, quoniam variæ ſunt opiniones, ego omnes referam.

544. *Fabula erratur*] Incerta eſt & varia refertur. *Nulla tegenda*] Quia de omnibus agam.

545. *Arſerat*] Acturus de Anna, ſorore Didûs, ab ipſius morte Didûs incipit. *Miſerabilis*] Digna commiſeratione. *Arſerat ignis*] Hoc eſt, amore Æneæ.

546. *Regis extructis*] Lignorum congerie compoſita. *In ſua fata*] In ſuam mortem. *Paul. In ſua fata rogis*] Sic fabulatum poſtquam ab hoſpite Æneа deſerta.

547. *Compoſituſque cinis*] In amphoram, de more, aut vaſculum miſſus. *Tumulique in marmore*] Tumulus, aggeſtus terræ ſuper vaſculum, σχῆμα ſive τύμβος: In hoc ſtatuebatur cippus lapideus, Græcis στήλη. Neap. *Et cinis eſt compoſitus*] Hoc eſt, cinis qui ex cremato cadavere ſuperfuit, eſt in urna reconditus.

548. *Et erat hoc breve carmen*] Hoc exiguum epigramma inſcriptum eſt tumulo. *Paul. Hoc breve*] Ratio, cur preſſa epitaphia cippis inſcriberent, non alia, quam, ut ea cito viatores perlegerent, nec illis tædio eſſet longum carmen: ideo etiam grandi nota incidi ſolita. *Neap.*

549. *Æneas præbuit & cauſſam mortis*] Quia fugiens fuit illi cauſa, ut ſeipſam confoderet. *Et enſem*] Nam reliquit enſem, quo ſe illa confecit.

551. *Protinus invadunt*] Extincta Didone Afri duce Hiarba Carthaginem occupant, Tyrii vero omnes in fugam converſi ſunt. *Numidæ*] Ipſi Afri. Numidia vero pars Africæ. *Regnum*] Carthaginis ſcilicet. *Sine vindice*] Quoniam regina erat extincta, & alii reges non erant qui regnum tuerentur.

552. *Potitur capta domo*] Didûs regia. *Paul. Maurus Iarba*] Pro Iarbas, ut Marſya & Marſyas: & Græci ſcribunt Ἰάρβαν. *Neapol.*

553. Et

Seque memor ſpretum, Thalamis tamen, inquit, Eliſſæ
Ên ego, quem toties reppulit illa, furor.
Diffugiunt Tyrii quo quemque agit error, ut olim
Amiſſo dubiæ rege vagantur apes.
Tertia mandatas acceperat area meſſes,
Inque cavos ierant tertia muſta lacus;
Pellitur Anna domo: lacrymanſque ſororia linquit
Mœnia, germanæ juſta dat ante ſuæ.
Mixta bibunt molles lacrymis unguenta favillæ;
Vertice libatas accipiuntque comas.
Terque vale dixit: cineres ter ad ora relatos
Preſſit, & eſt illis viſa ſubeſſe ſoror.
Nacta ratem comitemque fugæ, pede labitur æquo;
Mœnia reſpiciens, dulce ſororis opus.
Fertilis eſt Melitæ ſterili vicina Coſyre
Inſula; quam Libyci verberat unda freti:
Hanc petit hoſpitio regis confiſa vetuſto.

Ho-

553. *Et memor*] Hiarbas. *Se ſpretum*] Quem in conjugem Dido noluerat.

554. *Reppulit*] Sprevit, & conjugem non admiſit. *Eliſſa*] Didûs.

555. *Diffugiunt Tyrii*] Eliſæ in fuga comites. *Neapol.*

557. *Tertia nudatas acceperat area meſſes*] Tertio anno poſt mortem Eliſæ, & occupatam ab Hiarba Carthaginem, pulſa eſt Anna, quæ lacrymans juſta ſorori ſolvit: ſolutoque ſupremo munere, fugit. *Area*] In qua terantur fruges. *Acceperat meſſes nudatas*] Frumenta è paleis excuſſa.

558. *Tertia muſta ierant*] Hoc, inquit, præterierat jam tertia meſſis, & tertia vindemia: & ex his tertium annum indicat.

559. *Domo*] Carthagine.

560. *Mœnia ſororia*] Urbem à ſorore conditam. *Dat ante juſta*] Facit exequias, ſorori ſic juſta ſolvit.

561. *Favillæ molles bibunt unguentia mixta lacrymis*] Spargit unguento cineres, lacrymas immiſcens. Ideo *molles* favillas dixit, quia unguento & lacrymis miſcebantur.

562. *Et accipiunt*] Ipſæ favillæ. *Comas libatas*] Excerptos crines. *Vertice*] E capite Annæ.

563. *Ter dixit Vale*] Sicut moris eſt extremo loco dicere. *Ter preſſit cineres*] Ter complexus eſt urnam, ubi erant conditi. *Relatos ad ora*] Quia ter oſculatus eſt.

564. *Et ſoror*] Dido.

565. *Nacta ratem*] Ubi navem repperit. *Et comites fugæ*] Qui eam in fuga ſequerentur. *Labitur æquo pede*] Non hoc referendum ad pedes ejus, quia non dicitur proprie labi pedibus, ſed incedere: ſed referas ad navem, Annam ferentem.

566. *Opus ſororis*] Quod Dido ſorori extruxit.

567. *Fertilis eſt Melitæ*] Fugiens Anna, Melitam venit, ſuſceptaque hoſpitio à Batto rege. *Melita eſt inſula fertilis*] Hæc inſula eſt in Libyco mari, inter Siciliam & Africam, diſtans à Pachyno Siciliæ ſexaginta millia paſſuum: ex ea portantur catelli, quos Melitæos vocabant. *Vicina Coſyre ſterili*] Inſula eſt in eodem mari, quæ & olim, & nunc, *Gozzo* dicitur. *Paul. Vicina Coſyre*, Duplici ſ, ſcribunt Græci. Ptolemæus: Πελάγιαι δὲ νῆσοι εἰσὶ τῆς Ἀφρικῆς, Κόσυρα νῆσος, καὶ πόλις Μελίτη, &c. *Neap.*

568. *Verberat freti Libyci*] Cum in mari Libyco ſit, Libycis pulſatur fluctibus. *Paul.*

570. *Rex*

Hoſpes opum dives rex ibi Battus erat.
Qui poſtquam didicit caſus utriuſque ſororis;
Hæc, inquit, tellus quantulacunque tua eſt.
Et tamen hoſpitii ſervaſſet ad ultima munus,
Sed timuit magnas Pygmalionis opes.
Signa recenſuerat bis Sol ſua. tertius ibat
Annus: & exilio terra paranda nova eſt.
Frater adeſt, belloque petit. Rex arma peroſus,
Nos ſumus imbelles, tu fuge ſoſpes, ait.
Juſſa fugit, ventoque ratem committit, & undis.
Aſperior quovis æquore frater erat.
Eſt prope piſcoſos lapidoſi Crathidis amnes
Parvus ager: Cameren incola turba vocant.
Illuc curſus erat. nec longius abfuit inde,
Quam quantum novies mittere funda poteſt.

Ve-

570. *Rex ibi Battus*] Hic ille, inquit Silius, qui Cyrenem condidit; immo in ea urbe ſcribit idem Annam à Barto receptam: ſed hæc pugnant cum exacta temporum ratione. Carthago à Didone condita anno periodi Julianæ MMM DCCCXXVIII. Battus Cyrenem condidit MMMMLXXXIV. nondum ergo hic natus, cum Didonis mors & Annæ fuga à Carthagine. *Neapol.*

571. *Qui rex poſtquam didicit*] Audiit ab ipſa Anna. *Caſus utriuſque ſororis*] Et Eliſæ miſerabilem exitum, & Annæ calamitatem.

572. *Quantulacunque tua eſt*] Licet tenue ſit regnum, potes tuo arbitrio uti.

573. *Ad ultima*] Uſque ad finem.

574. *Opes Pygmalionis*] Timuit ingentes Pygmalionis vires, qui jam ſororem Annam inſequebatur. *P. Pygmalionis opes*] Hic Annæ & Eliſæ frater, filius Pygmalii, ſi credimus Menandro Epheſio, qui conſcripſit hiſtoriam Περὶ τῶν Τυρίων Βασιλέων: plerique volunt Beli regis etiam Tyrii, ſed hic non numeratur in ea Dynaſtia.

575. *Tertius ibat annus*] Pœne circiter annos tres apud Battum diverterat, cum, audito fratris adventu, alio parare fugam coacta; idque Batti ſuaſu, qui viribus impar, divitem Pygmaliona non parum timebat. *Neapol. Signa recenſebat*] Jam fluxerant duo anni, ex quo è Carthagine fugit, veneratque tertius, cum inſequente Pygmalione magna claſſe, rex illam à ſe dimiſit, rurſuſque illa miſerrima ſe fugæ credidit. *Sol recenſebat*] Renumerabat. *Bis ſua ſigna*] Duodecim illa quæ ſunt in zodiaco, per quæ it & redit annum conficiens.

576. *Terra eſt paranda exilio*] Cogitur illa, nova loca quærere ad exulandum.

577. *Frater*] Pygmalion, qui eam inſequebatur. *Petit*] Annam. *Bello*] Illaturus bellum apud quemcunque fuiſſet.

578. *Tu fuge ſoſpes*] Fuge nunc incolumis, antequam majorem facias jacturam.

581. *Eſt prope piſcoſos*] Vertit Anna fugiens proram in Calabriam, cum eſſent prope Crathim fluvium: depoſitis velis, nautæ remis inſurrexere: ut portui ſubirent, à tempeſtate rejecti ſunt. *Lapidoſi*] Qui ex Appenninis labens per ſaxa fluvii. *Lapidoſi Crathidis*] Hunc Calabriæ fluvium quis neſcit. De Etymo ejus vide Strab. lib. 8. Huic ſane confinis eſt Sybaris, cum quo forte miſcetur. *Neapol.*

582. *Accola turba*] Quæ incolit ripas Cratidis. *Vocat*] Ipſum agrum, *Cameren.*

583. *Illuc erat curſus*] Ibi curſum direxerant nautæ.

584. *Quam quantum, &c.*] Poſſet quis laxum ejaculari funda.

585. *Vela*

Vela cadunt primo, & dubia librantur ab aura,
Findite remigio, navita dixit, aquas.
Dumque parant torto ſubducere carbaſa lino,
Percutitur rapido puppis adunca Noto:
Inque patens æquor fruſtra pugnante magiſtro
Fertur, & ex oculis viſa refugit humus.
Aſſiliunt fluctus, imoque à gurgite pontus
Vertitur, & canas alveus haurit aquas.
Vincitur ars vento: nec jam moderator habenis
Utitur: at votis is quoque poſcit opem.
Jactatur tumidas exul Phœniſſa per undas,
Humidaque oppoſita lumina veſte tegit,
Tum primum Dido felix eſt dicta ſorori,
Et quæcunque aliquam corpore preſſit humum.
Figitur ad Laurens ingenti flamine littus
Puppis: & expoſitis omnibus, hauſta perit.
Jam pius Æneas regno nataque Latini
Auctus erat: populos miſcueratque duos.
Littore dotali ſolo comitatus Achate,
Secretum nudo dum pede carpit iter;
Adſpicit errantem: nec credere ſuſtinet Annam
Eſſe

585. *Vela cadunt*] Ut mos eſt nautarum, cum prope portum ſunt, & remis incumbunt.

587. *Dumque parant*] Inituri portum, à vento repelluntur. *Subducere*] removere ex antemnis. *Carbaſa*] Vela. *Torto lino*] Aut pro torti lini. Aut *torto lino*, rotaris ſeu obverſis antemnis. *Paul. Torto lino*] Nihil aliud ſunt quam funes quibus vela laxantur, aut in altum panduntur. *Neapol.*

588. *Puppis aduncа*] Curva. *Percutitur rapido Noto*] Celeri & furioſo: nam ratem ipſam per medium fretum in patentiores aquarum campos ille turbo tranſtulit.

589. *In æquor patens*] In apertum & ſpacioſum mare. *Pugnante*] Incaſſum reluctante. *Magiſtro*] Gubernatore navis.

590. *Et humus viſa*] Quam prius viderant. *Refugit ex oculis*] Quia jam longius eos impulerat ventus.

591. *Imo gurgite*] Quaſi ab imo fundo.

592. *Vertitur*] Eruitur. *Et alveus*] Curva navis, ad alvei ſimilitudinem. *Haurit canas aquas*] Quæ tum maxime caneſcunt, cum ventis aguntur.

594. *At votis*] Utebatur ſcilicet; *Poſcit opem*] A diis ipſis.

595. *Phœniſſa exul*] Anna à Phœnicia.

596. *Oppoſita*] Ipſis oculis ne videret periculum. Demum appulere Laurenti litori, ubi periit navis: expoſitis tamen his qui in ea erant ſoſpitibus in terram.

601. *Jam pius Æneas*] Eo tempore quo Anna illuc appellabat, Æneas in Latio regnabat. *Auctus regno*] Auxerat imperium ſuum; nam præter illud quod ipſe conſtituit, ſoceri regnum erat aſſequutus. *Et nata Latini*] Lavinia, quam in conjugem acceperat.

602. *Duos populos*] Latinum & Trojanum. *Paul. Miſcueratque duos*] Trojanos & Latinos. *Neapol.*

603. *Comitatus ſolo Achate*] Qui perpetuus comes illi datur.

604. *Littore dotali*] Quod illi pro dote Laviniæ contigerat.

605. *Nec credere ſuſtinet*] Non poterat credere eam eſſe.

Eſſe (quid in Latios illa veniret agros?)
Dum ſecum Æneas; Anna eſt, exclamat Achates.
Ad nomen vultus ſuſtulit illa ſuos.
Quo fugiat? quid agat? quos terræ quærat hiatus?
Ante oculos miſeræ fata ſororis erant.
Senſit & alloquitur trepidam Cythereïus heros:
Flet tamen admonitu mortis, Eliſa, tuæ.
Anna, per hanc juro, quam quondam audire ſolebas
Tellurem fato proſperiore dari;
Perque deos comites, hac nuper ſede locatos;
Sæpe meas illos increpuiſſe moras.
Nec timui de morte tamen: metus abfuit iſte.
Hei mihi, credibili fortior illa fuit!
Ne refer. adſpexi non illo pectore digna
Vulnera, Tartareas auſus adire domos.
At tu, ſeu ratio te noſtris appulit oris,
Sive deus; regni commoda carpe mei.
Multa tibi memores, nil non debemus Eliſæ.

Nomine

608. *Suſtulit ſuos vultus ad nomen*] Cum audiſſet nomen ſuum ab aliis proferri, elevavit vultum & oculos, ut intueretur. *Paul. Suſtulit illa ſuos*] Recte multis ineſt, aut *rettulit*, aut *ſuſtinet*.

609. *Quos terra quærat hiatus*] Ne virum aſpiciat, qui cauſa mortis ſororiæ, Carthaginis occupatæ, exilii, & infauſtæ navigationis. *Paul. Heu fugiat*] Cum Æneam agnoviſſet, quid faceret, deliberat.

610. *Fata ſororis erant ante*] Cum primum vidit Æneam, venit in mentem lacrymabile ſororis fatum, quæ Æneæ cauſa ſibi mortem conſciverat.

611. *Senſit*] Æneas cognovit & pudorem, & dolorem, ac metum illius. *Et heros Cythereïus*] Æneas Cythereæ Veneris filius. Nam *Cytherea* dicta eſt Venus.

612. *Flet tamen*] Æneas. *Admonitu*] Recordatione. *Mortis tuæ*] Non potuit continere lacrymas, cum primum recordatus eſt acerbiſſimi caſus illius. *Paul.*

613. *Anna, per, &c.*] Æneas ſui diſceſſus cauſam in deos rejicit, ut excuſet ſe apud Annam. *Per hanc tellurem*] Per terram Italicam. *Quam quondam*] Cum Carthagine eſſem.

615. *Juro per deos comites*] Per Veſtam, & deos penates, quos mecum è Troja tuli. *Hac ſede*] Lavinii.

616. *Sæpe increpuiſſe moras*] Objurgaſſe & accuſaſſe nimiæ tarditatis. Sic excuſans ſe de fuga, culpam in deos refert.

617. *Nec timui de morte*] Non timui tantum illi mali, quod ſeipſam trucidaret. *Abfuit*] A me: quia id de illa non metuebam.

618. *Hei mihi*] Cum miſeratione dictum. *Illa fuit fortior credibili*] Hoc eſt, majoris animi quam credi potuiſſet, cum mortem ſibi conſciverit.

619. *Ne refer*] Non referas aliquid de ejus morte, quoniam omnia mihi nota.

620. *Auſus adire domos Tartareas*] Aſpexi, inquam, ego qui auſus ſum ad inferos deſcendere.

621. *At tu*] Anna. *Seu appulerit*] Sive aliqua ratione factum, quod conſulte & induſtria ad nos veneris.

622. *Sive deus*] Sive aliquod numen aut caſus te huc egerit. *Carpe commoda regni mei*] Quaſi fruere commodis omnibus mei regni.

623. *Nos memores*] Oſtendit gratitudinem animi. *Debemus multa tibi*] Cum

Nomine grata tuo, grata ſororis eris.
Talia dicenti (neque enim ſpes altera reſtat)
Credidit: errores expoſuitque ſuos.
Utque domum intravit Tyrios induta paratus;
Incipit Æneas: cætera turba ſilet.
Hanc tibi cur tradam, pia cauſſa, Lavinia conjux,
Eſt mihi, conſumpſi naufragus hujus opes.
Orta Tyro: regnum Libyca poſſedit in ora:
Quam precor ut caræ more ſororis ames,
Omnia promittit, falſumque Lavinia vulnus
Mente premit tacita, diſſimulatque fremens.
Donaque cum videat præter ſua lumina ferri
Multa palam, mitti clam quoque multa putat.
Non tamen exactum quid agat, furialiter odit,
Præparat inſidias, & cupit ulta mori.
Nox erat, ante torum viſa eſt adſtare ſorori
Squallenti Dido ſanguinolenta coma.
Et fuge, ne dubita, mœſtum fuge, dicere, tectum.

Sub

ſueris de nobis bene merita. *Nil non debemus Eliſæ*] Tibi multa, ſed Eliſæ debemus omnia.

625. *Talia dicenti credidit*] Anna commiſit ſe Æneæ, qui ita omnia offerebat. *Neque enim reſtat altera ſpes*] Nihil aliud uſquam erat, unde opem ſperare poſſet.

626. *Et expoſuit ſuos errores*] Quemadmodum] è Carthagine pulſa, mari jacta tandem illuc appulerit.

627. *Utque domum intravit, &c.*] Ubi Æneæ domum ingreſſa eſt, eam ille conjugi commendavit, dicebatque ſe ex officio facere. *Tyrios paratus*] Veſtes & ornatus Phœniſſos. Nam Tyrus in Phœnicia eſt. *Paul. Tyrios induta paratus*] Veſtes purpura & auro intextas. Vide & Virgil. 4 Æneid. *Neapol.*

629. *Cauſa pia*] Honeſta, & officioſa. *Cur tradam tibi hanc*] Annam tibi & tuæ fidei commendem. Utitur artificio commendationis, nam arguit ab æquitate rei, & exponit meritum & dignitatem.

630. *Conſumpſi opes hujus*] Quia diu fuerat Carthagine cum omni claſſe.

632. *Quam ames precor*] Proſequaris eam amore & benevolentia, ac ſi eſſet ſoror.

633. *Omnia promittit, &c.*] Annuit illa ſe omnia facturam, comprimit tamen dolorem: timebat enim, ne eſſet ea pro pellice adducta. *Vulnus falſum*] Dolorem intimum, injuſtum; non enim juſte dolebat.

634. *Et diſſimulat metus*] Occultat, & non palam oſtendit.

635. *Donaque cum videat, &c.*] Lavinia cum videret aperte ab Ænea ad Annam mitti munera, exiſtimabat longe plura mitti occulte. Concepit igitur in illam maximum odium, & inſidias quoque paravit. *Ferri*] Ad Annam. *Præter ſua lumina*] Juxta ſuos oculos.

637. *Exactum*] Diligenter exquiſitum. *Odit furialiter*] Inſectatur eam multo odio. *Furialiter* vero inquit, quia non juſto, ſed à furiis injecto. *Præparat inſidias*] Quibus hoſpitam perdat.

638. *Et cupit mori ulta*] Cum pellicem illam exiſtimaret, ulciſci volebat injuriam, & ulta mortem non curat, dum prius illam interimat.

639. *Nox erat*] Noctu per quietem viſa eſt admoneri à ſorore, ut fugeret.

640. *Dido ſanguinolenta*] Plena ſanguine. *Coma ſquallenti*] Fœdatis crinibus.

641. *Fuge, &c.*]Mœſtitiam allaturum.

642. *Sub*

Sub verbum querulas impulit aura fores.
Exilit: & velox humili ſuper arva feneſtra
Se jacit. audacem fecerat ipſe timor.
Quaque metu rapitur. tunica velata recincta
Currit, ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc cupidis rapuiſſe Numicius undis
Creditur, & ſtagnis occuluiſſe ſuis.
Sidonis interea magno clamore per agros
Quæritur. apparent ſigna notæque pedum.
Ventum erat ad ripas. inerant veſtigia ripis,
Suſtinuit tacitas conſcius amnis aquas.
Ipſa loqui viſa eſt, Placidi ſum Nympha Numici:
Amne perenne latens, Anna perenna vocor.
Protinus erratis læti veſcuntur in agris,
Et celebrent largo ſeque diemque mero.
Sunt quibus hæc Luna eſt, quia menſibus impleat annum:

Pars

642. *Sub verbum*] Quaſi in fine verborum illius. *Aura*] Ventus. *Fores querulas*] Stridulas: nam fores cubiculi crepuere, unde putavit hoſtes adeſſe.

643. *Exilit*] E ſtrato ſcilicet. *Et velox auſa*] Quæ pavore non retardaretur. *Illius*] De ipſo cubiculo. *Jacet*] Dejicit ſe. *Super feneſtra*] Hoc eſt, de feneſtra.

644. *Ille timor*] Quem conceperat ex crepitu januarum. *Audacem*] Ad fugam ſcilicet. P.

645. *Et rapitur cum metu*] Timebat quidem illa, & cum eo timore rapitur, quaſi rapeim fuga præcipitatur. *Velata*] Cooperta. P. *Tunica velata, &c.*] Diſcincta: hanc nunquam in cubili ponebant. *Neapol.*

646. *Currit*] Fugiens è Lavinio. *Ut dama*] Damæ ex generibus caprarum ſunt, ſed ſylveſtres.

647. *Corniger hanc, &c.*] Fugientem Annam Numicius amnis rapuit, factaque eſt nympha. *Numicius*] Fluvius, qui labitur ex Aricina ſylva per Laurentem agrum ubi ſubmerſum Æneam dicunt. *Corniger*] Omnes enim amnes cornua habere dicuntur. *Aquis tumidis*] Nam tunc erat auctus imbribus.

648. *Stagnis ſuis*] Aquis tunc ſtagnantibus.

649. *Sidonis interea, &c.*] Cum fugiſſe Annam conſtaret, miſſi ſunt qui eam inquirerent: invenere veſtigia, non tamen illam. *Sidonis*] Anna, à Sidone urbe Phœniciæ.

651. *Ventum erat ad ripas*] Qui inquirebant, venere ad ripas amnis. Numicius undarum fluentium ſonitus compeſcuit, Annaque loqui cœpit, dicens ſe in nymphan eſſe mutatam, vocarique Annam Perennam. Illi qui vocem exaudivêre, celebravêre diem mero. Inde mos originem cepit. *Inerant veſtigia ripis*] Erant notæ pedum in ripa fluminea.

652. *Amnis conſcius*] Numicius, qui eam rapuerat. *Suſtinuit aquas tacitas*] Ne fluentes immurmurarent, quo vox Annæ loquiturnæ audiri poſſet, undis tacentibus.

653. *Nympha*] Dea. *Placidi Numici*] Quaſi nolite me ulterius quærere: nam in nymphan hujus amnis converſa ſum.

654. *Amne perenne*] Perpetuo delitescens in hoc fluvio. *Vocor Anna Perenna*] A perenni aquarum lapſu.

655. *Veſcuntur in agris erratis*] Per quos erraverant eam quærentes.

656. *Celebrent diem*] Quia lætum, & pompa frequentem.

657. *Sunt quibus hæc, &c.*] Hactenus de Anna Sidonia, nunc alias opiniones refert, alios ſcilicet putaſſe Annam Perennam eſſe Lunam, ea ratione, cum ipſa menſes

Pars Themin, Inachiam pars putat eſſe bovem,
Invenies, qui te Nymphen Atlantida dicant;
Teque Jovi primos, Anna, dediſſe cibos.
Hæc quoque, quam referam, noſtras pervenit ad aures
Fama: nec à vera diſſidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiam ſat tuta tribunis,
Fugit: & in ſacri vertice montis abit.
Jam quoque, quem ſecum tulerant, defecerat illos
Victus, & humanis uſibus apta Ceres.
Orta ſuburbanis quædam fuit Anna Bovillis
Pauper,

menſes efficiat, & ex menſibus annus conſtet, videtur & ipſa anno quoque dominari, & ſic Annam Perennam vocari. Alii dixère Themin, quæ Cœli & Terræ filia, divinandi artem, & ſacra cultuſque deorum introduxiſſe dicitur. Multi Iſim vetuſtiſſimam Ægyptiorum deam putaverunt: quod ea quæ leges Ægyptiis dederat, annum quoque civilem illis conſtituit. *Quia impleat*] Perficiat annum menſibus.

658. *Putat Themin*] Quæ in Parnaſſo oracula reddebat. *Bovem Inachiam*] Hoc eſt, Iſidem, quæ prius Io dicebatur, Inachi regis Argivorum filiam, à quo & Inachus fluvius. Quæ violata ab Jove, mutata deinde in vaccam, cum diu erraſſet, in Ægyptum tandem venit: ubi reſtituta illi priore forma, Iſis appellata eſt, & Oſiridi Jovis filio nupſit. P.

659. *Nymphen Atlantida*] Unam è filiabus Atlantis, quam volunt Jovis fuiſſe nutricem. *Ant.*

661. *Hæc quoque*] Refert, & aliam opinionem, quam veriorem eſſe aſſerit. *Paul. Hæc quoque, quam, &c.*] Hanc forte aniculam quandam fuiſſe Bovillanam: quæ cum plebi victum neceſſarium præbuiſſet eo tempore, quo indignans ſuam vicem à magiſtratu abiiſſe, à patribus ſeceſſit in ſacram montem; ob id inita pace, illi à grata plebe ſignum erectum, & feſta annua conſtituta.

663. *Plebs vetus*] Contigit anno Urbis conditæ cclix. *Neap. Vetus plebs*] Antiquus populus Romanus. *Etiam tum tuta nullis, &c.*] Ad ea uſque tempora nondum creatis ex plebe tribunis, ad ejus defenſionem: nam tum primum creati ſunt.

664. *In vertice montis, &c.*] Quo ſeceſſerat. *Sacer mons* trans Anienem fluvium ultra tertium miliarium appellatur, quia Jovi fuerat conſecratus. *Paul. Fugit & in, &c.*] Conſulibus invitis, L. Sicinio quodam auctore: nolebat jam ferre diutius Magiſtratus & Senatus Superbiam, avaritiam nobilium fœneratorum, imo crudelitatem: ſævichant illi vinculis & verberibus in pauperum & civium corpora, ob ipſorum debita. Legito fuſius Hiſtoricos. *Sacri vertice montis*] Hic tumulus, qui trans Anienem primus occurrit via Nomentana, ibi plebs poſt reditum in urbem Jovi Fauno aram poſuit. vide Dionyſ. lib. 6. exinde mons ille ſacer appellatus: videtur ergo & antea nomen aliud habuiſſe. *Neapol.*

665. *Jam quoque victus*] Res ad victum facientes. *Quem ſecum tulerant*] Cum ex urbe ſeceſſerant. *Defecerat Ceres*] Panis, cujus uſum Ceres tradidit.

666. *Apta uſibus humanis*] Quæ convenit uſui humanæ vitæ.

667. *Bovillis ſuburbanis*] Quæ erant in ſuburbano. Nam duæ fuerunt Bovillæ: alterum in Latio, oppidum prope Lavinium de quo hic agitur: alterum in Campania, prope Sinueſſam. *Paul. Suburbanis Bovillis*] Hoc etiam epitheto donavit Propertius oppidum iſtud vetus Latinorum. Gentes dicti *Bovillani*; Græcis, Βοΐλλανοι: illud iiſdem Βοΐλλαι. De nominis origine vide Non. Marcellum cap. 11. *Neapol.*

668. *Multo*

Pauper, ſed mundæ ſedulitatis, anus.
Illa, levi mitra canos redimita capillos,
Fingebat tremula ruſtica liba manu.
Atque ita per populum fumantia mane ſolebat
Dividere. hæc populo copia grata fuit.
Pace domi facta, ſignum poſuêre Perennæ,
Quod ſibi defectis illa tuliſſet opem.
Nunc mihi, cur cantent, ſupereſt, obſcœna puellæ,
Dicere. nam coëunt, certaque probra canunt.
Nuper erat dea facta. venit Gradivus ad Annam:
Et cum ſeducta talia verba facit.
Menſe meo coleris: junxi mea tempora tecum:
Pendet ab officio ſpes mihi magna tuo.

Armi-

668. *Multa ſedulitatis*] Diligentiæ & induſtriæ.

669. *Illa*] Anna Bovilla. *Canos*] Seniles. *Mitra levi*] Innixos habebat illa crines mitra, Lydarum mulierum more. *Paul. Mitra canos incincta capillos*] Quid mitra, explicat Servius ad illud de Paride in VI. *Mœonia mentum mitra, &c.* Palliolum videtur fuiſſe muliebre, & capitis tegmen ſive tænia: nam Græcis μίτρα, ταινία, διάδημα. Ergo eadem cum rica, quæ *capitale*. Gloſſæ, *capitale*, κεφαλόδεσμον. Neap.

670. *Fingebat*] Componebat. *Manu tremula*] Senili & trementi. *Liba ruſtica*] Qualia rura fiunt.

671. *Fumantia mane*] Calida: & ob id fumantia, cum è furno eximeret.

672. *Hæc copia*] Abundantia liborum, licet exigua eſſet.

673. *Pace domi facta*] Ubi reconciliata eſt plebs patribus per Menenium Agrippam. *P. Pace domi facta*] Reconciliata eſt per Agrippam Menenium, miri eloquii virum; iſtac tamen lege, ut plebs haberet ſuos annuos Magiſtratus, quibus auxilio eſſet Latio adverſus Conſules & Nobilitatem, neve cui patrum ea munia capere liceret. Creati Tribuni pleb. primi L. Junius Brutus & L. Sicinius Bellutus. *Signum poſuêre*] Huic ergo putataram & ſignum poſitum Ovidius, non Jovi Δημητρίῳ, ut recenſuit accuratiſſimus Dionyſius. *Neap. Poſuêre ſignum*] Annæ Perennæ, erexit populus illi ſtatuam.

674. *Quod illa ferebat ſibi opem*] Succurrebat libis in ea rerum penuria. *Ipſis defectis*] Cum jam defeciſſent cibi. *Defectis*] indigentibus.

675. *Nunc mihi*] In his feſtis Annæ obſcœni quidam luſus referebantur, cum verbis quoque obſcœnis. Eam Poëta cauſam affert, quod ubi Anna relata eſt in deos, Mars ejus operam petiit ad Pallada conciliandam, cujus amore tenebatur. Quod cum illa ſe facturam promiſiſſet, retulit poſtea, ſe illam tandem exoraſſe, & amatorem quodam joco deluſit, de quo paulo poſt. *Cantent obſcœna*] Turpia: quod eo turpius, cum puellæ canerent. *P. Nunc mihi cur cantent*] Unde origo tot obſcœna canendi in feſto Annæ Perennæ. *Neap.*

676. *Nam coëunt*] Simul ipſæ puellæ. *Probra*] Vituperatione digna. *P.*

677. *Nuper erat Dea*] Cum Mars ad eam quæ ſequuntur: vivebat ſcilicet ille poſt plebis ſeceſſum. O vatum deliria! *Neap.*

678. *Cum ſeducta*] Cum Anna ab illis ſemota.

679. *Coleris meo menſe*] Quia celebratur feſtum tuum menſe Martio. *Junxi mea tempora tecum*] Quaſi feci menſem meum tibi eſſe communem. Et artificioſe arguit ab hac conjunctione, ut videatur illa debere id agere, ut illi opem præſter jure neceſſitudinis.

680. *Magna ſpes*] Quaſi plurimum ſpero in tua ſedulitate.

681. *Cur*

Armifer armiferæ correptus amore Minervæ
Uror: & hoc longo tempore vulnus alo.
Effice, Dî ſtudio ſimiles coëamus in unum.
Conveniunt partes hæ tibi, comis anus.
Dixerat, illa deum promiſſo ludit inani,
Et ſtultam dubia ſpem trahit uſque mora.
Sæpius inſtanti; Mandata peregimus, inquit:
Evictas precibus, vix dedit illa manus.
Gaudet amans, thalamoſque parat. deducitur illuc
Anna tegens vultus, ut nova nupta, ſuos.
Oſcula ſumpturus ſubito Mars adſpicit Annam,
Nunc pudor eluſum, nunc ſubit ira deum.
Ludis amatorem charæ, nova diva, Minervæ.
Nec res hac Veneri gratior ulla fuit.
Inde joci veteres obſcœnaque dicta canuntur:
Et juvat hanc magno verba dediſſe deo.
Præteriturus eram gladios in principe fixos;

Cum

681. *Correptus amore Minervæ*] Quaſi vehementer amo Palladem, quæ bellis præeſt, quemadmodum ego.

682. *Alo vulnus*] A Virg. accepit; *Vulnus alit venis.*

683. *Effice*] Id effectum reddas. *Ut Dî ſimiles ſtudio*] Quaſi qui in eodem officio verſemur. *Coëamus in unum*] Conjungamur.

684. *Hæ partes*] Hæc officia: quaſi dare operam ut ſimul coëamus.

685. *Illa Deum promiſſo ludit inani*] Deludebat Anna Martem: at cum nimium urgeret, retulit ſe Palladis animum inflexiſſe, paratumque eſſe ad conjugium. Cumque ille pararet nuptias, deducitur ad eum Anna velata luteo flammeo, tanquam nova nupta. Et cum ille eſſet eam oſculaturus, cognovit ſe ab illa deluſum. Hæc igitur erant, quæ in feſtis Annæ referebantur. *Promiſſo inani*] Vacuo, ſine effectu: quia non ſervabat promiſſa.

686. *Et trahit*] Protrahit. *Spem ſtultam*] Stulti Martis: nam ſtultum erat illud ſperare de Pallade. *Dubia*] Incerta: dicebat enim ſe obtemperaturam, ſed tempora protrahebat.

687. *Inquit inſtanti ſæpius*] Cum ſæpius & vehementius ille inſtaret, dixit. *Vix dedit illa manus*] Quaſi vix dedit ſidem, ita prius repugnabat, ut vix vinci potuerit.

689. *Amans*] Mars. *Credit*] Pallada ſcilicet victam. *Et parat thalamos*] Nuptias. *Ducitur illuc*] Ad Martem.

690. *Anna tegens vultus ſuos*] Flammeo ſcilicet. *Ut nova nupta*] Ut moris eſt, cum nova nupta ad virum deducitur.

691. *Subito aſpicit Annam*] Detecto enim vultu, aſpicit & cognoſcit illam.

693. *Ludis amatorem charæ*] Deludis Martem, qui Minervam amat.

696. *Et juvat*] Delectat ſpectatores. *Dediſſe verba*] Hoc eſt, eluſiſſe. *Magno Deo*] Marti. Hæc in feſtis Annæ referebantur. *Paul. Verba dediſſe Deo*] Idem fallere & verba dare.

697. *Præteriturus eram*] Iiſdem Martiis Idibus mors fuit C. Julii Cæſaris. Appian. lib. II. Annus ab V. C. DCCIX. ut auctor Eutropius lib. VII. Dies ille nominatus *parricidium*, quod ex Suetonio liquet lib. I. cap. 88. ac decretum, ne unquam eodem Senatus ageretur: atrum enim pronuntiarunt. Vide Dionem lib. 47. *Neapol. Præteriturus eram gladios in principe fixos*] Idibus Martiis C. Cæſar interfectus eſt, & ex quidem dies Parricidium nominabatur, nec ſenatus unquam cogebatur, in tanta ca-

dis

Cum ſic à caſtis Veſta locuta focis :
Ne dubita meminiſſe : meus fuit ille ſacerdos :
Sacrilegæ telis me petiêre manus.
Ipſa virum rapui, ſimulacraque nuda reliqui.
Quæ cecidit ferro, Cæſaris umbra fuit.
Ille quidem cœlo poſitus Jovis atria ſervat ;
Et tenet in magno templa dicata foro.
At quicunque nefas auſi, prohibente deorum
Numine, polluerant pontificale caput ;
Morte jacent merita. teſtes eſtote Philippi,
Et quorum ſparſis oſſibus albet humus.
Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuêre
Cæſaris ; ulciſci juſta per arma patrem.

Poſtera

dis mœſtitiam. Erat hoc præteriturus Poëta, ne forte refricaret lacrymas. Monitus tamen à Veſta, cujus ſacerdos fuerat Cæſar, ne vereretur. Nam & cœlo receptus eſt Cæſar, & de conjuratis ſupplicium ſumptum.

699. *Ne dubita meminiſſe*] Non vereàris de eo mentionem facere. *Ille*] Cæſar. *Fuit meus ſacerdos*] Nam fuit Pontifex Maximus. *Paul. Meus fuit ille ſacerdos*] Quia tunc erat Pontifex Maximus, ad quem ſacrorum omnium ſuprema cura pertinebat : Vide Caſſium & Plin. de Domitiano lib. 4. Epiſt. 11. *N.*

700. *Petiere*] Quaſi meipſam vulnerarunt : nam qui Pontificem meum violarunt : in meipſam manus injecerunt.

701. *Ipſa virum rapui*] Eripui ego è manibus eorum Cæſarem, & in cœlum retuli. *Reliqui, &c.*] Quaſi umbram ſine corpore.

704. *Templa dicata*] Conſecrata. *In magno foro*] In foro Romano. *P. Templa dicata foro*] Sed hic honos cum aliis à triumviris decretis ; ut Dio teſtatur lib. 47. & Appian. lib. 2. de Foro in quo excitata pompa funeris. Aram illam plebs eo in loco, quo rogus fuerat, exſtruxit, ut Cæſari tanquam Deo ſacra ibi fierent : ſed Conſulum juſſu illico ſubverſa ; auctores etiam ſupplicio affecti, eodem Caſſio teſte. Templum ei erectum triennio ab obitu, cœpto anno V. C. Dccxii. M. Lepido, & L. Blanco Coſſ.

705. *At quicunque nefas auſi*] Horum nomina vide in notis Caſauboni ad lib. 1. Suetonii. *Neap. Auſi nefas*] Auſi tam indignum facinus. *Prohibente numine*] Quam contra deorum voluntatem.

706. *Polluerant*] Fœdaverant, ſeu violaverant. *Caput pontificale*] Cæſaris pontificis.

707. *Jacent morte merita*] Quam meruerunt. *Eſtote teſtes Philippi*] Campi ubi Brutus & Caſſius principes conjuratorum, alter ſua, alter ſervi manu confecti ſunt, & Cæſ. Octavio ultori victoria parata. Philippi civitas eſt in Macedoniæ finibus. *P. Teſtes eſtote Philippi*] Vix omnes triennio ſupervixêre : ut hic de Caſſio & Bruto loquitur, qui ad Philippos profligati. *Neap.*

708. *Albet humus*] Nam omnes illi parricidæ mortui & inſepulti jacuere. Sic ex oſſibus inhumatis albeſcere videbatur tellus.

709. *Hoc opus, &c.*] In laudem Octavii Cæſaris, qui paternam mortem ad interneciouem inimicorum ultus eſt, & Marti Ultori ædem conſecravit. *Hæc pietas*] Filii in parentem. *Hæc fuerunt prima elementa Cæſaris*] Octavii fuere magna & pia initia rerum agendarum, quibus ad ſummum imperium promotus eſt. *P. Hoc opus, hæc pietas*] Laudat Octavium Auguſtum à pietate, qui auſpicatus rerum geſtarum gloriam ab ultione paterna : hinc paſſim virtus illa in hoc Cæſare laudata ; imo in nummis poſteris relicta. *Neapol.*

710. *Juſta arma*] Juſtum enim erat ulciſci patris necem.

711. *Po-*

POstera cum teneras Aurora refecerit herbas;
Scorpios à prima parte videndus erit.
TErtia poſt Idus lux eſt celeberrima Baccho.
Bacche, fave vati, dum tua feſta cano.
Nec referam Semelen; ad quam niſi fulmina ſecum
Jupiter afferret; parvus inermis eras:
Nec puer ut poſſes maturo tempore naſci,
Expletum patrio corpore matris onus.
Sithonas & Scythicos longum narrare triumphos,
Et domitas gentes thurifer Inde tuas.
Tu quoque Thebanæ male præda tacebere matris,
Inque

711. *Poſtera cum*] Scorpius ipſe propter magnitudinem membrorum in duo ſigna dividitur, quorum priorem partem Libram dixerunt. *Aurora refecerit*] Rore madefecerit herbas teneras. *Paul. Poſtera cum teneras*] xvii. Kalendas Apriles Scorpius medius occidit, eadem fere die Euctemone, Geminus poſt Solis tranſitum in Piſces. *Neap.*

712. *A prima parte*] Aut poſt primam partem, hoc eſt, poſt chelas.

713. *Tertia poſt Idus lux eſt*] Hoc eſt, decima ſeptima die Martii feſtum erit Bacchi, quo die ad liba populus conveniebat in ejus honorem, & pueri relicta prætexta virilem togam ſumebant. *Paul. Tertia poſt Idus*] xvi. Kalendas erant *Liberalia* Libero patri ſacra. Sic cogor ſcribere, ut ſequar vetus Kalendarium, quod ad unguem & noſter ſequitur; unde ſuſpicor hîc nolentem Ovidium lapſum: nam III. poſt Idus eſt XV. Kalendas. Quod ſi verum tempus Liberalium, non ſuccedunt Quinquatria XIV. Kalendas: & hoc certiſſimum. *Neap.*

715. *Nec referam Semelen*] Non agam nunc de matre tua Semele, quæ perſuaſa à Junone, non aliter credens Jovi ſuccumbere, niſi ea ſecum majeſtate congrederetur, qua cum Junone exanimata eſt. *Semelen*] Matrem tuam, ex Harmonia Veneris filia, & Cadmo natam.

716. *Tu eras parvus*] Parvi nominis: quia non creditus Jovis filius.

717. *Nec puer ut poſſes, &c.*] Extincta Semele fulmine, quæ abortum fecit, in Jovis femur Bacchus receptus eſt; ideo hic, *Nec referam* ſcilicet *Tempore*] Ut naſcaris perfecto tempore partus.

718. *Opus matris*] Officium maternum. *Corpore patrio*] Hoc eſt, in Jovis femore.

719. *Biſtonas & Scythicos, &c.*] Nolo commemorare nunc victorias tuas, & triumphos toto orbe partos. *Longum eſt memorare Biſtonas*] Quaſi quia longum eſſet, nolo nunc commemorare Thracas, qui *Biſtones* dicuntur, à Biſtone fluvio. *Et Scythicos triumphos*] Quos è Scythia retuliſti.

720. *Et domitas gentes thuris*] Quaſi non agam de Arabibus à te victis, apud quos thus naſcitur. *Et inde tuas*] Gentes ſcilicet domitas. Indiam enim totam domuit. *Paul. Gentes thuris & Inde tuas*] Geſta hæc Bacchica vera, quidam ex antiquis credit, ut Megaſthenes cum paucis; Eratoſthenes vero de rebus Indicis bene meritus, ἄπιστα καὶ μυθώδη: uterque apud Strabonem lib. xv. *Neap.*

721. *Tu quoque Thebana mala præda, &c.*] Nec dicam nunc de Pentheo Thebano, aut Lycurgo Thraceo. Pentheum enim Thebis Bacchi ſacra ſpernentem, atque prohibentem, Agave mater interfecit; cujus fabula refertur in 3 Metam.. Et Lycurgum dicunt, dum Bacchi vites incideret, crus ſibi abſcidiſſe. *Tu quoque*] O Pentheu. *Mala præda matris*] Qui ab Agave matre tua Thebana diſcerptus es.

722. *Alte*

Inque tuum furiis acte Lycurge genu.
Ecce libet ſubitos piſces, Tyrrhenaque monſtra
Dicere. ſed non eſt carminis hujus opus.
Carminis hujus opus, cauſas expromere; quare
Vitiſator populos ad ſua liba vocet.
Ante tuos ortus aræ ſine honore fuêre,
Liber, & in gelidis herba reperta focis.
Te memorant Gange, totoque oriente ſubacto,
Primitias magno ſepoſuiſſe Jovi.
Cinnama tu primus captivaque thura dediſti,
Deque triumphato viſcera toſta bove.
Nomine ab autoris ducunt Libamina nomen,
Libaque: quod ſacris pars datur inde focis.
Liba deo fiunt: ſuccis quia dulcibus ille
Gaudet,

722. *Acte furiis*] Qui à furiis impulſus es. *In tuum genu*] Nam dum putabas vites incidere, crus à genu abſcidiſti. *Paul. Acte Lycurge*] Vide Diod. Siculum lib. III. Bibliotheces. *Neap.*

723. *Ecce libet, &c.*] Vellem commemorare Tyrrhenos nautas, ſed non pertinet ad præſens argumentum: de his etiam in Meram. *Piſces ſubitos*] Delphinos repente factos. *Monſtra Tyrrhena*] Tyrrhenos nautas, in delphinos ſubito converſos.

725. *Opus hujus carminis eſt*] Quaſi pertinet ad hoc carmen.

726. *Vilis anus vocet populum ad ſua liba*] Vetula quæ liba finxerit, ad ea populum vocat: nam ab ea accipit populus in feſto Bacchi. *Paul. Populus ad ſua liba*] Illa, ſeu melius illæ: nam plures erant quæ tranſeuntes quoſlibet ad liborum emptionem invitabant, & pro emptore ſacrificabant, libi empti parte foculo indita. Vide Varron. lib. V. de L. L. Fiebant & Liberalibus ludi Scenici, idque ſub finem narratiunculæ noſter adſignificat. *Neap.* Heinſ. hic leg. *Vitiſator.*

727. *O liber*] O Dionyſi, ſeu Bacche. *Sine honore*] Sine ſacrificio. *Tuos ortus*] Antequam tu natus eſſes, &c.

728. *Herba fuit, &c.*] In locis ubi poſt ortum Bacchi aræ ſunt conſtitutæ, herba erat, ideo foci gelidi: nullus erat in ea uſus ignis, nulla victima torrebatur.

729. *Subacto Gange, &c.*] Poſtquam domuiſti & ſubegiſti populos totius orientis, Indos præſertim, per quos Ganges fluvius ſeptem alveis fluit in orientem ſolem.

730. *Suppoſuiſſe*] Obtuliſſe Jovi primitias prædæ & fructuum partes, primitiæ enim fructuum diis offerebantur.

731. *Cinnama*] Quæ quidem naſcuntur in Æthiopia Troglotide, teſte Plin. *Et thura captiva*] Captivorum Arabum, quos ſubegiſti, tu primus ea diis concremaſti.

732. *De bove triumphato*] De bove rapto ab hoſtibus, de quibus triumphaſti.

733. *Libamina*] Libationes, quæcunque in ſacris libantur. *Ducunt nomen à nomine autoris*] A Libero patre, qui primus Jovi libavit, dicta ſunt *libamina*. Et inde liba. *Paul. Ducunt Libamina nomen*] Plutarch: Διὰ τί τὸν Διόνυσον λίβυρνα πάτρια καλοῦσιν, &c. Ab hoc etymo lux jam advenit illis paulo poſt: *Sive quod es Liber, veſtis quoque libera per te Sumitur, & vita liberioris iter*] Neapol.

734. *Quod pars*] Liborum ſcilicet. *Inde*] A Libationibus. *Datur ſanctis focis*] Offertur aris.

735. *Fiunt deo*] Hoc eſt, Ipſi Baccho. *Gaudet dulcibus ſuccis*] Hac cauſa liba Baccho offeruntur, quia dulces ſucci & liquores illi grati ſunt. *Paul. Succis quia dulcibus*] Vide Athenæum lib. III.

Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.
Ibat arenoſo Satyris comitatus ab Hebro.
(Non habet ingratos fabula noſtra jocos)
Jamq; erat ad Rhodopen, Pangæaque florida ventum;
Æriferæ comitum cum crepuêre manus.
Ecce novæ coëunt volucres tinnitibus actæ,
Quaque movent ſonitus æra, ſequuntur apes.
Colligit errantes, & in arbore claudit inani
Liber: & inventi præmia mellis habet.
Ut Satyri leviſque ſenex tetigêre ſaporem;
Quærebant flavos per nemus omne favos.
Audit in exeſa ſtridorem examinis ulmo:
Adſpicit & ceras, diſſimulatque ſenex.
Utque piger pandi tergo reſidebat aſelli;
Applicat hunc ulmo corticibuſque cavis.
Conſtitit ipſe ſuper ramoſo ſtipite nixus:
Atque avide trunco condita mella petit.

Millia

Ἐξῆς ἐπασχέθη πλακοῦς ἐκ γάλακτος τριῶν τε καὶ μέλιτος, ὃν Ῥωμαῖοι λίβον καλοῦσι. Neapol.

736. *Mella reperta à Baccho*] Quaſi mellis inventionem Baccho aſſignant.

737. *Ibat*] Bacchus. *Comitatus Satyris*] Qui ſunt ejus comites. *Ab Hebro arenoſo*] Hebrus Thraciæ fluvius prope Ænon urbem in mare Ægeum influit. *Paul. Satyris comitatus*] Bene noſter hos alicubi vocat, *præviam Dei turbam*. N.

739. *Jamque erat ventum*] Jam venerat ad Rhodopen. Rhodope mons eſt Thraciæ. *Et ad Pangæa flumina*] Ad fluvios è Pangæo ſcaturientes. Pangæum enim Thraciæ promontorium Beſſis conterminum, & Macedoniæ junctum.

740. *Manus comitum*] Satyrorum, & Mœnadum. *Æriferæ*] Geſtantes, tam cymbala quam ærea inſtrumenta, quibus colliſis tinnitus ederetur. *Concrepuêre*] Inſonuere. *Paul. Æriferæ manus*] Quæ cymbala ferebant: illa enim ex ære & cava, unde Propert. *ara rotunda Cybeles*. Neap.

741. *Ecce volucres novæ*] Apes illic tunc ignotæ. *Actæ tinnitibus*] Sonitibus, quæ fiunt ex æris verberatione. *Coëunt*] Congregantur.

742. *Apes ſequuntur æra*] Æris tinnitum. *Quæ movent ſonitus*] Quaſi quo fient tinnitus æris, eo ſequuntur & apes. *Paul. Æra ſequuntur apes*] Vide Plinium Hiſt. Naturalis lib. XI. cap. XX. *Neapol.*

743. *Collegit errantes*] Eas ſcilicet apes tinnitus ſequutas. *Claudit in arbore inani*] Hoc eſt, in cavo arboris trunco.

744. *Præmia*] Habet laudem inventionis mellis: nam veræ laudes ſunt virtutis præmia.

745. *Ut Satyri*] Qui deguſtaverant mella, capti ea dulcedine, inquirebant per ſylvas, ſi ea in cavis arboribus inveniſſent. *Et lenis ſenex*] Silenus. *Tetigere*] Guſtavere ſaporem mellis. *Paul. Leviſque ſenex*] Qua vocula adſpectat Sileni calvitiem. Glabro capite huno depinxit vetuſtas, & ore deformi. *Neap.*

747. *Senex*] Silenus. *Examinis*] Hoc eſt, apes ſtridentes, vel quas ipſe apes, putavit, cum eſſent crabrones, & veſpæ. *In ulmo exeſa*] Quam vetuſtas exederat.

748. *Et diſſimulat*] Quia videbatur non vidiſſe, ne alii quoque adverterent.

749. *Piger*] Quia ſenex. *Reſidebat tergo*] Sedebat in curvo tergo aſelli.

750. *Applicat hunc*] Aſellum. *Ulmo*] Non enim deſcendit ex aſello, ſed cum eo ad ulmum acceſſit, & arborem ipſam aſcendit.

752. *Petit mella condita*] Quæ ipſe illic

Millia crabronum coëunt, & vertice nudo
Spicula defigunt oraque ſumma notant.
Ille cadit præceps, & calce feritur aſelli;
Inclamatque ſuos auxiliumque rogat.
Concurrunt Satyri, turgentiaque ora parentis
Rident. percuſſo claudicat ipſe genu.
Ridet & ipſe deus: limumque inducere monſtrat.
Hic paret monitis, & linit ora luto.
Melle pater fruitur: liboque infuſa calenti
Jure repertori candida mella damus.
Fœmina cur præſit, non eſt rationis opertæ.
Fœmineos thyrſo concitat ille choros.
Cur anus hoc faciat quæris? vinoſior ætas
Hæc erat, & gravidæ munera vitis amans.
Cur hedera cincta eſt? hedera eſt gratiſſima Baccho.

Hoc

lic eſſe exiſtimabat. *Truncos*] Ipſius ulmi.

753. *Coëunt crabronum millia*] Quaſi innumeri crabrones conveniunt.

754. *Spicula*] Aculeos. *Vertice nudo*] Nudato & detecto Sileni capite. *Et notant*] Signant aculeis. *Prima ora*] Vultum ipſum in ſuperficie.

755. *Ille*] Silenus. *Cadit præceps*] Decidit ex arbore cum capite deorſum.

756. *Et auxilium*] Ut ipſi ſuccurrant, quia tollere ſe humo non poterat.

757. *Satyri concurrunt*] Ad clamorem Sileni. *Et rident ora turgentia*] Vultum jam tumefactum crabronum ſpiculis infixis. *Parentis*] Ipſius Sileni ſenioris. *Ille*] Silenus.

758. *Claudicat genu percuſſo*] Quod calce percuſſerat aſellus.

759. *Ridet & ipſe deus*] Bacchus, Non ſine artificio fabellas hujuſmodi immiſcet, quoniam ſacra & feſta Bacchi joco & riſu abſolvebantur. *Inducere limum*] Lutum: hoc eſt, ſuperponere ori tumenti lutum. *Paul. Linimenta inducere*] Ad ictuum medelam. Optimum, aqua etiam ex raphani foliis faciem linire: habes è Plinio lib. XX. cap. IV. *Neapol.*

760. *Hic*] Silenus. *Paret monitis*] Facit quod ille monuerat, & linit ora luto, ut augeret riſum.

761. *Fruitur*] Hoc eſt, veſcitur melle, cujus uſum adinvenit. *Mella ſplendida*] Nitentia.

762. *Repertori*] Baccho: merito liba calentia melle infuſa, Libero patri offeruntur, cui mellis inventio aſſignatur, & à quo libamina ipſa dicuntur.

764. *Fœmina*] Cur fœmina potius quam mares, huic liborum muneri præpoſita ſit. *Non eſt operta*] Sed manifeſtæ rationis. *Cur præſit fœmina*] Cur fœmina ſit, quæ ad liba populum vocet.

765. *Ille*] Bacchus. *Concitat*] Commovet. *Thyrſo*] Quæ eſt haſta pampinis involuta. *Choros fœmineos*] Quos ſecum ducit: nam ducebat Mœnadas.

766. *Cur anus*] Nunc illud quærit, cur vetula id faciat: ratio eſt, quod anus plus appetit & plus vini haurit, quam adoleſcentula: illa enim ſenilis ætas cum ſit effœta, & parum ſanguinis habeat, & ob id frigeat, vino alitur, calet, & vires ſuſcipit.

767. *Et amat munera vitis gravidæ*] Amat vina & uvas, quæ è gravida vite leguntur, & unde vinum exprimitur.

768. *Cur hedera cincta eſt*] Quærit hederæ cauſam: nam anus illa hedera cingitur: & Mœnades, & quæcunque Baccho ſacrificantes, hedera utebantur. Poëta originem moris occupatur ab incunabulis Bacchi: quoniam nymphæ, quæ educabant, regebant cunas hedera, ne puer à Junone videretur. *P. Cur hedera hæc cincta eſt*] Has vetulas coronatas hedera ſacrificaſſe, jam ſupra conſuadet M. Varro. *Neapol.*

Hoc quoque cur ita ſit, dicere nulla mora eſt.
Nyſiades Nymphæ, puerum quærente noverca,
Hanc frondem cunis oppoſuêre novis.
Reſtat, ut inveniam; quare toga libera detur
Lucifero pueris, candide Bacche, tuo.
Sive, quod ipſe puer ſemper, juveniſque videris;
Et media eſt ætas inter utramque tibi;
Seu quia tu pater es, patres ſua pignora natos
Commendant curæ numinibuſque tuis.
Sive, quod es Liber, veſtis quoque libera per te
Sumitur, & vitæ liberioris iter.
An quia, cum colerent priſci ſtudioſius agros,
Et

768. *Nulla mora eſt dicere*] Non retardabor dicere hoc quoque cur ita ſit.

769. *Nymphas Nyſiades*] A Nyſa urbe Arabiæ, quibus ab Jove nutriendus eſt datus puer. *Quærente noverca*] Dum quæreret privignum Juno, quæ eum perdere volebat. *P. Nyſiades Nymphas*] Hæc una ex cauſis inter ſexcentas, quas Mythici referunt. *Neapol.*

770. *Oppoſuiſſe hanc frondem cunis*] Quaſi texiſſe cunas, ubi puer jacebat, hedera.

771. *Reſtat, ut inveniam*] Secunda pars propoſiti. Eo Bacchi feſto menſe Martio, adoleſcentes nobilium filii, relicta prætexta, virilem togam ſumebant, cauſas eas affert, vel quod adoleſcens Bacchus fingeretur: vel quod pater dicatur, jure à patribus illiſfiliós commendari: vel quia Liber eſt. In ejus feſto libera accipienda toga, ut & illis liberior vita permittitur: vel quod tum maxime dabatur, cum rei ruſticæ veteres incumbentes urbem in feſto Bacchi repetebant, quo adeſſent, & eo die pueris toga daretur. *Toga libera*] Qua ratione liberior veſtis detur. *P. Toga libera, &c.*] Dicit eos, qui jam ad xvi. pervenisſent, Liberalia potiſſimum exſpectaſſe, ad togam ejuſdem fere nominis aſſumendam. Addam firmandæ totius rei hoſce qui ſequuntur: *Ergo ut tyronum celebrare frequentia poſſit, Viſa dies danda non aliena toga. Tyrones*, apud veteres erant, quibus depoſita prætexta ob ætatem adultam, virilis jam ſeu libera, ſeu pura, ſeu recta (εὐθύνμα hanc hujus togæ) amiciri dabatur: unde tyronum ipſa actio. *Neapol.*

772. *Tuis luciferis*] Tuis feſtis.

773. *Sive quod ipſe puer*] Vel quod ſemper tu videris adoleſcens. *Semper juvenis*] Ex his duabus ætatibus, hoc eſt, puero & juvene, erit adoleſcens: quia nec penitus puer, nec omnino juvenis. *Paul. Juveniſque videris, &c.*] Hinc ille Euripidi διφυὴς. Fuit & apud antiquos Bacchus χαιταγώγος. Græci ſuam innuunt cauſam, διὰ τὸ τὰς ἀρχαίας πάλαι τὰς κωμοτροπεῖν. Neap.

774. *Et media ætas eſt tibi inter utrumque*] Ergo quia adoleſcens Bacchus fingitur, in ejus feſto adoleſcenti toga datur.

775. *Seu quia tu pater es*] Vel quia Liber pater diceris.

776. *Curæ & numinibus tuis*] Tuo numini & tutelæ filii commendantur, jure eo quo pater diceris.

777. *Sive quod es Liber*] Quia à libertate tu *Liber* diceris, & ſub tuo patrocinio ſunt urbes & populi, quibus tu autor es libertatis. *Veſtis quoque libera*] Toga ipſa liberior. *Per te*] Cui tu quidem præes, & ſumitur iter vitæ liberioris. *Paul.*

778. *Liberioris iter*] Acerbe jam ea ætate ferentis paternum jugum ſeu pædagogicum.

779. *An quia, cum colerent*] Quartam ob cauſſam cogitur referre humilia initia Scenicorum ludorum de quibus loquitur ex ſententia Varronis de Vita popul. Rom. à ruſticis ſcil. illa profecta.

Vide

Et patrio faceret rure ſenator opus,
Et caperet faſces à curvo conſul atro,
Nec crimen duras eſſet habere manus;
Ruſticus ad ludos populus veniebat in urbem:
Sed dis, non ſtudiis ille dabatur honos.
Luce ſua ludos uvæ commentor habebat:
Quos cum tædifera nunc habet ipſe dea.
Ergo ut tyronum celebrare frequentia poſſit;
Viſa dies dandæ non aliena togæ.
Mite caput pater huc placataque cornua vertas,
Et des ingenio vela ſecunda meo.
Itur ad Argeos, (qui ſint, ſua pagina dicet)

Hac,

Vide & Tertul. lib. de Spectacul. *Priſci ſtudioſius agros*] De more auctor Columella, de eodem etiam mutato, de quo conqueſtus initio operis. *Neapol. Colerent agros ſtudioſius*] Majore diligentia & cura rem ruſticam exercerent.

780. *Et Senatus*] Ipſi ſenatores. *Faceret opus*] Proſcinderet terram, effoderet, ſereret. *Rure patrio*] Agello paterno.

781. *Et cum Conſul caperet faſces*] Inſignia magiſtratus. *A curvo aratro*] Dum proſcinderet agrum.

782. *Habere manus duras*] Duratas aſſiduo labore agricolationis.

783. *Populus ruſticus*] Qui ruri erat. *Veniebat in urbem ad ludos*] Diebus feſtis urbem repetebat ex agris, ut ludis intereſſet.

784. *Sed illo honos*] Ludorum ſcilicet. *Dabatur diis, non ſtudiis*] Quaſi celebrabant diem feſtum in honorem deorum immortalium, non ad explenda deſideria illorum qui tunc in urbem redibant.

785. *Commentor uvæ*] Bacchus, qui occultum in ea fructum aperuit, & rationem oſtendit. *Habebat ludos ſua luce*] Suo die feſto exhibebantur ſib ludi.

786. *Cum tædifera dea*] Qui hoc tempore ſibi & Cereri ſimul eiuntur. Prius enim ſoli Bacchio fiebant, poſteritas illos cum Cerealibus junxit, nec ab re, cum Dionyſius ſecundus Cereris filius creditus ſit. Ipſaque *Ceres tædifera* dicitur, quod tæda accenſa filiam Proſerpinam quærebat. Sacerdoteſque ejus tæda quoque ſacra celebrabant: unde appellati ſunt Δαδοῦχοι, à Δᾶς Δᾴδος, quod eſt tæda, & ἴ'χω habeo. *Paul. Nunc habet illa dea*] Forſan huc pertinent illa Cypriani: *Caterum reliqui, dum urbem fames occupaſſet, ad vocationem populi acquiſiti ſunt ludi Scenici, & Cereri & Libero dicati poſtmodum.* Neap.

787. *Ergo ut frequentia tyronum*] Ut multitudo adoleſcentium frequens ex agris in urbem rediens.

788. *Dies*] Hæc ſcilicet, qua feſtum Bacchi celebratur. *Non eſt viſa aliena*] Sed conveniens. *Danda togæ*] Qua toga adoleſcenti daretur.

789. *Mite pater caput, &c.*] Bacchum precatur ut faveat, quo favente ejus numine cœptum opus proſequatur. *Vertas huc*] Ad me. *Caput mite*] Lene & benignum. *Et cornua placata*] Non irata, ſed quieta & ſenia.

790. *Et des vela ſecunda ingenio meo*] Hoc eſt, aſpirato ingenio meo, quo proſequar, & ad finem deducam inchoatum opus.

791. *Itur ad Argeos*] Eodem die quo Bacchi ſacra ſolennia fiunt, & die qui præceſſit, itur cum pompa ad templum Caſtoris & Pollucis. *Itur*] Cum pompa ſcilicet. *Ad Argeos*] Ad Argeorum, hoc eſt, Laconicorum deorum templa. *Qui ſint*] Argei ſcilicet. *Dicet ſua pagina*] Ubi inſcripta ſunt feſta ſtata. *Paul. Itur ad Argeos*] XV. & XVI. Kalendas Aprileſ ſacra in Argeis factitata: quid illi, Gloſſæ explicant. *Argi* arra, ἀρὶς ῥόμβος, emendat Scaliger,

Hac, ſi quid memini, præteritaque die.
Stella Lycaoniam vergit declinis ad Arcton
Milvius. hæc illa nocte videnda venit.
Quid dederit volucri, ſi vis cognoſcere, cœlum:
Saturnus regnis ab Jove pulſus erat.
Concitat iratus validos Titanas in arma,
Quæque fuit fatis debita, poſcit opem.
Matre ſatus Terra, monſtrum mirabile, taurus
Parte ſui ſerpens poſteriore fuit.
Hunc triplici muro lucis incluſerat atris
Parcarum monitu Styx violenta trium.
Viſcera qui tauri flammis adolenda dediſſet,
Sors erat, æternos vincere poſſe deos.
Immolat hunc Briareus facta ex adamante ſecuri:

Et

liger, *Argei ara*: malim, Argeæ aræ, ut ſit idem numerus, cum ſint etiam plures urbici Argei. Varro lib. IV. de L. L. & Livius: *Multa alia ſacrificia, locaque ſacris faciundis, quæ Argeos Pontifices vocant, dedicavit.* Hinc legimus paſſim in veruſtate nunc quintum, nunc ſextum Argeorum ſacrarium. *Neapol.*

792. *Hac die, & præterita*] Quia decimo ſeptimo & decimo ſexto Kalendas April. *Sicut memini*] Hoc dixit, quia erat in Ponto, & diu non interfuerat his feſtis.

793. *Stella Lycaoniam, &c.*] Ea nocte quæ ſequitur, oritur Milius. Stella eſt in ſeptentrionali parte cœli. *Vergit declivis*] Prona ſeſe inflectit. *Ad Arctos, &c.*] Ad urſam Lycaonis filiam. *Paul. Vergit declivis ad Arctos*] Eodem XVI. eſt Milvii occaſus, veſpertinus, Plinius tacit uno die tardiorem, lib. XVIII. cap. XXVI.

794. *Milvius*] Alii *Milius*. Hæc una ex ſemelicis & rapaciſſimis avibus: inde in proverbium abiit, *Milvius unguit.* Latinis etiam eſt *Circanea avis*, ab aſſiduo volatu & circuitione ſaltuum. *Neapol. Venit videnda illa nocte*] Quæ dicem pompæ ſequitur, ea quidem nocte ſe oſtendit.

795. *Quis dederit cœlum volucri*] Quis milvium inter aſtra collocarit. *Saturnus erat pulſus*] Jupiter filius patrem regno dejecit.

796. *Iratus*] Saturnus.

797. *Validos Titanas*] Fratres ſuos.

798. *Quæ fuit debita*] Quæ fatali neceſſitudine debeatur: illi maxime, qui monſtri illius exta adoleviſſet. Tentavit ergo eam opem immolationis belluæ.

799. *Fuit ſatus matre terra*] Bellua, quæ anteriore parte erat taurus, nata eſt ex terra. *Monſtrum mirabile*] Hoc eſt, monſtroſa bellua.

800. *Poſteriore*] Parte ſcilicet. *Fuit ſerpens*] Incipiebat à tauro, & deſinebat in anguem.

801. *Styx*] Inferna palus. *Violenta*] Propterea quod eſt irremeabilis unda. *Atris lucis*] In obſcuris ſylvis. *Hunc*] Taurum & anguem.

802. *Monitu trium Parcarum*]-Ita Parcis jubentibus, quæ tres ſunt, Clotho, Lacheſis, Atropos.

803. *Qui dediſſet viſcera tauri adolenda*] Qui tantum illum mactaſſet, & inteſtina cremaſſet.

804. *Erat ſors*] Erat reſponſum.

805. *Briareus*] De quo Virgilius: *Et centum geminus Briareus. Immolat hunc*] Taurum. *Securi facta ex adamante*] Tali igitur ſecuri Briareus belluam immolavit. *Paul. Immolat hunc Briareus*] Hic ille gigas centimanus, à quo *Κάρανος* dicta *Αἰγαία*: nam illi fuit nomen etiam *Ægæon*, teſte Heſychio. *Neapol.*

806. *Et*

Et jam jam flammis exta daturus erat,
Jupiter alitibus rapere imperat. attulit illi
Miliùs: & meritis venit in aſtra ſuis.
UNa dies media eſt: & fiunt ſacra Minervæ,
Nominaque à junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat. nec fas concurrere ferro,
Cauſſa, quod eſt illa nata Minerva die.
Altera, treſque ſuper ſtrata celebrantur arena:
Enſibus exſertis bellica læta dea eſt.
Pallida nunc pueri teneræque ornate puellæ;
Qui bene placarit Pallida; doctus erit.
Pallade placata, lanam mollire puellæ
Diſcite, jam plenas exonerare colos.

Illa

806. *Et jam, erat daturus exta flammis*] Quaſi tunc cremare volebat exta.

807. *Rapere*] Imperat ut diripiant exta, antequam adoleantur ab illo. *Attulit*] Exta ſcilicet. *Illi*] Jovi.

809. *Una dies media eſt*] Decimo quarto Kalendas Aprileſ, hoc eſt, decimo nono die Martii, incipiunt Quinquatria Minervæ, quinque diebus continuis celebrantur: qua quidem ratione multi putarunt, à quinario dierum numero *Quinquatria* dicta. Alii à Quinquatro die, de quo Pomp. Quinquatrus feſtivus dies dictus, quod poſt diem quintum Iduum celebraretur, ut triatrus, & ſexatrus, &c. Verum hæc Quinquatria feſta Poëta ita dicta oſtendit à quinque diebus junctis. Primo enim die fiebant ſacrificia, tribus ſequentibus gladiatores in theatro certabant, quinto die erat luſtratio tubarum ſonitu, & ſacrificia quoque fiebant. *Paul. Una dies media eſt*] xiv. Kalendas feſtum erat Minervæ, cui nomen *Quinquatrus*, *Quinquatres*, *& Quinquatria*. Neap.

811. *Prima dies vacat ſanguine*] Non effunditur primo die ſanguis, quia abſtinent eo die à pugna gladiatores. *Concurrere*] Congredi & confligere. *Ferro*] Armis. *Paul. Sanguine prima vacat*] Quia prima dies ſolemnitatis cenſebatur Minervæ γενέθλιος. Hujuſce diei mentionem facit Athenæus lib. 3. *Nec fas concurrere ferro*] Nec præluſionibus illis, quæ enſibus obtuſis fieri ſolitæ, & integro etiam die perdurare: ſed totum rei divinæ credo deſtinatum.

813. *Altera treſque ſuper*] Reliquis quatuor diebus gladiatores in circo nudis gladiis batuebant. Ludus hic gladiatorius in Panathenæis etiam obſervatus, ſed poſt Athenas dominæ urbi ſubditas, adeo ut mos à Romana religione videatur tralatitius. Philoſtratus in vita Apollonii Tyanæi lib. IV. cap. VII. *Strata celebrantur arena*] Rectius veteres *raſa*, hoc eſt, æquata & de induſtria ſic ſparſa. Inſtravit quondam inſania Principum pro illa minium & chryſocollam: non è ſolo uſque ad ſuperficiem: nam hæc dementia, ſed poſt multam arenæ injectionem, minium, aut aliud leviter ſparſum. *Neap. Altera treſque ſuper*] Quatuor ſequentes dies. *Celebrantur*] A gladiatoribus ipſis. *Arena ſtrata*] Arena theatri, quæ ſternebatur cum digladiandum erat.

814. *Dea bellica*] Pallas, quæ bellis præeſt. *Eſt læta enſibus exertis*] Exercitatione enſium in theatro.

518. *Palladæ*] Palladis numen. *Paul. Palladæ nunc pueri*] Hi eloquentiam à Minerva totis Quinquatriis expectebant. Vide Juvenalem Sat. X. Hinc etiam illis feſtis certamina Oratorum & Poëtarum exhibita. *Neapol.*

816. *Qui bene placarit*] Qui ſacrificiis placaverit, & propitium ſibi fecerit Palladis numen. *Erit doctus*] Quamcunque ſcilicet voluerit artem.

817. *Puellæ diſcant mollire lanam*] Quaſi exercere lanificium. *Placata*] Sacrificio

Illa etiam ſtantes radio percurrere telas
Erudit, & rarum pectine denſet opus.
Hanc cole, qui maculas læſis de veſtibus aufers:
Hanc cole, velleribus quiſquis ahena paras.
Nec quiſquam invita faciet bene vincula plantæ
Pallade; ſic Tychio doctior ille licet,
Et licet antiquo manibus collatus Epeo
Sit prior; invita Pallade, mancus erit.
Vos quoque, Phœbea morbos qui pellitis arte;
Munera de veſtris pauca referte deæ.

Nec

crificio ſcilicet, & donis, & precibus. *P. Lanam mollire*] Carminare, ἔριον ξαίνειν, à quo ξαίνιον, inſtrumentum ad purgandas lanas rudes: hæc Græcis, ἄγρα ἔριον.

819. *Stantes telas*] Licia jugo annexa. Hoc lignum, in quo tamen extenditur: noſter, *tela jugo juncta eſt.* Idem jugum, & ἰσόν. *Radio percurrere*] Stamini tramam interponere. *Neap. Illa erudit*] Inſtruit & docet. *Percurrere telas ſtantes*] Firme manentes. *Radio*] Quaſi docet texere pannum, cum tenta in longum fila percurrunt radio, qui cum alio filo interjicitur: deinde pectine pendenti, ad conjungenda denſandaque fila, ipſa verberantur.

820. *Et denſat*] Denſare docet. *Opus*] Ipſum pannum. *Pectine*] Pectinis percuſſione.

821. *Cole hanc*] Palladem. *Maculas de veſtibus læſis*] Infectis: id eſt, colite eam fullones, qui veſtes & pannos ab omni macula expurgatis. *P. Læſis de veſtibus aufers*] Fullones, qui ſulphure, nitro, cimolia, ſordes è veſtibus eluunt: qui plures olim in urbe, ob togas miri candoris: quas ab uſu pallidas bis & quater lego lotas. Fullo Græcis, πλυντὴς, ars πλυντικὴ: ſed hæc tantum quæ lavat & purgat perditos maculatoſque pannos.

822. *Quiſquis ahena paras*] Infector & affector: de quibus vocibus vide Feſtum. *Ahena* vero *parare*, nihil aliud, quam in iisdem quæque miſcere ad lanas fucandas: unde *Sidonium ahenum*, in quo purpureas tingebant. *Neapol. Paras ahena*] Vaſa ærea. *Velleribus*] Quiſquis pro tingendis, aut precioſo liquore inficiendis pannis vaſa paras, ſacrificiis placato Pallada.

823. *Nec quiſquam faciet bene vincula*] Nemo poterit bene facere calceos: à vinciendo dicta, quia pedes vinciunt. *Invita Pallade*] Niſi Pallas faverit.

824. *Sit ille doctior Tychio*] Etiamſi eſſet in arte cerdonum omnium præſtantiſſimus. Aliqui legunt: *Sic Batio doctior*, ex eo quod Plinius dicat Batium inveniſſe ſutrinam: Alii legunt *Pythio*. Alii, *Sit Tithio*. Paul. *Sit Tychio doctior*] Qui Homero Iliad. η. Σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος: hunc ipſum ex eodem Poëta nominat etiam Strabo lib. IX. in Bœotia.

825. *Manibus collatus Epeo*] Hic opifex equi Duratei. *Neapol. Et licet, &c.*] Si quis fabrili arte, aut architectura præſtans, Epeum architectum equi Trojani ſuperaret, ſi Pallas irata ſit, exercere artem non poterit. *Et collatus*] Qui conferetur Epeo.

826. *Sit licet prior*] Quamvis eſſet ſuperior in peritia architecturæ. *Erit mancus*] Quaſi manuum ope carens, ſi illa irata ſit. Ergo id agendum, ut placata ſit.

827. *Vos quoque Phœbea, &c.*] Vos etiam medici libate Palladi, ut medendi arte præſtare poſſitis. *Arte Phœbea*] Arte Apollinea. *Paul. Vos quoque Phœbea*] Curæ quoque fuit Palladi Medicorum tutela: ea propter & ipſi *Medica* cognomentum. *Neapol.*

828. *Referte pauca munera deæ*] Libate & offerte dona Palladi. *De veſtris*] Muneribus ſcilicet.

829. Nec

Nec vos turba feri cenſu fraudata magiſtri
Spernite. diſcipulos attrahet illa novos.
Quique moves cœlum, tabulamque coloribus uſtis,
Quique facis docta mollia ſaxa manu,
Mille dea eſt operum: certe dea carminis illa eſt.
Si mereor, ſtudiis adſit amica meis.
Cœlius ex alto qua mons deſcendit in æquum;
Hic ubi non plana eſt, ſed prope plana via;
Parva licet videas captæ delubra Minervæ,
Quæ dea natali cœpit habere ſuo.

Nomi-

829. *Nec vos turba*] Scholaſticorum ſcilicet. Pro his enim dictum eſt, qui ſub feris magiſtris nihil profecerunt. *P. Cenſu fraudata magiſtri*] Hic mentio fit veteris Minervalis: quo non dato, Rhetoribus & Grammariſtis fraus & dolus aperte fiebat, illud autem hoc menſe ſolutum, patet ex Macrob. 1. Saturn. *Hoc menſe mercedes*, inquit, *exſolvebant magiſtris, quas completus annus deberi fecit.* Fraudum cauſſam ſi quæris, dabant feriæ per id tempus, cum à parentibus data pro magiſtris ſtipendia ludis & bellariis pueri deſtinabant: metu & pudore poſtea ad ſcholas accedere non audebant. Sic didaſcali ſine mercede, ſine diſcipulis aſſoliti remanere: ideo noſter ad hos: Vos quoque Minervam non ſpernite; nam attrahet illa novos diſcipulos. Vide Horatii Epiſt. ultim. *Neapol.*

830. *Spernite*] Nolite vos aſpernari & contemnere numen Palladis. *Attrahet*] Quia præeſt ſtudiis literarum, & ingeniis favet.

831. *Quique moves cœlum*] Nec ſpernas Pallada tu aſtrologe, qui cœli motus perſcrutaris. Alii pro ſculptoribus dictum putant, præſertim cum cœlum ſculptorum inſtrumentum ſit: ut illud, *Cœlo fabricata Myronis. Et qui uris tabulam coloribus*] Hoc eſt, qui uſtis coloribus tabulam pingis. *Paul.* Plin. l. 40. *Quique moves*] Cœlum eſt γλύφανον: quo non unus, ſed plures utuntur. *Tabulamque coloribus*] Quique eſtis ἐγκαυσταί. De encauſtice loquitur & Auſon. *Cerâ inurens januarum limina.*

832. *Mollia ſaxa manu*] Addit & marmoratios: ſed hic Publio non mens omnes vere opifices numerare; inde ſic claudit hæc diſticha: *Mille dea eſt operum*: quibus fax à Lactantio Firmiano lib. 1. cap. 18. *Neap. Et qui facis ſaxa mollia docta manu*] Vos ſtatuarii, qui dura ſaxa in quamcunque vultis formam vertitis.

833. *Mille dea eſt operum*] Præeſt multis artibus & officiis, & operibus. *Certe illa eſt Dea carminis*] Quaſi præeſt & illa Poetis ſcribentibus carmina.

834. *Si mereor, adſit*] Faveat mihi, & ſtudio meo, ſi dignus videor cui illa faveat.

835. *Cœlius ex alto*] In Cœlio monte apud radices templum erat Palladis captæ: quod illi conſecratum eſt ſuo natali, hoc eſt, primo quinquatr. die. Sed cur *capta* dicatur, diſputant. Ego dicerem *captam Minervam*, quod illi eo die, eo in loco legitime conſtituto, autoritate ſenatus à pontificibus conſecrato, potiſſimum ſacrificetur. Nam Pompeio, Feſto teſte, captum locum dicimus ad ſacrificandum legitime conſtitutum. *Deſcendit ex alto in æquum*] Quaſi vergit ex ſummitate in planum.

836. *Sed prope*] Quaſi locum indicat prope radices. *Paul.*

837. *Captæ delubra Minervæ*] Hæc numerantur à Topographis inter VIII. ædiculas regionis ſecundæ: ſitus, ut vides, erat ad radices Cœlii. *Neap.*

838. *Quæ*] Templa. *Capit habere ſuo natali*] Non ab initio, ex quo nata eſt: ſed ea die menſis Martii qua olim nata eſt, hoc eſt, ipſo die quinquatro.

Nominis in dubio cauſa eſt. capitale vocamus
Ingenium ſollers: ingenioſa dea eſt.
An, quia de capitis fertur ſine matre paterni
Vertice cum clypeo proſiliiſſe ſuo?
An, quia perdomitis ad nos captiva Faliſcis
Venit: & hoc ipſum litera priſca docet?
An, quod habet legem, capitis quæ pendere pœnis
Ex illo jubeat furta reperta loco?
Aquacunque trahas ratione vocabula Pallas;
Pro ducibus noſtris ægida ſemper habe.
Summa dies è quinque tubas luſtrare canoras
Admonet, & forti ſacrificare deæ.
Nunc potes ad Solem ſublato dicere vultu,

Hic

839. *Cauſa nominis eſt in dubio*] Cur capta Minerva dicatur, dubium eſt. *Vocamus capitale ingenium ſollers*] Diligens ingenium, capitale dicitur, quod in capite ſedem habeat. *Paul. Nominis in dubio cauſſa eſt*] Vel, inquit, *Capta* nomen inditum, quod ingenioſa Dea ſit: cum *capitale* ingenium ſolers dicamus: vel quod feratur proſiluiſſe ex Jovis vertice: vel, quod domitis Phaliſcis deducta in urbem captiva: vel, quod capite puniatur, qui quidquam ex ejuſdem templo furto ſubtrahat.

840. *Ingenium ſollers*] Tullius lib. 2. Epiſt. 2. Philiſto noſtro: *Siculus ille capitalis, creber, acutus, &c.* Sic & apud membranas veteres Pollionis: *capitalis jocus*, pro aſtuto & ingenioſo. *Capitali enim, inquiunt, joco regna promeruit.* De Regilliano agitur, quem locum vide: Vulgò legitur, *militaris.* Neap.

841. *Sine matre*] Sine uſu matris.

842. *Vertice paterni capitis*] E cerebro Jovis. *Cum clypeo ſuo*] Cum ægide ſua.

843. *Aut quia perdomitis ad nos captiva Phaliſcis*] Vel quia ſimulacrum ejus, ſubactis Romano imperio Phaliſcis, tanquam captivum mancipium advectum eſt, & inde capta Minerva dicta. *Ad nos*] In urbem. *Captiva*] Imago tanquam captiva delata.

844. *Docet prima litera*] Nam c. inde *capta* à captiva dicta, aut à captis Phaliſcis.

845. *An, quod habet legem capitis*] Ultima cauſa, quod capite luitur in ejus templo commiſſum. Inde eſt & *Capital facinus*, quod capitis pœna luitur. *Quod habet legem capitis*] Quæ capite plectat. *Qua*] Lux. *Paul. Qua pendere pœnas*] Conveniunt his verba Feſti: *Capitalis lucus, ubi ſi quid violatum eſt, capite violatoris expiatur.* Neap.

846. *Jubeat furta reperta eo loco*] Fures qui inde aliquid reciperint, vel ſurripuerint.

847. *Trahas vocabula*] Dicaris Minerva capta.

848. *Habe ægida*] Habeas & paratum teneas clypeum tuum. *Pro ducibus noſtris*] Pro ſalute ducum noſtrorum, Tiberii & Germanici, quaſi protegas ſemper eos.

849. *Summa dies*] Ultima dies. *Admonet luſtrare*] Circuire, & expurgare populum. *Tuba canora*] Reſonanti. *Paul. Summa dies*] Et quintus Quinquatruum dies, qui X. Kalendas Apriles, ſcribitur his notis Kalendario veteri, TUBILUS. N. P. & alter menſe Maio, qui X. Kalendas Junias. Ergo Tubiluſtrum bis in anno Romano celebratum: Minervæ ſemel menſe Martio, Vulcano ſemel menſe Maio. Obſerva reconditum morem ex noſtro, forſan in alio non leges, & ſub finem lib. V. & nos ibi. *Neap.*

850. *Et ſacrificare deæ furti*] Palladi armorum præſidi.

851. *Nunc potes ad ſolem*] Undecimo Kalendas April. Sol, relictis piſcibus, init Arietem, qui quidem aureum vel-

lus

Hic here Phryxeæ vellera preſſit ovis.
Seminibus toſtis ſceleratæ fraude novercæ
Suſtulerat nullas, ut ſolet, herba comas.
Mittitur ad Tripodas, certa qui ſorte reportet,
Quam ſterili terræ Delphicus edat opem.
Hic quoque corruptus cum ſemine nunciat Helles,
Et juvenis Phryxi funera ſorte peti.
Utque recuſantem cives, & tempus, & Ino
Compulerunt regem juſſa nefanda pati.
Et ſoror, & Phryxus velati tempora ramis,
Stant ſimul ante aras junctaque fata gemunt.
Adſpicit hos, ut forte pependerat æthere mater,
Et ferit attonita pectora nuda manu:

Inque

lus habuiſſe dicitur. Eò Phryxus in Colchos delatus eſt. vide Hyginum. *Nunc*] In hoc ultimo die Quinquatrium. *Potes*] Tu, ô Germanice. *Paul. Nunc potes ad Solem*] Eodem primo feſto Quinquatruum, id eſt, XIV. Kalendas.

852. *Hic here*] Hoc eſt, XV. Kalendas Sol in Ariete. *Here* eſt χθές. *Neap. Hic*] Sol. *Here*] Pro heri. *Preſſit*] Premere incipit. *Vellera ovis Phryxeæ*] Vellera arietis, qui Phryxum in Colchos tulit.

853. *Fraude ſcelerata noverca*] Dolo Inus uxoris Athamantis, novercæ Phryxi & Helles. *Paul. Seminibus toſtis*] Vide Hyginum lib. 11. Poët. Aſtronomicon.

854. *Herba ſuſtulerat nullas comas*] Quaſi nulla herba ex frumenti ſemine eruperat è terra. *Ut ſolet*] Surgere ſcilicet ex omni ſemine.

855. *Mittitur ad Tripodas*] Ad oraculum Apollinis Delphici: nam Tripodes menſæ fuere in templo Apollinis, quibus ſuperpoſitæ Phœbades vaticinabantur. *Qui reportet certa ſorte*] Certo oraculo ſeu reſponſo. *Paul. Mittitur ad Tripodas*] Quid *tripus* notum: hoc idem dixere Antiqui *tripodium*. Gloſſ. MSS. *Tripodia, id eſt, ſcabellum, quod tres pedes habet, vel menſa in ſacris Apollinis, &c.* Quicquid igitur tribus fulcris ſuſtinebatur, ſic dici potuit. *Neap.*

856. *Quam opem*] Quod auxilium. *Delphicus*] Apollo Delphis. *Edat*] Dicat. *Sterili terra*] Ut ſterilitati terræ remedium adhibeatur: non tamen erat terra ſterilis, ſed ſemina decocta erant cauſa ſterilitatis, qui fructum non proferebant.

857. *Hic quoque*] Qui miſſus ad oraculum fuerat. *Corruptus*] Ab ipſa noverca.

858. *Nuntiat peti ſorte*] Ab ipſo oraculo. *Funera*] Mortem Phryxi. *Cum ſanguine Helles*] Cum morte etiam ſororis.

859. *Cives*] Thebani ſcilicet, propter annonæ caritatem. *Et tempus*] Ipſa ſterilitas temporis, cum videretur provenire ex aëris intemperie. *Et Ino*] Noverca.

860. *Compulerant*] Quaſi jam coëgerant. *Regem*] Athamantem. *Uſque*] Semper. *Recuſantem*] Filiorum immolationem, quam ab oraculo juſſam arguebant.

861. *Et ſoror & Phryxus velati*] Helle miſera cum Phryxo fratre habentes frontem vittis velatam, ut moris eſt in ſacrificiis talibus.

862. *Ante aras*] Ubi erant immolandi, *Fata juncta*] Quia ſimul mactabantur.

863. *Mater*] Nephele mater Phryxi & Helles. *Forte pependerat æthere*] Et recte pependerat aëre, quia converſa in nebulam, in aëre pendet, & νεφέλη nebula eſt.

864. *Et ferit pectora nuda*] Pulſat nuda pectora. *Manu attonita*] Nam ipſa attonita filiorum caſu.

Inque draconigenam nimbis comitantibus urbem
Deſilit: & natos eripit inde ſuos:
Utque fugam capiant aries nitidiſſimus auro
Traditur. ille vehit per freta longa duos.
Dicitur infirma cornu tenuiſſe ſiniſtra
Fœmina; cum de ſe nomina fecit aquæ.
Pæne ſimul periit, dum vult ſuccurrere lapſæ
Frater: & extentas porrigit uſque manus.
Flebat, ut amiſſa gemini conſorte pericli,
Cœruleo junctam neſcius eſſe Deo.
Littoribus tactis aries fit ſidus. at hujus
Pervenit in Colchas aurea lana domos.
TRes ubi luciferos veniens præmiſerat Eos;
Tempora nocturnis æqua diurna ferens;

Inde

865. *In urbem draconigenam*] Thebas in Bœotia, quas Cadmus poſuit, qui in eo loco draconem interemit: ex cujus ſatis dentibus nati ſunt, qui Cadmum in ea urbe condenda juverunt: ideo *draconigena* dicti. *Comitantibus nimbis*] Imbribus, qui inductam nubem comitati ſunt.

866. *Et eripit ſuos natos*] Phryxum & Hellen. *Inde*] Ab ea ara, ubi mactandi erant. *Deſilit*] Deſcendit.

867. *Et ut capiant fugam*] Ut novercæ inſidias effugiant.

868. *Traditur aries*] Datur illis aries aurei velleris. *Paul. Per freta longa*] Quibus poſtea nomen fuit Helleſpontus. *Neapol.*

869. *Fœmina*] Helle. *Dicitur tenuiſſe cornu ſiniſtra infirma*] Non valida, quemadmodum dextra: ideo ex ariete ipſo delapſa eſt.

870. *Cum fecit nomina aquæ de ſe*] Cum ab occaſu ſuo dictus eſt *Helleſpontus*, hoc eſt, pontus Helles, mare illud anguſtum inter Ægeum & Propontida.

871. *Vult ſuccurrere lapſæ*] Ferre opem ſorori, quæ ceciderat in aquas. *Pæne*] Quaſi. *Simul*] Cum illa: nam & ipſe in periculo fuit decidendi in aquas.

873. *Flebat*] Phryxus. *Ut amiſſa conſorte*] Sorore, quæ in eadem ſorte fuerat. *Gemini pericli*] Quia in eodem ambo periculo bis fuerant. *Paul. Gemini conſorte pericli*] Immolationis & fugæ. *Neapol.*

874. *Neſcius*] Ipſe Phryxus. *Junctam*] Sororem eſſe conjunctam. *Deo cæruleo*] Neptuno, nam decidens illa ab eo comprehenſa, & in nympham mutata.

875. *Tollis littoribus*] Poſtquam appulit littori Phryxus. *Aries fit ſidus*] Quia detracta ſibi pelle, cœlo locatus eſt, & inter ſidera relatus. *Et aurea lana hujus*] Aureum ipſius arietis vellus.

876. *Pervenit in Colchas domos*] Ad Æten regem Colchorum.

877. *Tres ubi luciferos*] Septimo Kalendas Aprilis, hoc eſt, vigeſimo ſexto die Martii, eſt æquinoctium vernum. *Veniens Eos*] Veniens aurora: nam ὠὼς aurora eſt. *Tres luciferos*] Tres dies ab ipſo lucifero ſic numeratos, triduum ab ultimo die quinquatruum, hoc eſt, viceſimo tertio die Martii erit viceſimus quintus dies: deinde ſequentem oſtendit: ſic vigeſimo ſexto die erit æquinoctium. *Paul. Tres ubi luciferos*] Si numeres à XIV. Kalendas, ut fieri debet, erit Ovidio Æquinoctium vernum XI. Kalendas: nec multum ſane diſcrepat ab antiquis. Columellæ eſt die XXIII. & XXV. Plinio hac eadem, & Kalendario vet. in quo: DIES HOR. XII. NOX HOR. XII. ÆQUINOCTIUM VIII. KAL. APR. *Neapol.*

878. *Tempora*] Sic erit æquinoctium.

879. *Inde*

Inde quater paſtor ſaturos ubi clauſerit hœdos.
Canuerint herbæ rore recente quater;
Janus adorandus, quo cum Concordia mitis,
Et Romana Salus, araque Pacis erit.
LUna regit menſes. hujus quoque tempora menſis
Finit Aventino Luna colenda jugo.

879. *Inde quater*] Quarto die poſt, non tamen numerata die æquinoctii, ſed quatuor ſequentibus diebus erit feſtum Jani, Concordiæ, Salutis, & Pacis: quoniam his eo die ſacrificatur. *Paſtor quater clauſerit hœdos ſaturos*] Veſperi quater reduxerit è paſcuis, & incluſerit capellas. *Paul. Inde quater paſtor*] Poſt quatuor dies completos, id eſt, VI. Kalendas, Janus placandus, & terna hæc tranquilla numina, Pax, Salus, & Concordia. Bonum ergo aliquod urbi hoc die acceſſit: ita eſt: ſicque notatur in Kalendario antiquo, HOC DIE CÆSAR ALEXANDRIAM RECEPIT. *Neap.*

880. *Canuerint*] Albeſcent. Hac periphraſi à reductione capellarum & rore, veſpertinum & matutinum tempus ſignificat. *Quater*] Ergo poſt quatriduum, hoc eſt, trigeſimo die Martii.

881. *Janus erit adorandus*] Sacrificandum erit Jano. *Cum quo*] Jano. *Concordia*] Adoranda, ſcilicet & illi eſt immolandum.

882. *Et Salus Romana*] Nam in æde Salutis pro ſalute populi litandum. *Et ara Pacis*] Ubi etiam peragenda eo die ſacrificia. *Paul. Romana Salus*] Dictane ſic? non ſuſpicor. Qui ergo? *Publica.* Sed quid diſcriminis inter Publicam & Romanam? ſacrificia tamen Publice facta repperi. Vetus fragmentum fratrum Arvalium, SALUTI PUBLICÆ VACCAS II. eidem & ſtatuas erectas. Vide Dionem lib. LIV. vocat hic autem Δημοσίαν. *Salus*] Hæc Salutis ædes à C. Junio Bubulco Cenſore locata in colle Quirinali juxta portam Salutarem: voverat Conſul bello Samnitico, ſed dedicavit dictator. Livium lib. X. vide. Hoc fuit anno CDLII. Ex his elicias, falſo aliquos arbitrari, Salutem ab Auguſto conſecratam. Sane princeps ille ejuſdem augurium tantum abolitum renovavit, ut ſcribit in Auguſto Suetonius. *Neap.*

883. *Luna regit menſes*] Pridie Kalendas Aprilis, hoc eſt, ultimo die Martii, feſtum eſt Dianæ, cui in Aventino ſacrificatur. *Regit menſes*] De hoc à principio diximus, quod menſes à Luna computantur, & principia menſium illi ſunt conſecrata, cum eandem Junonem & Lunam eſſe putarent. *Hujus menſis*] Martii.

884. *Finit tempora*] Nam ultimus dies eſt illi ſacer. *Luna*] Hoc eſt, ipſa Diana. *Eſt colenda jugo Aventino*] In monte Aventino, ubi eſt illi templum à Romanis pariter & Sabinis erectum, eſt igitur eo die Dianæ ſacrificandum. *P. Luna colenda*] Templum hoc & *Luna* & *Diana* Dictum. Diana enim eadem cum Luna. Vide Tacitum de Servii Tullii Dianio, quod incenſum Neronianis temporibus, lib. XV. Annalium. *Neapol.*

P. OVIDII NASONIS
FASTORUM
LIBER IV.

ALma fave, dixit, geminorum mater Amorum.
Ad vatem vultus rettulit illa ſuos.
Quid tibi, ait, mecum? certe majora canebas.
Num vetus in molli pectore vulnus habes?
Scis, dea, reſpondi, de vulnere. riſit. & æther
Protinus ex illa parte ſerenus erat.
Saucius, an ſanus, numquid tua ſigna reliqui:
Tu mihi propoſitum, tu mihi ſemper opus.
Qua decuit primis ſine crimine luſimus annis:
Nunc teritur noſtris area major equis.
Tempora cum cauſis annalibus eruta priſcis,
Lapſa-

ALma fave, dixi] Secundum menſem nominavit *Aprilem*, quaſi *Aphrilem*, à ſpuma, quam Græci ἀφρὸν vocant, unde orta Venus creditur: ut primum quidem menſem à patre ſuo Marte, ſecundum ab Æneæ matre Venere nominaret, ut hinc potiſſimum anni principia ſervarent, à quibus eſſet Romani nominis origo. Quidam vero dicunt, Aprilem menſem vocatum, quoniam verna temperie arridente, plantarum aperiantur germina, &c. *Fave*] Mihi feſta canenti. *Geminorum amorum*] Hoc eſt, loci & cupidinis: quia ambo filii Veneris traduntur.

3. *Certe modo*] Paulo ante. *Canebas*] Cantando ſcribebas. *Feſta*] Dies Feſtos.

4. *Habes vetus vulnus*] Amoris ſcilicet. *In molli*] In laſcivo. *Pectore*] Amaſne nunc, ſicut prius amabas.

5. *Scis tu dea de vulnere*] Tu ipſa Venus noſti an amem, vel non amem.

6. *Protinus erat ſerenus ex illa parte*] Quaſi ridente illa, aër ex ea parte ſerenus redditus eſt.

7. *Saucius aut ſanus*] Vel ardenter amaverim, vel non; nunquam tamen penitus ab amore diſceſſi. *Sanus*] Sine vulnere. *Nunquam reliqui tua ſigna*] Tranſlatio à militia. Nunquam diſceſſi à caſtris tuis: nam ſemper ſub te militavi.

8. *Tu mihi propoſitum*] De qua ſemper dicere propoſueram. *Tu mihi ſemper onus*] Qui ſim in rebus tuis ſemper occupatus.

9. *Luſimus*] Ludendo ſcripſimus. *Primis annis*] In juventa. *Qua decuit*] Quæ decorum fuit juvenem ſcribere. *Sine crimine*] Per quod damnari non meruiſſem.

10. *Nunc major area teritur noſtris*] Major nunc mihi ad agendum materia ſumpta eſt: tranſlatio à tritura frugum ſumpta.

11. *Tempora cum cauſis*] Hoc fuit noſtri propoſiti, ut tempora ſciberemus cum ortu & occaſu ſignorum. Venimus jam

Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna cano.
Venimus ad quartum, quo tu celeberrima, menſem:
Et vatem, & menſem ſcis Venus eſſe tuos.
Mota Cytherea leviter mea tempora myrto
Contigit: &, Cœptum perfice, dixit, opus.
Senſimus: & ſubito cauſſæ patuêre dierum.
Dum licet, & ſpirant flamina; navis eat.
Si qua tamen pars te de faſtis tangere debet,
Cæſar, in Aprili, quo tenearis, habes.
Hic ad te magna deſcendit imagine menſis:
Et fit adoptiva nobilitate tuus.
Hoc pater Iliades, cum longum ſcriberet annum,
Vidit: & autores rettulit ipſe ſuos.
Utque fero Marti primam dedit ordine ſortem,
Quod ſibi naſcenti proxima cauſſa fuit;

Sic

jam ad Aprilem, tuum, ô Venus, menſem: faveas igitur tuo vati, tua nunc quoque tempora canenti. *Tempora*] Annum, menſes, dies feſtos & profeſtos. *Cum cauſis*] Cum rationibus. Cum originibus, hoc eſt, cum fabulis, ſive hiſtoriis, unde quid originem habuerit. *Erutа annalibus priſcis*] Quæ ego magna cura ex veterum annalibus excerpſi.

12. *Cano*] Cantando ſcribo. *Signa lapſa*] Ortum & occaſum ſignorum.

13. *Ad quartum menſem*] Ad Aprilem, qui quartum anni locum obtinet.

14. *Vatem*] Meipſum, qui cano tempora. *Et menſem, eſſe tuos*] Nam & ego tui juris ſum, & menſis tibi dicatus, & à tuo nomine nuncupatus.

15. *Mota Cytherea*] Venus mota eſt verbis meis. *Contigit leviter mea tempora myrto*] Ut inſpiraret mihi mentem, qua perciperem ea quæ cupiebam. *Myrtus* enim Veneri ſacra. *Paul. Mea tempora myrto*] Arbuſculâ eidem ſacrâ. *Neap.*

17. *Senſimus*] Contigiſſe ſcilicet illam tempora, & mentem inſpiraſſe. *Et cauſa dierum*] Origines. *Subito patuere*] Favente jam numine.

18. *Et ſpirant flamina*] Dum flant ſecundi venti. *Eat navis*] Navigemus. Per tranſlationem à nautis, qui ſecundo vento utuntur. Hoc dicit: Nunc cum Venus ipſa faveat, proſequamur incœptum.

19. *Si qua tamen*] O Germanice, ſi quid eſt in Faſtis, quod ad te pertineat, præcipuus eſt hic menſis: quoniam Veneri dicatus eſt, à qua quidem progenita eſt Julia domus, in quam tu adoptatus es. *De faſtis*] De Faſtorum libris. *Debet te tangere*] Te movere, quod ad te pertineat.

20. *Quod tuearis*] Quod tuo jure defendas. *P. Quod tuearis, habes*] Ob adoptionem in Juliam familiam. *Neap.*

21. *Hic menſis deſcendit ad teipſum magna origine*] Nam illi numini dicatus eſt, à quo Cæſareum genus originem ducit.

22. *Et fit tuus*] Tui juris, aut tibi domeſticus. *Adoptiva nobilitate*] Ea nobilitate Julia, in quam tu adoptatus es.

23. *Pater Iliades*] Romulus Iliæ filius, & urbis conditor. *Scriberet*] Conſtitueret. *Annum longum*] Annum civilem, quem decem menſium numeravit. *Longum*] Ad differentiam anni lunaris. *P. Longum ſcriberet annum*] Quia re vera non adeo breve ſpatium tempus decimeſtre: non ad diſcrimen anni lunaris, ut volunt magiſtelli. *Neap.*

24. *Vidit hoc*] Scilicet, ſe eſſe à Venere progenitum. *Et rettulit ille ſuos autores*] Venerem, unde eſſet ſui generis origo: & Martem, à quo natus erat.

26. *Quod*

Sic Venerem gradibus multis in gente repertam
Alterius voluit mensis habere locum.
Principiumque sui generis, revolutaque quærens
Sæcula, cognatos venit adusque deos.
Dardanon Electra nesciret Atlantide natum
Scilicet; Electran concubuisse Jovi.
Hujus Erichthonius: Tros est generatus ab illo:
Assaracon creat hic: Assaracusque Capyn.
Proximus Anchisen: cum quo commune parentis
Non dedignata est nomen habere Venus.
Hinc satus Æneas (pietas spectata per ignes)
Sacra, patremque humeris, altera sacra, tulit.

Veni-

26. *Quod fuit proxima causa*] Quod ipsius fuerit auctor, & origo propinquior.

27. *In gente*] In familia. *Multis gradibus*] Longa per gradus cognatione.

28. *Habere locum*] Secundi: ut secundi anni locum obtineret ipsa Venus.

29. *Quærens*] Inquirens ipse Romulus. *Principium sui generis*] Unde originem habuisset. *Et sæcula revoluta*] Ætates jam exactas, & revolutas longa annorum serie.

30. *Venit usque ad cognatos deos*] Id est, usque ad Jovem & Venerem.

31. *Dardanon Electra*] Explicat nunc Poëta Romani generis vetustatem, ipsamque genealogiam à Dardano Jovis filio, usque ad Romulum. *P. Dardanon Electra*] Sumit sanguinis initium à Dardano, secundo Ilii rege; cujus filius Erichthonius, hujus Tros ex Astioche, hujus Assaracus, hujus Capys, hujus Anchises: primi tres regnum tenuere; hos secuti Ilus, Assaraci frater, Laomedon, Priamus. *Neapol. Dardanon natum Electra Atlantide*] Dardanum filium fuisse Electræ, Atlantis filiæ & Jovis.

33. *Hujus*] Dardani. *Erichthonium*] Fuit filius ex Bathea filia Teucri, quem fortunatissimum Homer. vocat. *Tros est generatus ab Ilo*] Ex Erichthonio & Callirrhoë natus est Capys.

34. *Hic*] Tros. *Creat*] Gignit. *Assaracum*] Ex Troë & Callanide Eumedis filia natus est Assaracus, Ilus, & Ganymedes. *Capyn*] Nam ex Assaraco & Clytodore natus est Capys.

35. *Proximus Anchisen*] Quem Capys ex Naide genuit.

36. *Habere commune nomen parentis*] Hoc est, non puduit Venerem Anchisæ succumbere, & ex eo parere: sic habere nomen parentis cum eo commune. Nam peperit illi Æneam.

37. *Hinc*] Ex Venere & Anchise. *Pietas spectata, &c.*] Quasi cujus pietas experta, & cognita & probata per medios ignes. *T. Hinc satus Æneas*] Sequitur nunc Dynastia Æneadarum; quam volo conferas cum Livio, Dionysio, & Eusebio:

Ovidius:	*Livius:*	*Eusebius:*
Æneas	Æneas	Æneas
Ascanius	Ascanius	Ascanius
Silvius	Silvius	Silvius
	Æneas	Æneas
Latinus	Latinus	Latinus
Alba	Alba	Alba
Epytus	Atis	Silvius Athis
Capys	Capys	*sive* Ægytus
Capetus	Capetus	Capys
Tiberinus	Tiberinus	Calpetus
Remulus	Agrippa	Tiberinus
Agrippa	Romulus	Agrippa
Aventinus	Aventinus	Remulus
Proca	Proca	Aventinus
Numitor	Amulius	Procas.
		Amulius. *N.*

38. *Tulit humeris*] Ignem Vestalem, Deos penates, & alia Trojana sacra. *Et patrem*] Anchisen. *Altera sacra*] Quoniam illi Æneas divinos detulit honores.

39. *Venimus*

Venimus ad felix aliquando nomen Iuli:
Unde domus Teucros Julia tangit avos.
Poſthumus huic, qui quod ſylvis fuit ortus in altis,
Sylvius in Latia gente vocatus erat.
Iſque, Latine, tibi pater eſt: ſubit Alba Latinum:
Proximus eſt titulis Epitus, Alba, tuis.
Ille dedit captæ recidiva vocabula Trojæ,
Et tuus eſt idem, Calpete, factus avus.
Cumque patris regnum poſt hunc Tiberinus haberet;
Dicitur in Thuſcæ gurgite merſus aquæ:
Jam tamen Agrippam natum, Remulumque nepotem,
Viderat, in Remulum fulmina miſſa ferunt.
Venit Aventinus poſt hos; locus unde vocatur,
Mons quoque: poſt illum tradita regna Procæ:
Quem ſequitur diri Numitor germanus Amuli.
Ilia cum Lauſo de Numitore ſati.

Enſe

39. *Venimus aliquando*] Ad nomen Aſcanii, Æneæ filii. *Domus Julia*] Familia Juliorum, domus ipſa Cæſarea.

40. *Tangit avos Teucros*] Trojanos.

41. *Poſthumus*] Qui poſt Æneæ mortem ex Lavinia natus eſt, qui quod ortus fuit in altis ſylvis, erat vocatus *Sylvius* in gente Latia.

43. *Iſque Latine tibi*] Ex hoc loco detracti ſunt duo verſus. Poeta enim primo loco meminit Sylvii Poſthumi, deinde Latini. Verum medius horum fuit Æneas Sylvius, Sylvii primi filius, & hujus Latini pater. Virgilius quoque utriuſque meminit, & Sylvii, Poſthumi, & Æneæ, Sylvii. Manſit poſtea *Sylvius* omnibus cognomen, qui Albæ regnarunt. *Alba*] Sylvius Alba Latino patri ſucceſſit, regnavitque uno & quadraginta annis.

44. *Epitus eſt proximus*] Epitus filius ſequitur te, & ſuccedit tibi in regno. Hunc Dionyſius *Capetum* vocat, regnaſſeque ait ſex & viginti annos.

45. *Ille*] Epitus. *Dedit vocabula repetita captæ Trojæ*] Voluit ille repetere vocabula Trojana. Quoniam Capys fuit Anchiſæ pater. *Trojæ captæ*] Quæ capta fuerat à Græcis. *P. Ille dedit captæ*] Non ſemel monet me Joſephus Scaliger, ut legam, *Ille dedit Capyi*; & in Animadverſionibus ad Euſebium, & in Canonum Iſagogicorum lib. 3. Facio lubens: nam in hoc Albano Capye vult Ovidius repetitum eſſe nomen illius veteris Dardanidæ. *Neap.* Heinſ. leg. *Recidiva.*

46. *Et idem Epitus, &c.*] Nam Epitus Capym, Capys Calpetum genuit.

47. *Poſt hunc*] Calpetum.

48. *In gurgite Thuſcæ aquæ*] In fluvio qui è Thuſcia labitur.

49. *Jam tamen viderat*] Ipſe Tyberinus. *Natum Agrippam*] Nam ejus fuit filius Agrippa. *P. Agrippam natum*] En hunc in Metamorphoſi vocat Acrotam. *Neap.*

50. *Et Remulum nepotem*] Viderat ſcilicet. Dionyſius *Alladium* vocat.

51. *Poſt hos*] Agrippam & Remulum. *Aventinus*] A quo unus ex ſeptem collibus, qui habitantur Romæ, cognomen ſumpſit. *Locus*] In quo ſepultus.

52. *Regna ſunt tradita Procæ*] Procæ deinde poſt Aventinum annos tres & viginti regnavit.

53. *Sequitur Numitor germanus diri*] Livius inquit: Proca deinde regnat. Is Numitorem atque Amulium procreat. Numitori, qui ſtirpis maximus erat, regnum vetuſtum Sylviæ gentis legat. *Germanus Amuli diri*] Et ob id dirum imperium & crudele vocat, quia fratrem regno dejecit.

54. *De Numitore*] Numitor dicis filios

Enſe cadit patrui Lauſus: placet Ilia Marti:
Teque parit gemino juncte Quirine Remo.
Ille ſuos ſemper Venerem Martemque parentes
Dixit: & emeruit vocis habere fidem.
Neve ſecuturi poſſent neſcire nepotes;
Tempora dis generis continuata dedit.
Sed Veneris menſem Graio ſermone notatum
Auguror. à ſpumis eſt dea dicta maris.
Nec tibi ſit mirum Graio rem nomine dici.
Itala nam tellus Græcia major erat.
Venerat Evander plena cum claſſe ſuorum:
Venerat Alcides; Graius uterque genus.
Hoſpes Aventinis armentum pavit in herbis
Claviger: & tanto eſt Albula pota deo.

Dux

ſios habuit: Lauſum, quem Dionyſius *Egeſtum* vocat: & Iliam, quæ & Rhea. P. *Cum Lauſo*] Halicarnaſſenſis, τὸν ὑὸν τῦ Νομίτορος Αἴγεσον, appellat; Plutarchus in Parallelis, Αἴνεστον.

55. *Lauſus cadit enſe*] Amulius Lauſum per inſidias obtruncat. *Ilia*] Quæ Rhea & Sylvia dicta eſt. *Placet Marti*] Et eam gravem reddidit.

56. *O Quirine.* O Romule. *Remo gemino*] Gemello: quia gemelli fratres nati ſunt.

57. *Ille ſuos, &c.*] Hac igitur ratione Romulus Martem & Venerem ſuos dicebat eſſe parentes, menſeſque primos continuos his numinibus conſecravit.

58. *Habere fidem vocis*] Quia creditus Martis filius.

59. *Neve ſecuturi nepotes*] Ut poſteri non ignorarent, eum Martis filium, & à Venere progenitum fuiſſe.

60. *Dedit diis generis*] Veneri & Marti, unde genus duceret. *Tempora continuata*] Continuatos menſes, Martium & Aprilem.

61. *Sed Veneris menſem*] Si quis diceret, cur menſis Veneris non dicitur *Venereus*, quemadmodum à Marte Martius; inquit menſem Veneris habuiſſe Græcam appellationem: nam venus Græce ἀφροδίτη dicitur, ab ἀφρὸς, quod eſt ſpuma: quoniam ex Saturni teſticulis, & maris ſpuma nata ſit, ut Aprilis dicatur, quaſi *Aphrilis*. *P. Graio ſermone*] Macrobius primo Saturnalium: *Secundum menſem nominavit Aprilem, quaſi Aphrilem à ſpumâ, quam Græci ἀφρὸν vocant, unde orta Venus creditur: & hanc Romuli fuiſſe aſſerunt rationem, ut primum quidem menſem à patre ſuo Marte, ſecundum ab Æneæ matre Venere nominaret: & his potiſſimum anni principia ſervarent, à quibus eſſet Romani nominis origo.* Neapol.

63. *Rem dici Graco nomine*] Aprilem Græca appellatione vocatum.

64. *Jam tellus Itala fuit magna Græcia*] Non omnis tamen Italia, ſed pars Italiæ magna Græcia vocata eſt. *Paul. Græcia major erat*] Legas omnino Iſaaci Caſauboni Caſtigationes in lib. 6. Strabonis ſub initium, & Philippi Cluverii cap. 16. lib. 4. Italiæ antiquæ.

65. *Venerat Evander*] De Evandri & Herculis adventu in Italiam non iterabo hic, quæ notavimus in primo. *Neap. Venerat Evander*] Arguit ab exemplo: quoniam Græcorum principes in Italiam venere, & eam regionem incoluere.

66. *Venerat Alcides*] Hercules. *Uterque*] Et Evander & Hercules.

67. *Hoſpes claviger*] Hercules clavam gerens. *Pavit armentum*] Boves ex Hiſpania abactos.

68. *Albula*] Tybris. Sed nondum eo tempore vocabatur Tybris, quia longe ante Albam conditam venit in Latium Hercules: & tum dicebatur fluvius Albula.

69. *Dux*

Dux quoque Neritius: teſtes Læſtrygones exſtant:
Et quod adhuc Circes nomina littus habet.
Et jam Telegoni, jam mœnia Tiburis udi
Stabant: Argolicæ quod poſuêre manus.
Venerat Atrides fatis agitatus Haleſus:
A quo ſe dictam terra Faliſca putat.
Adjice Trojanæ ſuaſorem Antenora pacis,
Et generum Oeniden, Appule Daune, tuum.
Serus ab Iliacis, & poſt Antenora, flammis
Attulit

69. *Dux Neritius*] Ulyſſes à Nerito. *Neritos* appellata eſt Leucate, quæ Lærtis fuit, patris Ulyſſis. *Læſtrygones exſtant teſtes*] Teſtantur Ulyſſem veniſſe in Italiam. Læſtrygones fuere apud Cajetam. Hi & Anthropophagi vocati, qui è ſociis Ulyſſis duos devorarunt. *Paul. Teſtes Læſtrygones exſtant*] Ipſe Ulyſſes apud Homerum in Odyſſeâ x. ver. 80. & ibid. ver. 133. *Neapol.*

70. *Et teſtis eſt littus, quod adhuc habet*] Quod in hunc uſque diem vocatur littus Circeum.

71. *Et jam ſtabant mœnia Telegoni*] Quæ Telegonus Ulyſſis filius, in Italia poſuit. Thuſculum enim oppidum condidit. *Jam ſtabant mœnia Tiburis udi*] Jam & oppidum quoque Tibur erat in Italia conditum. *Udi*] Propter Anienem fluv. qui inde fluit. *P. Et jam Telegoni*] Tuſculum ab hoc conditum, non opus ut probem. Hujus oppidi vix exſtant hodie pauca rudera prope Frascatium. *Mœnia Tiburis*] Hæc ſtatuere tres fratres, Catillus, Coras, Tiburtius, ſive Tiburnus. *Argivæ juventus*, inquit Vates. A primigenio nomen urbi inditum. Sed & mœnia Catilli non minus quam Tiburni, non pauculi appellant. *Tiburis udi*] Horatius lib. 3. Odâ 28.

72. *Argolica quæ poſuêre manus*] Strabo lib. 5. de Tibure & Prænefte: Φασὶ δὲ Ἀργεῖοι τοὺς ἀφ' ἑσπέρας. Neap. *Poſuêre manus Argolica*] Manus Græcorum.

73. *Venerat Haleſus, &c.*] Hunc alii fuiſſe aurigam Agamemnonis dicunt: qui ubi dominus interiit, inſidiis Ægiſthi & Clytemneſtræ in Italiam venit, & non longe à Sabinis oppidum condidit. Alii dicunt Haleſum fuiſſe Agamemnonis filium: quibus magis aſſentiendum puto. *Agitatus*] Vexatus. *Fatis Atridæ*] Calamitate & morte Agamemnonis Atrei filii. *Venerat*] In Italiam.

74. *Terra Faliſca*] Putant ſe Faliſci dictos. *Paul. Terra Faliſca putat*] Veriſſimum, mutato N. in F. cum Servio Iuor. Urbi autem Phalerii & Faliſca fuit nomen.

75. *Suaſorem Antenora pacis*] A quo Patavio ſua origo. Cato in Originibus de Veneris: *Mixta his nobilis ſtirps Troiana, à quibus Patavium ſuo conditore inclytum.* Quid hæc Trojana ſtirps niſi Antenor? Quare Poëta *ſuaſorem pacis* dixerit, lege, ſi lubet, Dictyn Cretenſem lib. V. & in Homero Iliade 3. ver. 148. *Neap. Adjice Antenora*] Trojanum, qui ante Priamum ſententiam pro pace cum Græcis ingenda ſæpe dixit. Ille & in Italiam venit: ubi ille Patavium condidit.

76. *Appule Daune*] Daunus filiam in conjugem Diomedi dedit, qui urbem condidit, quæ appellata eſt *Harpos*, & Apuliam à ſoceri nomine *Dauniam* appellavit. *Paul. Et generum Oeniden*] Teſtantur hujus Adventum Diomedeæ Inſulæ contra litus Apulum. Feſtus: *Diomedis campi in Apuliâ appellantur, qui ei in diviſione Regni, quam cum Dauno fecit, ceſſerunt*: quæ non præteriit Strabo lib. VI. in Italiæ deſcriptione. In eâ regione perculſit Diomedes Colchicum draconem, qui per id tempus totam devaſtabat: quamobrem publicæ ſtatuæ Heroï erectæ.

77. *Serus ab Iliacis*] Adſignificat, diu poſt hos Æneam in Italiam veniſſe: quo igitur anno? clare ingerit, poſt Trojæ excidium. Ipſa condita anno

Attulit Æneas in loca noſtra deos.
Hujus erat Solymus Phrygia comes exul ab Ida:
A quo Sulmonis mœnia nomen habent:
Sulmonis gelidi, patriæ, Germanice, noſtræ.
Me miſerum, Scythico quam procul illa ſolo!
Ergo age; tam longas & tupprime, Muſa, querelas:
Non tibi ſunt mœſta ſacra canenda lyra.
Quo non livor adit? ſunt qui tibi menſis honorem
Eripuiſſe velint, invideantque Venus.
Nam, quia Ver aperit tunc omnia, denſaque cedit
Frigoris aſperitas, fœtaque terra patet;
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum:

orbis MMDXXIV. ſtetit CCXCIX. id mihi ſatis bonæ fidei auctores probant: neceſſario capta anno MMDCCCXXIII. & bene. Sic Joſ. Scaliger ad Euſebii annum MCCXLI. Captâ Trojâ Trojani Æneâ duce in Thraciam venere, ubi fotâ brumâ hyemarunt: ineunte vere in Siciliam tranſlati; morati ſunt ibi ad finem anni incœpti. Anno ſecundo in Italiam iêre: in qua icto fœdere cum Latino rege, acceptaque agri parte, Lavinium condiderunt. Adventus igitur Æneæ fuit anno ab urbe condito MMDCCCXXV. *Neap. Serus ab Iliacis, &c.*] Æneas poſt Trojæ excidium, & poſt ipſum Antenora in Italiam venit. Verum Antenor & Æneas non Græci, ſed Trojani. Sic & Solymus: At Græcus erat illis ſermo.

78. *Attulit deos*] Veſtam, ſeu Veſtæ ſacra, & penates. *In loca noſtra*] In Latium.

79. *Hujus erat Solymus, &c.*] Venit etiam cum Æneâ Solymus, qui in Pelignis Sulmonem Ovidii patriam condidit. *Comes unus ab Ida Phrygia*] Unus ex illis qui Æneam comitati ſunt ab Ida monte Phrygiæ.

80 *Mœnia Sulmonis*] Nam ipſe eam urbem *Solymon* à nomine ſuo dixit. Deinde *Sulmo* dicta eſt. *Paul: A quo Sulmonis*] Vix in hoc veri umbra: nam Virgilius Æneæ comites in uno fiſtit Latio. *Neapol.*

81. *Sulmonis gelidi*] Jucunda hæc repetitio, qua movet affectum ob exilium ſuum, cum tantum à patria diſter. *Gelidi*] Quia aquis irriguis cingitur. *Patriæ noſtræ*] Mœnia Sulmonis, quæ eſt noſtra patria.

82. *Quam procul eſt illa à Scythico ſolo*] Quam longe diſtat patria mea à Scythia, quo me relegavit ira principis, ut inde commiſerationem moveat. Quæ quidem verba indicant, Ovidium in Scythia ſcripſiſſe hæc. Inchoavit tamen Romæ, ſed in Ponto perfecit.

83. *Ergo age tam longas*] Muſam increpat, cum queri viſa ſit de exilio: quoniam hæc ſacra non ſunt cum querelis & mœſtitia referenda.

85. *Quo non livor adit*] Mordet latenter invidos: quorum cauſa in exilium pulſus eſt. *Quo non adit*] Nam non modo hominibus, ſed diis invidetur. *Honorem menſis*] Aprilis.

86. *Et invideant*] Sunt qui invidia quadam nolint tibi hunc menſem aſſignari, & à te nominatum negant, velut Cyngius & Varro.

88. *Et aſperitas frigoris denſa cedit*] Cum cedat aſperrimus ille denſi rigor frigoris: quaſi cum cedente frigore, cœlum aperiatur. *Et terra fœta patet*] Et aperitur terra gravida, & herbas & flores parit.

89. *Memorant dictum Aprilem, &c.*] Quaſi ab aperiendo dicunt nominatum *Aprilem*, quaſi aperilem, quo omnia aperiuntur. P. *Ab aperto tempore dictum*] Macrobius primo Saturnalium: *Sed Cincius in eo libro, quem de Faſtis reliquit, ait imperite quoſdam opinari, Aprilem menſem antiquos à Venere dixiſſe, &c.* Neapol.

90 Quem

90. *In-*

Quem Venus injecta vindicat alma manu.
Illa quidem totum digniſſima temperat orbem:
Illa tenet nullo regna minora deo:
Juraque dat cœlo, terræ, & natalibus undis;
Perque ſuos initus continet omne genus.
Illa deos omnes (longum numerare) creavit:
Illa ſatis cauſſas arboribuſque dedit:
Illa rudes animos hominum contraxit in unum:
Et docuit jungi cum pare quemque ſua.
Quid genus omne creat volucrum, niſi blanda voluptas?
Nec coëunt pecudes, ſi levis abſit amor.
Cum mare trux aries cornu decertat: at idem
Frontem dilectæ lædere parcit ovis.
Depoſita ſequitur taurus feritate juvencam,
Quem toti ſaltus, quem nemus omne tremit,
Vis eadem, lato quodcunque ſub æquore vivit,
Servat, & innumeris piſcibus implet aquas.
Prima feros habitus homini detraxit: ab illa
Venerunt cultus mundaque cura ſui.
Primus amans carmen vigilatum nocte negata.
Dicitur ad clauſas concinuiſſe fores:
Eloquiumque fuit duram exorare puellam:

Proque

90. *Intecta*] Etiam viribus & pugna.
91. *Digniſſima*] Honore menſis.
92. *Illa*] Venus. *Tenet regna minora*] Quaſi illa ſuo numine nulli deorum eſt inferior, ſed ſuperior omnibus.
93. *Dat jura cœlo*] Quia cœlitibus imperat. *Et undis natalibus*] In quibus nata eſt; ergo dat jura omnibus elementis, quia amoris vinculo concordia continet, & ad amandum impellit.
95. *Longum eſt numerare*] Quot ſcilicet deos creaverit.
96. *Illa dedit cauſas*] Cum præſit fœcunditati, dedit cauſas quibus cauſis agri & arbores germinarent. *Satis*] Ipſis ſegetibus.
97. *Contraxit in unum*] Quaſi conjunxit & copulavit concordi jugo.
98. *Jungi cum pare ſua*] Cum muliere ſibi pare copulari.
100. *Nec coëunt pecudes*] Ad propagandam ſcilicet ſobolem.
101. *Aries trux*] Ferox & crudelis. *Decertat cornu*] Pugnat cum ariete. *At idem*] Aries;
102. *Parcit lædere*] Quia cornu in ovem, quam amat, non irruit. Tanta eſt amoris vis.
103. *Depoſita feritate*] Quia in illam non ferus, non torvus, ſed mitis & blandus videtur.
104. *Quem omne nemus*] Cum tantæ ſit feritatis, ut tremant ejus aſpectu & nemora, & quæ in nemoribus erunt animantes.
105. *Eadem vis*] Eadem coitus voluptas.
106. *Et implet aquas*] Cum fœcunditatem illis ſuggerat.
108. *Venerunt cultus*] Ornatus & civilis cultus: nam primò homines feros ad civilem cultum redegit. *Mundaque cura ſui*] Ratio politiæ & munditiæ in ſolum, hoc eſt, in tellurem.
109. *Primus amans*] Ille qui primus omnium amare puellam cœpit. *Carmen vigilatum*] Lucubratum, quaſi vigili nocte compoſitum.
110. *Dicitur concinuiſſe*] Cecinisſe.

Ad

Proque ſua cauſſa quiſque diſertus erat.
Mille per hanc artes notæ: ſtudioque placendi,
Quæ latuêre prius multa reperta ferunt.
Hanc quiſquam titulo menſis ſpoliare ſecundi
Audeat? à nobis ſit furor iſte procul.
Quid, quod ubique potens, templiſq; frequentibus aucta,
Urbe tamen noſtra jus dea majus habet:
Pro Troja, Romane, tua Venus arma ferebat:
Cum gemuit teneram cuſpide læſa manum,
Cœleſteſque duas, Trojano judice, vicit.
(Ah nolim victas hoc meminiſſe deas!)
Aſſaracique nurus dicta eſt; ut ſcilicet olim
Magnus Juleos Cæſar haberet avos.
Nec Veneri tempus, quam ver, erat aptius ullum.
Vere nitent terræ: vere remiſſus ager.
Nunc herbæ rupta tellure cacumina tollunt,
Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.

Et

Ad clauſas fores] Quæ illi non patebant. *Nocte negata.*] Cum per noctem non admitteretur.

112. *Quiſque erat diſertus*] Facundus. *Sua cauſa*] Quam ante puellam eſſet acturus, quaſi non opus erat amantibus patrono: nam ſuopte ingenio erant diſerti.

113. *Mille artes*] Per hanc Venerem. *Multa reperta*] Multa cogitata & adinventa ab amantibus. *Placendi*] Quo placere poſſent illis, quas ſummo proſequebantur amore.

114. *Quæ latuêre prius*] Quæ prius non erant cognita.

115. *Menſis*] Quaſi quis eſt qui velit dicere Aprilem menſem Veneris non eſſe: quod quidem ſanæ mentis non eſſet.

116. *A nobis ſit furor*] Quaſi non ſimus in ea inſania, ut hos nos aſſeramus.

117. *Quod ubique eſt potens*] Quia ubique pro magno numine habetur. *Et eſt aucta templis frequentibus*] Quia ubique templa ſunt illi conſecrata.

118. *Habet majus jus urbe noſtra*] In urbe Roma, propterea quod ipſa fuerit autor Romani generis; ibi plus quam in cæteris locis colitur, pluraque habet templa.

119. *Ferebat arma pro Troja*] Pugnabat pro Trojanis.

120. *Cum gemuit*] Cum ipſa Venus gemitu dolorem indicavit. *Cuſpide*] Telo Diomedis.

121. *Duas cæleſtes*] Palladem & Junonem. *Trojano*] Quaſi Trojani Paridis judicio, cum pomum veneri tanquam pulchriori adjudicavit. *Paul. Trojano judice*] Paride. *Neapolit.*

122. *Ah ego nolim deas victas*] Superatas præſtantia formæ à Venere illius judicio. *Meminiſſe hoc.*] Ne Romanis iraſcerentur, quemadmodum olim Trojanis.

123. *Dicta eſt nurus Aſſaraci*] Voluit Anchiſæ ſuccumbere, & eſſe nurus pronepotis Dardani, ut eo coitu progigneret Cæſareum genus, hoc eſt, familiam Juliorum.

124. *Avos Juleos*] Eos qui ab Iulio nati ſunt.

125. *Nec ullum tempus erat aptius quam ver*] Nulla pars anni erat Veneri convenientior, quam vernum tempus.

126. *Nitent terræ*] Viriditate ſurgentium herbarum nitere videntur. *Vere remiſſus ager, &c.*] Eſt ager lætus: propter lætas ſegetes, & jam reſolutis frigoribus.

129. *Palmes agit gemmas*] Ipſæ vites emit-

Et formoſa Venus formoſo tempore digna eſt:
Utque ſolet, Marti continuata ſuo.
Vere monet curvas materna per æquora puppes
Ire: nec hybernas jam meminiſſe minas.
Rite deam Latiæ colitis matreſque nurusque,
Et vos, quîs vittæ longaque veſtis abeſt.
Aurea marmoreo redimicula ſolvite collo:
Demite divitias: tota lavanda Dea eſt.
Aurea ſiccato redimicula reddite collo:
Nunc alii flores, nunc nova danda roſa eſt.
Vos quoque ſub viridi myrto jubet illa lavari:
Cauſſaque, cur jubeat, (diſcite) certa ſubeſt.
Littore ſiccabat rorantes nuda capillos.
Viderunt Satyri, turba proterva deam.
Senſit, & oppoſita texit ſua corpora myrto.
Tuta fuit facto: voſque referre jubet.
Diſcite nunc quare Fortunæ thura virili Detis

emittunt gemmas. *De cortice tumido*] Gravido, aut qui tumet ipſis gemmis.

130. *Continuata ut ſolet ſuo Marti*] Quaſi habens menſe Martio continuatum, ut in cœlo quoque continuatum illi locum obtinet.

131. *Per æquora materna*] Nam è matris ſpuma procreata.

132. *Jam minas hybernas*] Minaces hyemis procellas.

133. *Latiæ matres, & nurus Latinæ*] Seu Romanæ mulieres tam veruſtæ, quam puellæ. *Rite colitis deam*] Colitis Venerem, & ejus feſtum rite celebratis.

134. *Vittæ & longa veſtis abeſt*] Quæ vittatæ non eſtis, ut ſunt Veſtales virgines, & pudicæ matronæ. *Paul. Longaque veſtis adeſt*] Anceps, an è veteribus legam, *abeſt*: nam hæc editio impudiculas tangit, illa matronas. *Neapol.*

135. *Aurea redimicula*] Aurea ornamenta. Verum *redimicula* taeniæ ſunt, ſive vittæ pendentes à poſteriore parte mitræ. *Paul. Redimicula demite collo*] Jubet amoveri monilia, & cætera ornamenta à Veneris ſimulacro: ut eo detorſo, in ejus feſto exactius & ſuis redimiculis & roſis atque aliis floribus exornetur. *Ant.*

136. *Tota lavanda Dea eſt*] Huc pertinent fictores, unctores, veſtitores Deorum; quorum meminit Senecæ quoddam fragmentum, Firmicus, &c.

138. *Nunc alii flores*] His ipſis Kalendis Aprilis: idque factum in templo Veneris Verticordiæ, de qua ſermo paulo poſt. Eo etiam die erat lavatio matronarum prope templum Fortunæ virilis. *Neapol.*

139. *Vos quoque ſub viridi*] Kalendas Aprilis nuptæ Veneri ſacrificant, & apud templum Fortunæ virilis, quod erat in ripa Tyberina, myrto coronatæ lavantur. Eam rationem huic rei affert Poëta, ut ſi quid vitii notaretur in corpore, præſtaret Fortuna virilis, ut viros lateret. Sed cur ſub myrto? quoniam ſub ea latuit arbore cum caveret ſibi à ſatyris: & quòd ea arbor ſub tutela Veneris eſſe putetur. *Jubet ipſa*] Venus. *Vos*] Matres ſeu nuptæ. *Sub viridi myrto*] Hoc eſt, myrto coronatas.

143. *Texit ſua tempora myrto*] Texit caput, & ſub myrto delituit.

144. *Tuta fuit facto*] Eo modo ſe ipſam tutata eſt à ſatyris. *Et jubet eos referre*] Ut quemadmodum ipſa ſe myrto texit, per vos ita vult fieri.

145. *Diſcite nunc quare Fortunæ thura*] Eodem die cum ita ſe lavarent coronatæ, ut diximus, Fortunæ virili libabant

Detis eo, calida qui locus humet aqua,
Accipit ille locus posito velamine cunctas.
Et vitium nudi corporis omne videt.
Ut tegat hoc, celetque viros, Fortuna virilis
Præstat: & hoc parvo thure rogata facit.
Nec pigeat niveo tritum cum lacte papaver
Sumere, & expressis mella liquata favis.
Cum primum cupido Venus est deducta marito:
Hoc bibit: ex illo tempore nupta fuit.
Supplicibus verbis illam placare: sub illa
Et forma, & mores, & bona fama manent.
Roma pudicitia proavorum tempore lapsa est:
Cumæam, veteres, consuluistis anum.

Templa

libabant, & explicat rationem, quam modo retulimus. *Paul. Fortuna thura virili*] Sita hujus ædes ad Tyberim: in hac erat statua illa lignea Servii Tullii. De auctore, ne iterem scriptionem, dicam in VI. quarto Idus Junias, ubi locus ad hæc aptior. *Neapol.*

146. *Det hic thura cremanda*] Scilicet Fortunæ virili: aris ipsius fortunæ virilis. *Eo*] Loco scilicet. *Aqua gelida*] Aqua Tyberina.

147. *Ille locus accipit cunctas*] Quia omnes eo tendunt Kalendas Aprilis. *Posito velamine*] Depositis vestibus.

148. *Omne vitium*] Quicquid vitii, & quæcunque turpis nota esset in corpore, tunc apparet.

150. *Præstat*] Hoc tribuit nuptæ. *Et celet viros*] Ne ipsi viri sint illud ullo tempore cogniturі. *Rogata parvo thure*] Non enim exigit victimas, aut ingentia dona, sed exiguo thure exoratur.

151. *Nec pigeat*] Eo etiam die dum thura adoles. *Sumere papaver tritum*] Libare contusum papaver, aut papaveris succum lacte & melle mixtum, quod quidem etsi dulce est gustu, dulcem quoque somnum provocat: hæc à multis die nuptiali dabantur, in omen futurum, & diuturnæ voluptatis cum nupta. *Paul.*

152. *Mella liquata favis*] Forsan his exprimit cocetum antiquorum, de quo Plinius lib. XIX. cap. VIII. *Neapol.*

153. *Cum primum Venus est deducta cupido marito*] Cum ad Vulcanum Venus deducta est. Ille enim erat suus vir.

154. *Bibit hoc*] Hunc liquorem ex papavere, melle, & lacte. *Fuit nupta*] Sic & nuptæ diu sunt eo liquore usæ.

155. *Placate illam*] Conciliate vobis Venerem. *Sub illa*] Sub illius arbitrio manent & forma, & mores, & bona fama. Venus ministras habet Charites, quæ præstant præstantiam formæ, & morum excellentiam, & decus famæ. Ideo appellatæ *Gratiæ*, quod nascentibus gratiam infundunt, qua placere cæteris possint.

157. *Roma pudicitia*] Dum proavi sese pudicos servabant, Romana pubes deficiebat. Ex libris Sibyllinis monitr sunt, Veneri templa erigerent. *Est lapsa*] Quasi defecit, cum non coiretur. *Pudicitia*] Cum pudice & caste viverent. *Paul. Proavorum tempore*] Anno DCXXXIX. M. Acilio & C. Portio Coss. *Lapsa est*] In fame prodigium præcesserat, quod spurcum eventum vaticinabatur. Julius Obsequens id refert: Orosius L. Elvium hunc nominat VI. ibi prodigium istud fuse narratur: Plutarch. in Quæst. Rom.

158. *Cumæam consuluistis anum*] Aditi sunt libri Sibyllini. Convenit in hoc Plutarchus ibidem, & Valerius Maximus lib. VIII. cap. XV. ubi habes, quæ fuerit electa ad sacrandum numinis simulacrum: & adi Plinium lib. VIII. cap. XXXV. *Neapol. Consuluistis anum Cumæam*] Sibyllam quæ Cumis in Campania fuisse dicitur, vel potius libros Sibyllinos. *Paul.*

159. *Tem-*

Templa jubet Veneri fieri: quibus ordine factis,
Inde Venus verſo nomina corde tenet.
Semper ad Æneadas placido pulcherrima vultu
Reſpice: totque tuas diva tuêre nurus.
Dum loquor, elatæ metuendus acumine caudæ
Scorpios in virides præcipitatur aquas.
Nox ubi tranſierit, cœlumque rubeſcere primo
Cœperit, & tactæ rore querentur aves,
Semuſtamque facem vigilata nocte viator
Ponit, & ad ſolitum ruſticus ibit opus;
Pleiades incipiunt humeros relevare paternos:
Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent.
Seu quod in amplexus ſex hinc venêre deorum:
Nam Steropen Marti concubuiſſe ferunt:
Neptuno Halcyonen, & te formoſa Celæno:

Majan,

159. *Templa jubet Veneri fieri*] Poſita ædes in viâ Salariâ extra portam Collinam regione V. Panvinius, & alii in ſummariâ Urbis deſcriptione.

160. *Verſo nomina corde tenet*] Dicta Verticordia: hæc Græcis eſt, ἀφροδίτης ἀποστροφία. *Neap. Venus tenet corda verſo numine*] Quaſi habuit deinde in Romanos animum benigniorem, mutato de irato in placatum & propitium numen.

161. *Ad Æneadas*] Ad Romanos, qui ab Ænea progeniti ſunt.

162. *Et tuere tu diva tot nurus tuas*] Tot Romanas nuptas, quæ tibi nurus ſunt, cum viri ſint Æneæ pronepotes. Aut referas ad principes mulieres, Cæſarum conjuges, cum viri ſint ex domo Iulea, quæ manavit ab Iulo Aſcanii filio.

163. *Dum loquor*] Kalendas etiam Aprilis incipit occidere Scorpius. *Metuendus acumine*] Aculeo ſeu ſpiculo. *Cauda elata*] In altum elevatæ.

164. *Tracipitatur*] Occidit, inclinato capite. *Paul. Scorpius in virides*] Kalendis Aprilis Scorpii occaſus matutinus: idem ſentit Columella. *In virides aquas*] *Viridis* hîc pro cœruleo. Confundunt igitur Poëtæ, imo & alii.

165. *Nox ubi tranſierit*] IV. Nonas Pleiadum occaſus heliacus. Nec aliud quod ſequitur, *humeros relevare paternos*, quam, cœlo decedere. Vide Petavium, in ſuo Uranologio Variarum Diſſertationum lib. VII. cap. VI. *Neap. Nox ubi tranſierit*] Secunda die Aprilis, erit ortus Pleiadum: quæ quia in vere oriuntur, Virgiliæ dictæ ſunt. *Rubeſcere*] Adventu ſolis.

166. *Et aves*] Fuſæ rore matutino. *Querentur*] Querulo cantu reſonabunt.

167. *Vigilata nocte*] Cum per noctem vigil ambulaverit. *Ponet facem*] Relinquet quam pro nocturno lumine fâcem ferebat, cum jam habeat lumen diei. *Semuſtam*] Media parte uſtam. *Ad ſolitum opus*] Ad colendum agrum. *Paul. Semuſtamque facem*] Hanc faciebant ruſtici è pluribus virgulis: quarum faſciculus hodie etiam laternæ pauperum. De laternarum uſu antiquiſſimo vide Athen. lib. XV. cap. XVIII. *Neap.*

169. *Incipient relevare humeros paternos*] Humeros patris Atlantis, qui cœlum ſuſtinere dicitur. *Paul.* Vel quaſi humeros ejus exonerare occaſu heliaco. *Berſman.*

171. *In amplexum*] Quod ſex tantummodo diis immortalibus ſuccubuerunt.

172. *Nam ferunt*] Dicunt Steropem concubuiſſe Marti, & ex eo Oenomaum genuiſſe. *Alcyonem*] Ferunt concubuiſſe

Majan, & Electran, Taygetenque Jovi:
Septima mortali Merope tibi, Sisyphe, nupsit.
Pœnitet: & facti sola pudore latet.
Sive quod Electra Trojæ spectare ruinas
Non tulit: ante oculos oppositque manum.
Ter sine perpetuo cœlum versetur in axe,
Ter jungat Titan, terque resolvat equos;
Protinus inflexo Berecynthia tibia cornu
Flabit, & Idææ festa parentis erunt.
Ibunt semimares, & inania tympana tundent,
Æraque tinnitus ære repulsa dabunt.

Ipsa

buisse Neptuno. Hæc Alcyone, altera est ab Alcyone Ceycis, unde dictæ sunt aves Alcyoneæ.

174. *Majam*] Ex qua Mercurius. *Et Electram*] Ex qua Dardanus. *Et Taygetem*] Ex qua Lacedæmon, & mons Taygetus ab ea denominatur in Laconia. *Jovi*] Scilicet concubuisse ferunt.

175. *Septima Merope, ô Sisyphe, nupsit tibi mortali*] Tibi qui mortalis eras. Sisyphus Æoli filius fuit.

176. *Pœnitet*] Meropen, mortali nupsisse. *Et sola latet*] Quia non videtur. *Pudore facti*] Cum pudeat nupsisse Sisypho. *Paul. Et facti sola pudore latet*] Hyginus lib. 11. Poet. Astr. *Ha numero septem dicuntur, &c.* Neap.

177. *Sive quod Electra*] Non poterat illa respicere excidium Trojæ, & cladem suorum nepotum, quia Dardano ejus filio progeniti erant.

178. *Et opposuit manum oculis*] Ne videret eversionem Trojanæ gentis: idcirco latet ea stella, ut diximus.

179. *Ter sine perpetuo*] Quinto die mensis Aprilis, erit festum Cybelis matris deorum, in cujus sacris cum tympanis, & strepitu & armisonanti chorea agebantur ejus sacerdotes: fiebant insuper & ludi ad honorem ipsius. *Sine*] Permitte. *Versetur*] Rotetur ter. *In axe perpetuo*] Supra quem perpetuo, & sine ulla intermissione, rotatur cœlum. *P. Ter sine perpetuo*] Pridie Nonas Apriles erant Megalesia festa magnæ matris Idææ. Livius lib. XXIX. *Neap.*

180. *Jungat & ter resolvat equos*] Ter oriatur & ter occidat: nam ortu jungit, occasu solvit equos. Et sic tres dies significat: & ipsum diem nonarum ostendit. *Paul.*

181. *Inflexo cornu*] De hoc ipso Athenæus lib. XV. Τὰ κέρας αὐτῷ προσάπτουσιν ἀπάλογον τῷ τῶν σαλπίγγων κώδωνι. *N. Tibia Berecynthia*] Phrygia, à Berecyntho monte Phrygiæ: tum quod hæc sacra è Phrygia advecta, tum etiam quod obliquam tibiam Midas in Phrygia adinvenit. *Cornu inflexo*] Incurvo.

182. *Et erunt festa parentis*] Idææ Cybelis, magnæ matris deorum, quæ è Phrygia Romam advecta est: ideo *Idæa*, ab Ida Trojana.

183. *Ibunt semimares*] Galli Cybelis ministri, qui castrati sunt. *Tundent*] Manu pulsabunt. *Tympana inania*] Concava & resonantia, cum manu pulsantur. *P. Ibunt semimares*] Velut anteambulones: igitur quidam è sacerdotibus statuam Matris Idææ præibunt, quidam humeris superimpositam ferent, neque hi solum, sed, quod in supellectile augusta, ditissimum omne lecticam Divæ præibat. Herodianus lib. 1. Sed sis, exprimam quid sentiam: Megalesia, & Hilaria eadem suspicor; & sic audaculus legerem & expungerem aliqua in Macrobio primo Saturnalium: *Præcipuam autem Solis in his cærimoniis verti rationem hinc etiam potest intelligi, quod ritu eorum κατα βάσεις finitâ, simulationeque luctus peractâ, celebratur lætitia exordium pridie Nonas Aprilis, quo tempore Sol diem longiorem nocte protendit.* Neap.

184. *Æra*] Ærea quoque instrumenta. *Repulsa*] Repercussa. *Ære*] Alio æreo instrumento. *Dabunt tinnitus*] Ex collisione æris fit tinnitus.

185. *Ipsa*

Ipſa ſedens molli comitum cervice feretur
Urbis per medias exululata vias.
Scena ſonat, ludique vocant: ſpectate Quirites,
Et fora Marte ſuo litigioſa vacent.
Quærere multa libet. ſed me ſonus æris acuti
Terret, & horrendo lotos adunca ſono.
Da dea quas ſciter. doctas Cybeleïa neptes
Audit: & has curæ juſſit adeſſe meæ.
Pandite mandati memores, Heliconis alumnæ,
Gaudeat aſſiduo cur Dea magna ſono.
Sic ego, ſic Erato (menſis Cythereius illi
Ceſſit; quod teneri nomen amoris habet)
Reddita Saturno ſors hæc erat, Optime regum
A nato ſceptris excutiëre tuis.
Ille ſuam metuens, ut quæque erat edita prolem
Devorat: immerſam viſceribuſque tenet.
Sæpe Rhea queſta eſt toties fœcunda, nec unquam
Mater;

185. *Ipſa ſedens*] Simulacrum ipſius. *Feretur*] In ipſa pompa. *Molli cervice comitum*] Cervice mollium & effœminatorum comitum.

186. *Exululata*] Ululatu celebrata.

187. *Scena vocat*] Itur in theatrum, & fiebant ludi, quæ *Megaleſia* vocabant.

188. *Et fora litigioſa*] Contentioſa, ubi litigatur ante prætorem. *Vacent ſuo Marte*] Per tranſlationem à bello, vacent à litibus.

189. *Terret me*] Exterreor tinnitu æris acute reſonantis. *Et lotos*] Tibia ex loto.

190. *Lotos adunca ſono*] Λωτὸς antiquis, pro tibia: nam eorum aliquæ è loto arbore. *Neap.*

191. *Da dea*] Dic tu dea cauſam hujus ſonitus. *Cybeleia*] Ipſa deorum mater. *Neptes, &c.*] Muſas Jovis & Memoriæ filias: ſic ipſius matris neptes. *Quam ſcite doctas*] Omni doctrinarum genere cumulatas. *Quam ſcite*] Quam eleganter. Heinſ. *Quas ſciter.*

192. *Et juſſit has*] Muſas. *Adeſſe curæ meæ*] Et reſpondere & docere, ſi quid eſſet in quo dubitarem.

193. *O alumnæ Heliconis*] O Muſæ quæ educatæ eſtis in Helicone monte. *Pandite*] Demonſtrate.

194. *Cur dea magna*] Ipſa magna mater. *Gaudeat ſono aſſiduo*] Non intermiſſo in ipſis ſacris. *Paul.*

195. *Sic Erato*] Hæc Muſa ab amore appellatur, & nuptias adinvenit. Bene igitur lecta eſt, ut dicat quæ ad Venerem pertinent. *Menſis Cythereius*] Cythereium autem menſem Aprilem vocat, quia dicatus eſt Veneri, quæ in Cythera inſula educata dicitur. *Anton.*

196. *Quod habet nomen teneri amoris*] Nam ἵμερος, ἵμερτος, amor, unde & ipſa *Erato* dicta.

197. *Reddita Saturno ſors hæc erat*] Verba ſunt ipſius Eratus, referentis Saturni & Jovis hiſtoriam. Saturnus (ut Poëtæ referunt) erat monitus, ne prolem virilis ſexus ſervaret: nam ab ea dejiciendus eſſet è regno. Ex quo deſtinavit omnem prolem interimere. Nato Jove, oblatum eſt ſaxum, quod pro filio devoravit. At infans Jupiter in Dictæum montem, aliqui, in Idam Cretenſem tranſlatus, educatuſque eſt. Et cum vagiret, ne à Saturno audiretur, pulſantur tympana & tibiæ: ſic à patris inſidiis tutus fuit. *Optime regum*] Ad illud reſpexit, quod eo regnante fuiſſe dicitur aureum ſeculum.

199. *Ille*] Saturnus. *Metuens ſuam prolem*] Suos filios.

200. *Viſceribus*] Tenet intra viſcera, quod devoravit.

201. *Rhea*] Quæ & Ops, Jovis mater,

Mater; & indoluit fertilitate ſua.
Jupiter ortus erat. pro magna teſte vetuſtas
Creditur. acceptam parce movere fidem.
Veſte latens ſaxum cœleſti gutture ſedit.
Sic genitor fatis decipiendus erat.
Ardua jam dudum reſonat tinnitibus Ide;
Tutus ut infanti vageat ore puer.
Pars clypeos ſudibus, galeas pars tundit inanes:
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit patrem: priſcique imitamina facti
Æra deæ comites raucaque terga movent.
Cymbala pro galeis, pro ſcutis tympana pulſant:
Tibia

ter, Saturni uxor. *Eſt queſta toties facunda, nec unquam mater*] Querebatur quod toties pareret, nec unquam ſervabatur filius, quo mater dici poſſet.

203. *Vetuſtas creditur pro magno teſte*] Nolis alios hujuſce rei teſtes, niſi vetuſtatem: cui eſt adhibenda fides, tanquam magno & præſenti teſti.

204. *Parce movere fidem acceptam*] Quaſi, noli tu turbare credulitatem rerum, quas à veteribus accepimus, ſed credas etiam tu ita fuiſſe.

205. *Saxum latens veſte*] Saxum pannis involutum eſt illi pro Jove oblatum. *Sedit cœleſti gutture*] Devoravit ille & in ejus gutture ſedit. *P. Veſte latens ſaxum*] Lapis hic *abadir* à Grammaticis dictus: iidem, *Graci*, inquiunt, βαίτυλον vocant: ni veſte latens explices ἐν σπαργάνοις εἱλημένον πέτρον. Neap.

206. *Sic genitor*] Saturnus.

207. *Ardua Ide*] Mons Idæus in Creta altus, & aſcenſu difficilis. *Reſonat jamdudum*] Ex quo natus erat Jupiter, reſonat mons tinnitibus æris, ne vagiens puer audiatur. *P. Tinnitibus Ide*] Quodam armorum ſtrepitu tunc à Curetibus invento; de quo Diomedes lib. 3. Vide Athenæum lib. 9.

208. *Tutus ut infanti*] Hinc in Cretenſi hiſtoria apud Geographum lib. 9. Οἱ Κυρῆτες Διὸς τροφεῖς λέγονται, καὶ φύλακες, ἵνα Κρόνῳ ἐκ φρυγίας μιξοπίμφθιτες ὑπὸ τῶν Ῥέας. Neap. *Vagiat*] Vagitum edat: nam *vagire* pucrorum eſt.

209. *Pars*] Ipſorum miniſtrorum. *Tundit*] Verberat. *Pars tundit galeas inanes*] Unde tinnitus ederetur. P. *Pars clypeos manibus*] In Lactantio Firmiano lib. primo legitur, *Pars clypeos ſudibus*, ſimilior vero lectio: nam ὑπὸ τῶν ἐγχειριδίων ſonitum in clypeolis excitabant. *Galeas pars tundit inanes*] Ex hoc tempore in hujus rei memoriam iſti ἐνόπλιον ὄρχησιν inſtituêre; & primum, ut vides, in Creta: unde Κρητικὴ nuncupata. Vetus Commentator Sophoclis ad Ajacem: Τῶν δὲ ὀρχήσεων ἡ μὲν Βιρεκυνθιακὴ λέγεται, ἡ δὲ Κρητικὴ, ἡ καὶ Πυρρίχη. Quæ hæc Pyrricha? eadem cum armatâ illâ Cureticâ, vero verius. Vide in Joannis Meurſii Orcheſtra. Unum addo, quod addi debet, πρύλιν hanc Κυρητικὴν à Callimacho dici Hymno in Jovem, quam ἐνόπλιον Scholiaſtes exponit: inde πρύλιν eamdem faciunt cum Pyrricha, quia ἐνόπλιον. Neap.

210. *Hoc opus habent*] Hoc officium, dum educabatur Jupiter, exercebant Curetes & Corybantes. Unde à tonſura, Curetes, id eſt, detonſos appellatos. Ideo & *Corybantes*, quod inter ſaltandum capita jactent.

211. *Res latuit patrem*] Quia Jovis educatio Saturno nunquam aperta fuit. *Imitamina priſci facti*] Ad imitationem eorum, quæ ipſi Curetes fecerant in educando Jove.

212. *Comites dea*] Ipſi miniſtri Cybeles, qui eam in pompa comitantur. *Movent æra*] Pulſant ærea inſtrumenta, ad tinnitus edendos. *Et terga rauca*] Tympana ipſa ex tergis, hoc eſt, ex coriis, rauce ſonantia.

213. *Cymbala*] Ipſa parva tympana,

Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.
Deſierat. cœpi: Cur huic genus acre leones
Præbent inſolitas ad juga curva jubas?
Deſieram. cœpit: Feritas mollita per illam
Creditur, id curru teſtificata ſuo eſt.
At cur turrifera caput eſt ornata corona?
An Phrygiis turres urbibus illa dedit?
Annuit. Unde venit, dixi, ſua membra ſecandi
Impetus? ut tacui, Pieris orſa loqui.
Phryx puer in ſylvis facie ſpectabilis altis
Turrigeram caſto vinxit amore deam.
Hunc ſibi ſervari voluit, ſua templa tueri:
Et dixit, Semper fac puer eſſe velis.
Ille fidem juſſis dedit, &, Si mentiar, inquit,
Ultima, quam fallam, ſit Venus illa mihi.
Fallit: & in nympha Sagaritide deſinit eſſe,

Quod

ha. *Pro galeis*] Loco galearum.

214. *Tibia*] Quæ ex loti materia erat, non eſt mutata. *Dat Phrygios modos*] Modulos ſonoros, quales in Phrygia edebantur. *Ut dedit ante*] Prius quam ipſa ſacra deferrentur in urbem.

215. *Deſierat*] Loqui ſcilicet ipſa Erato. *Huic*] Matri deûm. *Genus acre leonum*] Ipſi acerrimi leones.

216. *Præbeat comas inſolitas*] Jubas non aſſuetas ferre jugum. *Ad juga curva*] Ad currum. Leones enim agunt currum magnæ deorum matris.

217. *Deſieram*] Ego ſcilicet loqui. *Cœpit*] Ipſa Erato loqui. *Mollita*] Manſuefacta. *Per illam*] Cybelen. *P. Feritas mollita per illam*] Hinc Hierapoli in ſeptis templi Deæ Syriæ urſi & leones erant manſueti, qui neminem læderent; ut per hanc mollitam feritatem, ni fallor, docerent. *Neapol.*

218. *Teſtificata*] Ipſa Cybele. *Suo curru*] Ubi habet leones alligatos.

219. *At cur eſt*] Cur habet caput oneratum. *Corona turrifera*] Ferente turres.

220. *An illa dedit*] An prima ipſa fuerit, quæ turres urbibus conſtruxerit.

221. *Annuit*] Affirmavit Muſa ita eſſe. *Unde venit impetus*] Ille furor. *Secandi ſua membra*] Cur miniſtri magnæ matris ſecant pudendas partes, & abſcindunt ipſa genitalia.

222. *Pieris*] Erato, à Pierio monte vel ab ipſis Pieribus.

223. *Phryx puer in ſylvis*] Cauſam Erato refert ad Atyn puerum, quem Cybele amabat. Qui quia fidem fregit, diſſecuit eam partem, qua illam læſerat, unde morem habuiſſe inquit initium. *Phryx puer*] Atys è Phrygia. *Spectabilis facie*] Formoſus. P. *Phryx puer*] Facetus eſt Ciophanus, qui hinc putat Æneam, cum ſit ille Attis Matris Idææ amaſius: fuit ſane domo Phryx. Plin. lib. 5. c. 29. *In ſylvis*] Nam paſtor, & agreſtis. Arnobius lib. 4. de Saltatione qua Cybele repræſentabatur.

224. *Caſto amore*] Quia illa Atyn caſte amavit. *Deam turrigeram*] Cepit Cybelen gerentem turres in corona.

225. *Voluit*] Dea. *Hunc ſervari ſibi*] Ne cui alteri jungeretur amore, ſibi ſoli ſervari puerum voluit. *Tueri ſua templa*] Ut ille cuſtodiæ templi præeſſet.

226. *Fac ſemper velis*] Purus & caſtus.

227. *Dedit fidem juſſis*] Juravit ſe ſervaturum quod ille juſſerat.

228. *Illa ſit mihi ultima Venus*] Ille ſit mihi ultimus coitus.

229. *Fallit*] Quia fregit fidem. *Et deſinit eſſe quod fuit*] Definit eſſe puer & caſtus. *In nympha Sagaritide*] Filia Sagaris fluvii, qui eſt in Phrygia. *P. Et in Nympha Sagaritide*] Finxit hujus nomi-

nis

Quod fuit, huic pœnas exigit ira deæ.
Naïda vulneribus ſuccidit in arbore factis.
Illa perit. fatum Naïdos arbor erat.
Hic furit: &, credens thalami procumbere tectum,
Effugit, & curſu Dindyma ſumma petit. (mat:
Et modo, Tolle faces; Remove, modo, verbera, cla-
Sæpe Palæſtinas jurat adeſſe deas.
Ille etiam ſaxo corpus laniavit acuto,
Longaque in immundo pulvere tracta coma eſt.
Voxque fuit; Merui: meritas do ſanguine pœnas.
Ah pereant partes, quæ nocuêre mihi!
Ah pereant! dicebat adhuc. onus inguinis aufert,
Nullaque ſunt ſubito ſigna relicta viri.
Venit in exemplum furor hinc, molleſque miniſtri
Cædunt

minis Naïdem à Sagaro Phrygiæ flumine. *Neap.*

230. *Hinc*] Ex hoc ſcelere.

231. *Succidit*] Ipſa Cybele. *Naïda*] Nympham ipſam Sagaritida. Oſtendit illam Poëta nympham fluminis, cum dicat Naïda, à νάω, quod eſt fluo. Et oſtendit Hamadryada: cum Hamadryades ſint deæ arborum, quæ cum his naſcuntur & moriuntur. Sic nunc illam ſucciſam, inquit, in arbore, tanquam Hamadryada: quia ſuccidit arborem in qua illa vivebat, vivente arbore: moriente arbore mortua eſt ipſa.

232. *Illa perit*] Extincta eſt. *Fatum Naïdos erat*] Nam quamdiu ſervata eſt arbor incolumis, ſervata eſt & nympha.

233. *Hic*] Atys. *Furit*] Furore corripitur. *Procumbere*] Corruere tectum.

234. *Petit curſu ſumma Dindyma*] Furore agebatur celeri curſu in altos Phrygiæ montes. *Dindyma* enim montes ſunt in Phrygia: unde & Cybele *Dindymene* dicta.

235. *Et clamat, Modo tolle faces*] Videbatur videre Furias ſeipſum inſectantes facibus & verberibus. Ideo: *Tolle faces*: Remove verbera: noli dea cruciare me facibus & verberibus. *P. Remove modo verbera*] Ex his fortaſſis poſtea mos ille manſit verberandi Cybeles miniſtros, ſi deliquiſſent in ſacris, ultimum eruo ex Plutarcho adverſus Colotem. *Neap.*

236. *Sæpe jurat adeſſe deas Palæſtinas*] Palæſte locus eſt in ora Epiri, apud Oricon, quo è navibus deſcendit Cæſar, cum iret cum exercitu adverſus Pomp. *Lucan.* in 5. Pharſaliæ. *Lapſa Palæſtinas uncis confixit arenas.* Deas vero ipſas quis non aperte videt Furias eſſe intelligendas? cum Poëta faces & verbera addat? nam Furias adeſſe ille jurabat Atys, cum furore percitus eſſet.

237. *Ille etiam*] Atys. *Laniavit corpus ſaxo acuto*] Abſcidit enim lapideo cultro pudendam partem, qua deliquerat.

238. *In pulvere immundo*] Sordido. Verſabat ſeipſum in luto, inde & fœdabat crines.

239. *Sanguine*] Sanguinis effuſione.

240. *Quæ nocuere mihi*] Pereant pudenda, quibus fidem violavi, quæ faciunt ut ita plectar.

241. *Aufert onus inguinis*] Abſcidit ſibi genitalia.

242. *Nulla ſunt relicta ſigna viri*] Abſciſſis virilibus. *P. Signa relicta viri*] Non ſolum in corpore, ſed etiam nulla in cultu. Lucianus, περὶ τῆς Συρίης θεοῦ: Ὡς γὰρ μιν ἡ Ῥέη εἶτεμε, εἷς μὲν ἀνδρῶν ἀπεπαύσαλο, μορφὴν δὲ θηλέην ἠμείψατο, καὶ ἐσθῆτα γυναικηΐην ἐνεδύσατο: ad hujus imitationem Hierapoli quotannis veris initio ſe caſtrabant, & muliebri veſtitu in poſterum incedebant. *Neap.*

243. *Venit in exemplum*] Quia inde habuit mos originem. *Et miniſtri molles*] Qui ob id molles & tanquam fœminæ fiunt.

244. *Cadunt*

Cædunt jactatis vilia membra comis:
Talibus Aoniæ facunda voce Camœnæ
Reddita quæſiti cauſſa furoris erat.
Hoc quoque dux operis moneas precor; unde petita
Venerit, an noſtra ſemper in urbe fuit?
Dindymon, & Cybelen, & amœnam fontibus Iden
Semper, & Iliacas mater amavit opes.
Cum Trojam Æneas Italos portaret in agros;
Eſt dea ſacriferas pene ſecuta rates.
Sed nondum fatis Latio ſua numina poſci
Senſerat: aſſuetis ſubſtiteratque locis.
Poſt, ubi Roma potens opibus jam ſæcula quinque
Vidit, & è domito ſuſtulit orbe caput;
Carminis Euboïci fatalia verba ſacerdos
Inſpicit. inſpectum tale fuiſſe ferunt.
Mater abeſt: matrem jubeo Romane requiras.

Cum

244. *Cædunt*] Incidunt. *Membra vilia*] Pudendas partes. *Comis jactatis*] Solutis & excuſſis crinibus. *P. Jactatis comis*] Capitis jactatio peculiare Gallis. *Neapol.*

245. *Aonia Camœna*] Muſæ ab Aonia.

246. *Cauſa furoris quæſiti*] De quo ego quæſieram. *Eſt reddita*] Mihi ſcilicet.

247. *Dux operis*] O Muſa, quæ inſtruis me in hoc opere. *Unde petita venerit*] Quaſi unde Romam advecta fuerit. *Paul.*

249. *Dindymon*] Apollonii Scholiaſtes: Δίνδυμον ὄρος. Κυζίκῳ ἱερὸν τῆς Ῥέας: in eo enim & templum habuit. Ammianus lib. 22.

250. *Iliacas opes*] Nam omnis Phrygia illi ſacra: Ilium in Troade, Troas in Phrygia minore. Stephanus: Ἴλιον πόλις Τρωάδος. *Neap. Et Idam*] Trojanam ſcilicet. *Amœnam frondibus*] Quia nemoroſa & umbroſa. *Mater*] Cybele, deorum magna mater. *Semper amavit Dindymon, &c.*] Phrygiæ montes: unde dicta eſt *Dindymena* & *Cybele. Iliacas*] Trojanas.

251. *Portavit Trojam*] Tulit Trojana ſacra, & deos. *In Italos agros*] In Latium Virgil. *Ilium in Italiam portans.*

252. *Dea*] Mater. *Sequuta rates ſatriferas*] Naves Æneæ ſacra ferentes.

253. *Sed ſenſerat*] Cognoverat. *Fatis*] Ab ipſis Parcis, quæ fata, hoc eſt, ſeriem ordinemque cauſarum, diſpenſant. *Nondum poſci Latio ſua numina*] Nondum adveniſſe tempus, quo in Italiam transferri deberet.

254. *Et ſubſtiterat aſſuetis*] Subſtitit tunc in Phrygia, ubi eſſe conſueverat.

255. *Vidit quinque ſæcula*] Quaſi quingenteſimo urbis anno. *P. Jam ſæcula quinque*] Et inſuper annos 48. *N.*

256. *Et ſuſtulit*] Elevavit caput. *E domito orbe*] Magna parte orbis ſubacta.

357. *Sacerdos*] Vel ipſe Pontifex maximus. *Inſpicit verba fatalia*] Libros Sibyllinos Romana fata continentes. *Carminis Euboïci*] Sibyllæ Cumææ, à Cumis, urbe Campaniæ, quam Chalcidenſes Euboïci condiderunt. *P. Fatalia verba ſacerdos*] Curæ fuit hoc per id tempus Decemviris. Invenies Duumviros inſpexiſſe libros Sibyllinos, invenies xv. viros; ſed Duumviri antiquiores Decemviris: unde colligas, paulatim auctum hoc ſacerdotium. *Neap.*

258. *Inſpectum*] Carmen quod inſpexerunt, fuiſſe tale. *P. Inſpicit*] Cauſſam inſpectionis Appianus ſuggerit in Anibalicis.

259. *Mater abeſt*] Μητὴρ paſſim apud Græcos eſt Cybeles, non addito τῶν θεῶν. *N. Abeſt mater*] Deorum ſcil.

260. *Eſt*

Cum veniet caſta eſt accipienda manu.
Obſcuræ ſortis patres ambagibus errant:
Quæve parens abſit, quove petenda loco.
Conſulitur Pæan, Divûmque arceſſite matrem,
Inquit: in Idæo eſt invenienda jugo.
Mittuntur proceres. Phrygiæ tum ſceptra tenebat
Attalus: Auſoniis rem negat ille viris.
Mira canam. longa tremuit cum murmure tellus,
Et ſic eſt adytis diva locuta ſuis:
Ipſa peti volui: nec ſit mora: mitte volentem.
Dignus Roma locus, quo deus omnis eat.
Ille ſoni terrore pavens, Proficiſcere, dixit:
Noſtra eris, in Phrygios Roma refertur avos.
Protinus innumeræ cædunt pineta ſecures

Illa,

260. *Eſt accipienda caſta manu*] Reſpexit Poeta ad oraculum, quod fuit, ut ab optimo viro exciperetur.

261. *Obſcuræ ſortes*] Obſcura erant hæc reſponſa, quia non intelligebantur. *Patres*] Ipſi ſenatores. *Errant ambagibus*] Ipſa verborum obſcuritate.

262. *Quæve*] Ideo errabant, quia neſciebant quæ mater abeſſe diceretur. *Quove petenda loco*] Et unde accerſenda eſſet.

263. *Conſulitur Pæan*] Apollo. *Accerſite*] Evocate. *Paul. Conſulitur Pæan*] Mutavit rerum ordinem: nam prius miſſi Legati, poſtea oraculum conſultum. Livius lib. 29. *Neapol.*

264. *Invenienda eſt in jugo, &c.*] Quaſi requirenda eſt in montibus Phrygiæ, ibi eam invenietis. *Paul.*

265. *Mittuntur proceres*] Ex his unus M. Valerius Levinus, qui bis Conſul fuerat, ac res in Græciâ geſſerat; alter M. Cæcilius Metellus Prætorius: additus Sulpitius Galba Ædilitius, duo Quæſtorii, C. Tremelius Flaccus, & M. Valerius Falco. *Tenebat Attalus*] Sed ille (nam plures Aſiæ Reges Attali) qui Romanos in bello Galatenſi contra Philippum juvit. Livius lib. 39. & Strabo lib. 13. *Neap.*

266. *Attalus*] Rex Pergamenſium. *Negat rem viris Auſoniis*] Non vult matrem deûm Romanis concedere. *Paul. Rem negat ille viris*] Ah, mi Naſo, parum φιλαλήθως: clamat id falſum hiſtoria. *Is Legatos*, inquit Livius, *comiter acceptos Peſſinuntem in Phrygiam deduxit; ſacrumque iis lapidem, quem matrem deum eſſe dicebant, tradidit.* Neap.

267. *Tremuit, &c.*] Viſus eſt terræ motus cum magno fragore.

268. *Et diva*] Deæ ſimulacrum. *Suis*] Sic ex ſuo ſacello dicere viſa eſt. Adytum enim eſt ſecretior pars templi, quo ſoli ſacerdoti licet accedere.

269. *Ipſa volui peti*] Ego ita volui, ut me Romani peterent. *Mitte*] Mittas tu me, Attale, cum ire velim.

271. *Ille*] Attalus. *Pavens*] Quaſi pavefactus & territus verbis ſimulacri.

272. *Noſtra eris*] Etiam cum Romæ eris, eris noſtra: nam inter noſtros, quaſi cum illis qui à noſtro genere genus trahunt. *Roma refertur in avos Phrygios*] Nam à Phrygibus ducunt originem, & nos Phryges ſumus. *Paul. In Phrygios avos*] Herodianus libro primo de Cybeles ſimulacro: Ἔτυχον δὲ ῥᾳδίως, συγγένειαν προβαλλόμενοι, καὶ τὴν ἀπ' Αἰνείου τοῦ Φρυγὸς εἰς αὐτὸς διαδοχὴν καλλαίνοντες, ob hanc forte conſanguinitatem ultimus Attalus cognomento Philometor: nullo relicto ex ſuis ſuperſtite, hæredes nominavit Romanos. *Neapol.*

273. *Protinus, &c.*] Poëta oſtendit ibi navim fabricatam, qua advecta ſit. *Protinus*] Subito. *Cadunt*] Incidunt. *Pineta*] Pinus illorum montium.

274. *Phryx*

Illa, quibus fugiens Phryx pius uſus erat.
Mille manus coëunt. & picta coloribus uſtis
Cœleſtum matrem concava puppis habet.
Illa ſui per aquas fertur tutiſſima nati,
Longaque Phryxeæ ſtagna ſororis adit:
Rhœteumque capax, Sigeaque littora tranſit,
Et Tenedon veteres Eëtionis opes.
Cyclades excipiunt, Lesbo poſt terga relicta,
Quaque Cariſtoïs frangitur unda vadis.
Tranſit & Icarium, lapſas ubi perdidit alas
Icarus, & vaſtæ nomina fecit aquæ.
Tum læva Creten, dextra Pelopeïdas undas
Deſerit: & Veneri ſacra Cythera petit.
Hinc mare Trinacrium, candens ubi fingere ferrum Brontes,

274. *Phryx pius fugiens*] Æneas pius.

275. *Mille manus coëunt*] Quaſi convenit jam ingens multitudo. *Picta coloribus uſtis*] Plerunque colores aduſti ſunt. In navibus vero pingebantur aut deorum imagines, aut inſignia, &c.

276. *Habet matrem*] Quia jam deæ ſimulacrum eſt impoſitum navi.

277. *Illa ſuper, &c.*] Agit nunc de itinere, aut longa profectione, per quæ maria delata fuerit uſq; ad oſtia Tyberina. *Illa*] Deûm genitrix. *Tutiſſima*] Tuta ab omni procella & undarum impetu. *Super*] Super æquora Neptuni filii.

278. *Longa ſtagna*] Longum & anguſtum fretum.

279. *Tranſit Rhœteum capax*] Apud Rhœteum promontorium, in faucibus Helleſponti, apud Trojam, ubi Achivorum portus, & Achaia caſtra. Ideo *Capax* dixit; ubi tam magnæ claſſis fuit ſtatio. *Et littora Sigea*] A Sigeo promontorio, itidem Helleſponto imminenti. *Paul. Rhœteumque capax Sigeaque littora*] Utroſque illos ἀγκῶνας, qui in mare protenduntur; de quibus Strabo lib. XIII. His convallibus certe nomen inditum ab iiſdemmet urbibus Sigeo & Rhœteo ibidem ſitis: ab una ad aliam ſpatium inerat LX. ſtadiorum, ſi ejuſdem vulgatis fides aliqua.

280. *Et Tenedum*] Hæc jacet extra Helleſpontum oppoſita Sigeo littori. *N.*

281. *Et tranſit*] Tenedos inſula ab oſtiis Helleſponti viginti quatuor millibus paſſuum diſtat. Hæc prius *Leucophrys* appellata, dicta etiam eſt & *Calydna. Eetionis*] De Thebano littore intelligit, Thebæ illius, quæ apud Lyrneſum eſt, & ſub Eetione fuerit, qui pater fuit Andromaches, conjugis Hectoris.

281. *Excipiunt*] Eam ſcilicet. *Cyclades*] Quæ ſunt in Ægæo inſulæ, quæ Delum circumſtant. *Paul. Lesbo poſt terga relicta*] Illis ſcilicet inſulis, ex his una Lesbos, quæ ſitæ ſunt ante Cariam, Ioniam, Æolidem, uſque ad Troaden: item illis, quæ ante Græciam uſque ad Macedoniam & confinem Thraciam; Enboeâ, in quâ urbs Caryſtus, Scyro, Peparetho, Lemno, Thaſo, Imbro, & aliis. *Neapol.*

282. *Et qua unda frangitur vadis Caryſtois*] Et tranſit ea parte, qua undæ franguntur vadoſis arenis, Caryſtus, à Caryſto urbe, quæ eſt in angulo Eubœæ verſus Cycladas.

283. *Tranſit & Icarium*] Mare ſcilicet: quod eſt inter Samum & Miconum. Sed hoc à læva reliquit. *Icarus*] Dædali filius.

285. *Tunc læva*] A ſiniſtra. *Undas*] Mare quod Peloponneſum abluit; à Pelope dictum, qui in ea regnavit.

286. *Et petit Cythera ſacra Veneri*] Cytheram inſulam, quæ eſt inter Maleam & Cretam: inſula eſt Veneri ſacra.

287. *Petit mare*] Siculum. Quia Trinacria dicta eſt à tribus eminenti-

Brontes, & Steropes, Acmonideſque ſolent;
Æquoraque Afra legit, Sardoaque regna ſiniſtris
Reſpicit à remis, Auſoniamque tenet.
Oſtia contigerat: qua ſe Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.
Omnis eques, miſtaque gravis cum plebe ſenatus,
Obvius ad Tuſci fluminis ora venit.
Procedunt pariter matres, natæque, nuruſque,
Quæque colunt ſanctos virginitate focos.
Sedula fune viri contento brachia laſſant.
Vix ſubit adverſas hoſpita navis aquas.
Sicca diu fuerat tellus: ſitis uſſerat herbas:
Sedit limoſo preſſa carina vado:
Quiſquis adeſt operi, plus quam pro parte laborat,
Adjuvat & fortes voce ſonante manus.
Illa velut medio ſtabilis ſedet inſula ponto,

Attoniti

bus promontoriis, Pachyno, Lilybæo, Peloro. *Tingere*] Ferrum callidum & ignitum.

288. *Brontes, & Steropes, & Acmonides*] Hi miniſtri ſunt Vulcani, & à re quam faciunt, cognominati. *Brontes* à Βροντὴ quod eſt tonitru. *Steropes* à στεροπὴ quod eſt fulgur. *Acmonides*] Hic à Virgilio *Pyracmon* dicitur, à πῦρ quod eſt *ignis* & ἄκμων *Incus*. Fulmen enim hi Cyclopes conficiunt. Venit igitur mater deûm in fretum Siculum, & inſulas Æolicas, ubi eſſe Vulcanus exiſtimatur. *Et legit*] Navigat, tranſit.

289. *Æquora Afra*] Mare Libycum. *Regna Sardoa*] E mare Libyco flectenti in oram Latinorum, & hoſtia Tiberina, eſt Sardinia magna inſula, à ſiniſtra: ideo, *à ſiniſtris remis* dixit.

290. *Auſoniam*] Quia flexit curſum in littus Auſonium.

291. *Contigit hoſtia*] Tiberina ſcilicet, ubi & Hoſtia urbs, ab Anco Martio fundata.

292. *Dividit in altum*] In Pelagus, Quaſi qua in mare influit. *Et natat campo liberiore*] Per latiora ſpacia: nam illuc uſque fertur per alveum, poſtea exit in mare Tyrrhenum.

293. *Omnis eques*] Exivere obviam deæ uſque ad oſtia Tiberina uniuſcujuſque ordinis viri, & matronæ, & virgines.

296. *Et quæ colunt ſanctos focos virginitate*] Hoc eſt, virgines Veſtales, quæ æternum ignem caſte ſervant.

297. *Brachia ſedula*] Cum ſedulitate & omni conamine trahentia. *Fune contento*] Extento, quo conabantur trahere navem in vadis hærentem.

298. *Navis hoſpita*] Peregrina, & quæ peregrinam deam ferebat. *Aquas adverſas*] Adverſum amnem.

299. *Tellus fuerat diu ſicca*] Et nullis imbribus erat adjutus amnis. *Uſſerat herbas*] Deficiente humore aruerant & ipſæ herbæ.

300. *Carina preſſa*] Suo ſcilicet onere. *Sedit*] Subſtitit, hærens. *Vado limoſo*] In vadis Tiberinis, & lutoſis. *Paul. Limoſo vado*] Naſo tribuit ſiccitati, quod Hiſtorici defectui oſtii Tiberini. Huc omnino adſcribendus Strabonis locus, lib. 5. *Neap.*

301. *Laborat pluſquam pro arte*] Quaſi plus quam quiſque ſuis viribus poſſit.

302. *Voce ſonante*] Clamore.

303. *Illa*] Navis. *Sedet*] Firma haeret. *Stabilis*] Immobilis. *Medio ponto*] In medio mari.

304. *Stant*

Attoniti monſtro ſtantque paventque viri.
Claudia Quinta genus Clauſo referebat ab alto:
Nec facies impar nobilitate fuit.
Caſta quidem: ſed non & credita. rumor iniquus
Læſerat, & falſi criminis acta rea eſt.
Cultus, & ornatos varie prodiſſe capillos,
Obfuit: ad rigidos promptaque lingua ſenes.
Conſcia mens recti famæ mendacia ridet:
Sed nos in vitium credula turba ſumus.
Hæc ubi caſtarum proceſſit ab agmine matrum,
Et manibus puram fluminis hauſit aquam;
Ter caput irrorat, ter tollit in æthera palmas.
Quicunque adſpiciunt, mente carere putant.
Summiſſoque genu, vultus in imagine divæ
Figit, & hos edit crine jacente ſonos:
Supplicis alma tuæ genitrix fœcunda deorum
Accipe ſub certa conditione preces.
Caſta negor. ſi tu damnas; meruiſſe fatebor.

Morte

304. *Stant & pavent monſtro*] Quaſi ſtant & expaveſcunt eo navis miraculo, quæ nullo hominum conatu moveri poterat.

305. *Claudia Quinta*] Cum viri fruſtra conarentur, ex clariſſima Claudiorum familia, virgo Claudia proceſſit: quæ cum caſta non crederetur, deam ipſam obteſtata, ut ſuæ teſtimonium pudicitiæ perhiberet, exiguo deinde conamine funem trahentem, navis ſequuta eſt. *Quinta*] Non quæ eſſet quinta numero, ſed nomine. *Referebat genus*] Ducebat originem. *Ab alto Clauſo*] A quo emanavit domus Claudia *P. Referebat ab alto*] Hæc vulgaris editio: forte legendum, *ab Atta*. Claudius ille princeps Patritiæ hujus familiæ recens a Sabinis Atta Clauſus appellatus, priuſquam Appius Claudius diceretur. [Livius lib. 3. *Neap.*

306. *Fuit impar nobilitate*] Nam ut præſtantis nobilitatis, ita formæ quoque præſtantis.

307. *Sed non eſt credita*] Non credebatur eſſe caſta. *Rumor iniquus*] Falſus & confictus. *P. Rumor iniquus*] Fama non æqua. *Neapol.*

308. *Læſerat*] Offenderat illam, nota violatæ pudicitiæ. *Et eſt acta rea falſi criminis*] Falſo arguebatur ſtupri, & virginitatis non ſervatæ.

309. *Obfuit cultus*] Ex his ſumebantur ſigna conjecturalia corrupti animi & corporis, quod ſe excolebat, tanquam amantibus placitura: ipſe ergo cultus formæ obfuit. *Prodiſſe*] Apparuiſſe. *Varie ornatos*] Quos vario modo & pectebat & innectebat. *P. Et ornatis*] Calamiſtris inuſtis: hoc eſt, *ornatus capillus*; item gemmis diſtinctus. *Prodiſſe capillis*] Vetus codex, *fudiſſe capillos*] Neap.

312. *Sumus credula turba in vitium*] Facile credimus quicquid vituperandum quoque affertur.

313. *Ab agmine*] A multitudine.

315. *Ter caput irrorat*] Ter aqua fluminea caput fudit.

317. *Et ſubmiſſo genu*] Jam inflexis genibus ipſa Claudia. *Fixit vultus*] Fixit oculos in ſimulacrum ipſius matris deûm.

318. *Crine jacente*] Paſſis crinibus.

321. *Caſta negor*] Dicunt omnes me non eſſe caſtam. *Fatebor meruiſſe*] Dicam ingenue, me mereri ſupplicium.

Morte luam pœnas judice victa dea.
Sed si crimen abest ; tu nostræ pignora vitæ
Re dabis, & castas casta sequere manus.
Dixit : & exiguo funem conamine traxit :
(Mira, sed in scena testificata loquor)
Mota dea est, sequiturque ducem, laudatque sequendo.
Index lætitiæ fertur ad astra sonus.
Fluminis ad flexum veniunt : Tiberina priores
Ostia dixerunt, unde sinister abit.
Nox aderat : querno religant à stipite funem,
Dantque levi somno corpora functa cibo.
Lux aderat. querno solvunt à stipite funem :
Ante tamen posito thura dedêre foco.
Ante coronata puppi sine labe juvencam
Mactarunt. operum, conjugiique rudem.
Est locus in Tiberim qua lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos

Al-

322. *Morte luam pœnas*] Plectar morte. *Victa judice dea*] Victa ego tuo judicio.

323. *Sed si crimen abest*] Si scis me castam & incorruptam. *Dabis tu re pignora nostra vitæ*] Re ipsa ostendes signa, tanquam pignora & testes vitæ meæ pudicæ.

324. *Manus castas*] Meas scilicet.

325. *Et traxit funem*] Ipsius navis. *Exiguo conamine*] Parvo conatu. Nam parvo labore traxit, & facillime secuta est ratis.

326. *Sed testificata in scena*] Quæ relata fuere in theatro, ut adhiberi fides debeat.

327. *Mota dea est*] Precibus ipsius Claudiæ. *Et sequitur ducem*] Præcedentem & trahentem virginem. *Sequendo laudat*] Ex hoc ipso laudare videtur.

328. *Sonus index latitiæ*] Hoc est, plausus quo animorum indicatur lætitia.

329. *Ad flexum fluminis*] Ubi se incipit reflectere in lævam amnis. *Priores*] Dixere veteres esse domum Tybridis.

330. *Inde sinister abit*] Vertit se in sinistram, ubi est reflexus fluminis : putavere antiqui esse regiam numinis Tiberini.

331. *Nox aderat*] Subsistere per noctem in ipso flexu. *Religant funem à stipite querno*] A trunco quercus.

332. *Corpora functa cibo*] Postquam comederunt.

334. *Dedere thura posito foco*] Erecta ara, & succenso igne thura adolevere.

335. *Ante coronarunt puppem*] Antequam inde discederent. *Juvencam sine labe*] Delectam ex armento, sine ulla macula.

336. *Et rudem operum, & conjugii*] Quæ nec arasset, nec taurum sustinuisset.

337. *Est locus*] Facit topographiam. *Quo Almo lubricus influit in Tiberim*] Almo parvus est fluvius, qui intersecans Hostiensem viam, non longe ab illo flexu init Tiberim. Aliqui putant esse illum qui est inter portam urbis Hostiensem, & templum divi Pauli.

338. *Et minor*] Annis. *Perdit nomen ab, &c.*] Almo parvus fluvius amittit suum nomen, cum influit in Tyberim.

339. *Illic*] In eo loco. *Sacerdos canus*] Jam senior cum veste. *Paul. Purpurea canus cum veste sacerdos*] Haud dubie ἀρχιγάλλος, qui nostris proprio nomine *Archigallus*. Sed quare purpurea illi vestis in hoc sacrificio? an quia bacchanti-

Almonis, dominam ſacraque lavit aquis.
Exululant comites, furioſaque tibia flatur,
Et feriunt molles taurea terga manus.
Claudia præcedit læto celeberrima vultu;
Credita vix tandem teſte pudica dea.
Ipſa ſedens plauſtro porta eſt invecta Capena:
Sparguntur junctæ flore recente boves.
Naſica accepit: templi non perſtitit autor.
Auguſtus nunc eſt: ante Metellus erat.
Subſtitit hic Erato. mora fit, ſi cætera quæram:
Dic, inquam, parva cur ſtipe quærat opes?

Contu-

chantibus, quorum hic unus, aſſolitum ἐν πορφυρᾷ ἑδῆτι incedere? an quod uni Archigallo hujuſmodi color in uſu? ut Hierapoli obſervatum in ſacrificiis Deæ Syriæ: vide & Lucianum. Reliquis ergo Gallis, alba erat veſtis, ſed in eâ urbe: nam Peſſinunte verſicoloriam geſtabant.

340. *Dominam ſacraque lavit aquis*] Domina, & ſacra, nihil aliud quam parvus lapis, & hunc facit Arnobius coloris furvi, atque atri, angulis prominentibus inæqualem; unde magnes vere creditus. Cauſam lotionis non video: ſcio quotannis poſtea repetitam; ſcio ſimile quid apud Argivos factitatum cum ſimulacro Minervæ. *Neap. Lavit dominam*] Deæ ſimulacrum. *Et ſacra*] Quæ ſimul ferebantur. *Aquis Almonis*] Ipſius parvi amnis, & inde mos ſumpſit initium, reficrendæ deæ illuc.

341. *Exululant comites*] Galli miniſtri Cybelis ululatum ediderunt. *Tibia furioſa*] Vel horrenda, vel *furioſa*, quia furere ipſi miniſtri videbantur. *Paul. Exululant comites*] In ululationibus hæ voces illis frequentes, εὖα, σαβοῖ, ὕης, ἄττης, καὶ ἄττης ὕης. Neap.

342. *Taurea terga manus*] De tympano Antipater.

——Ἀνδία γὰρ τότε βύρσης
Τευρείᾳ κενεὸν δοῦπον ἐδωκε λέων.

Aſinum etiam ad tympanum excoriarunt Galli apud Phædrum. *Neap. Et manus molles*] Mollium miniſtrorum. *Feriunt terga taurea*] Tympana ex taurorum corio.

344. *Vix tandem eſt credita pudica*] Tandem omnes credidere eam caſtam, ſed difficulter: credidere tamen.

345. *Ipſa*] Deûm mater. *Sedens plauſtro*] Quæ jam currui erat impoſita. *Eſt invecta*] Illata, & intra urbem vecta. *Porta Capena*] Qua exitur in viam Appiam.

346. *Boves junctæ*] Quæ jugatæ currum trahunt. *Sparguntur flore recente*] Recentibus floribus & viæ ſternebant.

347. *Naſica accepit*] P. Scipio Naſica, qui vir optimus à ſenatu judicatus eſt, deam accepit in ingreſſu urbis. *Templi non perſtitit autor*] Hic ipſe Naſica templum deæ non conſtruxit, ſed Q. Cæcilius Metellus, ex donis deæ collatis templum in regione portæ Capenæ matri deorum erexit, inſtauravitque illud poſtea Auguſtus, & ludos conſtituit.

348. *Auguſtus nunc eſt*] Autor ſcilicet templi: nam illud reſtituit tempore ipſius Poëtæ. *Paul. Ante Metellus erat*] Sed hic & Auguſtus templi refectores. Primi ex S. C. erexere è fundamentis M. Livius & C. Claudius, Cenſores. Lege Patavinum lib. 36. *Neapol.*

349. *Subſtitit*] Hic deſiit loqui Muſa.

350. *Dic, inquam, cur quarat opes*] Ipſa dea cur ſibi nummos quærat. *Parva ſtipe*] Parvo nummo. Eo enim die ſinguli ſingulos nummos offerebant. *P. Parva cur*] Hanc *exiguam* dixit in libris Ponticis: Hanc vicatim colligebant Phrygii generis vir & mulier per eos dies quibus Diva per urbem ferebatur. Et erogatio illa ſemel annua fuit, non menſtrua. Μητραγυρτεῖν, inquit Euſtathius

Contulit æs populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait. dandæ mos ſtipis inde manet.
Cur vicibus factis ineunt convivia, quæro,
Tunc magis, indictas concelebrantque dapes.
Quod bene mutarit ſedem Berecynthia, dixit;
Captant mutatis ſedibus omen idem.
Inſtiteram, quare primi Megaleſia ludi
Urbe forent noſtra: cum dea (ſenſit enim)
Illa deos, inquit, peperit. ceſſêre parenti,
Principiumque dati mater honoris habet.
Cur igitur Gallos, qui ſe excidêre, vocamus?
Cur tanto Phrygia Gallica diſtet humus?
Inter, ait, viridem Cybelen altaſque Celænas,
Amnis

thius eſſe, τὸ μιτραλυμπάνων καὶ τινῶν τοιούτων περιϊέναι, καὶ ἐπὶ τῇ μητρὶ ὀγείρειν τροφάς. Inde Μητραγύρται, qui ſtipem cogebant Matri Deorum cum tabellâ, ut ait Comicus ἐν Ἡιόχῳ. His mendicantibus ſolitus olim dicere Antiſthenes, Οὐ τρέφω τὴν μητέρα τῶν θεῶν, ἵν' οἱ θεοὶ τρέφωσιν. Obſervandum tamen, hujuſmodi munus numquam ut civis Romanus exerceret Senatum permiſiſſe. *Neap.*

351. *Ait*] Contulit æs populus. *Metellus*] Ipſe Q. Cæcilius Metellus. *Fecit delubra*] Extruxit templum.

352. *Danda ſtipis*] Offerendorum nummorum.

353. *Quæro cur ineunt convivia factis vicibus*] Poſtea interrogo, unde ea ſit conſuetudo, quod in his feſtis viciſſim modo ad hæc, modo ad illa convivia eant. *Paul. Cur vicibus factis ineat convivia*] Rationem paulo poſt reddit, quod ipſa Dea ſedem bene mutarit ex Phrygiâ in auguſtius domicilium: inde viciſſim hoc tempore inibant Romani convivia, quod priſco verbo dictum *mutitare*. Unde quæſtio illa apud A. Gellium lib. 18. cap. 11. *Quam ob cauſſam Patritii Megalenſibus mutitare ſoliti ſint, plebs Cerealibus?* Neap.

354. *Et magis tunc*] Magis quam ullo unquam tempore. *Concelebrant*] Cum celebritate frequentant. *Dapes indictas*] Ipſa convivia indicta: nam indicebantur ab ipſis ſacerdotibus.

355. *Quod Berecynthia*] Ideo factis vicibus ineunt convivia, quod Deorum mater. *Bene mutavit ſedem*] Proſpere commutavit montes Phrygiæ, pro urbe Roma.

356. *Captant idem omen*] Proſperæ mutationis. *Mutatis ſedibus*] Cum è convivio in convivium ſe recipiant.

357. *Inſtiteram*] Quærens ſc. *Quare*] Cur Romæ primi dicantur, & primo loco fiant ludi iſti, quos conſtituit M. Junius Brutus, & Megaleſia appellantur.

358. *Cum dea*] Erato.

359. *Illa*] Cybele. *Peperit deos*] Jovem, Junonem, Neptunum, Plutonem. *Ceſſêre parenti*] Dii ipſi voluere matri cedere. *Paul. Illa deos*] Ea cauſſam. *N.*

360. *Principium dati honoris*] Hoc eſt, primum ludorum honorem, nam cum ludi diis exhibeantur, primus honos matri deorum debetur: ideo ipſi primi & magni dicuntur ludi.

361. *Cur ergo vocamus Gallos*] Cur Galli dicti ſint miniſtri Cybeles, qui ſibi virilia exciderunt, ſeu amputaverunt. *P. Qui ſe excidere*] A Gallo Phrygiæ flumine: auctor Stephanus, & Herodianus libro primo.

362. *Humus Gallica*] Gallia ipſa. *Tantum diſtet*] Disjuncta & longe remota ſit, *à Phrygiâ.*

363. *Inter, ait, viridem Cybelem*] Muſa cauſam appellationis ad Gallum fluvium refert, cujus aqua epota furorem gignit. Is labitur per ea loca Phrygiæ, ubi matris deûm erant templa. *P. Altaſque Celænas*] Et mons & urbs vetus in eodem

Amnis it inſana, nomine Gallus, aqua.
Qui bibit inde, furit. procul hinc diſcedite, quis eſt
Cura bonæ mentis. qui bibit inde, furit.
Non pudet herboſum, dixi, poſuiſſe moretum
In dominæ menſis? an ſua cauſſa ſubeſt?
Lacte mero veteres uſi memorantur, & herbis;
Sponte ſua ſi quas terra ferebat, ait.
Candidus eliſæ miſcetur caſeus herbæ;
Cognoſcat priſcos ut dea priſca cibos.
POſtera cum cœlo motis Pallantias aſtris
Fulſerit; & niveos Luna levârit equos;
Qui dicet, Quondam ſacrata eſt colle Quirini
Hac fortuna die Publica; verus erit.

Tertia

eodem ſita eſt hujus nominis. Strabo lib. 12. de Mæandro. Dixi *vetus*; nam deſiit, civeſque in Apamæam novam urbem tranſlati, haud procul à veteribus Celænis: cujus migrationis auctor olim fuit Antiochus Soter. *Neapol.*

364. *Aqua inſana*] Inſaniam & furorem incutientes. *Inter viridem Cybelen*] Cybelon & Cybelen dicimus montem, de quo paulo ſuperius. *Et altas Celænas*] Celænæ in Phrygia collis quidam eſt, ut Strabo inquit, in quo urbs fuit ejuſdem nominis.

365. *Quis*] Pro quibus. *Eſt cura*] Qui ſanæ mentis eſtis, & inſanire non vultis.

367. *Non pudet herboſum*] Ultima quæſtio, Cur in epulis deæ moretum adhibeatur. Cauſam refert muſa ad antiquos cibos, cum lacte & herbis olim homines veſcerentur. Neque enim eſt aliud *moretum*, niſi admixtio multarum rerum cum lacte & caſeo. *Poſuiſſe*] Apponere deæ epulis. *Herboſum moretum*] Ex herbis & lacte & caſeo confectum. *Paul. Herboſum moretum*] Græci vocant μυττωτόν. Omne tritum fere *moretum* dixere veteres. Gloſſæ, *moretum*, τρίμμα, quod ἀπὸ τῦ τρίβειν, i. e. conterere. Aliæ, *intritum*, ἔμβροχὴ, quod ἀπὸ τῦ βρέχειν, id eſt, madefacere. Ergo ἔμβροχὴν, & moretum & intritum unius facio ſignificatus. Sed quod Galatis ἔμβριχθος, Gr. ἔμβροχή: quæ vox pure reſpondet Latinis *perfuſio*: hæc in moreto conficiendo neceſſaria. Erat enim ex oleo & aceto, quod in allia, apium, rutam, coriandrum, bulbum, & caſeum infundebatur. *Neap.*

368. *An ſua cauſa abeſt*] An eſt aliqua cauſa propria, quare id fiat.

369. *Narrantur uſi*] Quaſi dicant, veſci ſolitos ipſos veteres. *Mero, lacte & herbis*] His enim veſcebantur ante panis uſum.

371. *Candidus caſeus miſcetur elixa herba*] Hoc nunc offertur epulis deæ, caſeus cum herbis elixis, quod moretum.

372. *Cognoſcat priſcos cibos*] Qualibus Saturni tempore veſci conſueverunt.

373. *Poſtera cum cœlo*] Octavo Idus April. hoc eſt, ſexta die menſis; Erit feſtum publicæ Fortunæ: cujus templum à Cæſare conſecratum eſt in colle Quirinali, poſt Africanam victoriam, de Scipione, & rege Juba. *Pallantias*] Pallantis ex Titanum genere filia. *Motis aſtris*] Pulſis ſyderibus, quæ adventu majoris luminis obſcurantur. *Paul. Primos cibos*] Caſeus certe ex antiquiſſimis eſt. Athenæus lib. 4. *Neap.*

374. *Et luna levarit equos*] Hoc eſt, ubi occidet Luna, & mane illuxit.

375. *Verus erit, qui dicet*] Vera loquetur, quicunque id aſſeret.

376. *Publica Fortuna*] Ædes Fortunæ publicæ conſecrata fuit quondam. *Hac die*] Quæ octava eſt Iduum April. *Paul. Hac Fortuna die publica*] Duo ſunt templa in Faſtis Ovidianis Fortunæ Publicæ dedicata, unum hîc Nonis Aprilis, alterum 8. Kalendas Junias. Unum vero Romæ fuit à Latinis Græciſque (τύχη δημο-

Tertia lux (memini) ludis erit: hæc mihi quidam
Spectanti ſenior, contiguuſque loco,
Hæc, ait, illa dies, Libycis qua Cæſar in oris
Perfida magnanimi contudit arma Jubæ.
Dux mihi Cæſar erat, ſub quo meruiſſe tribunus
Glorior, officio præfuit ille meo.
Hanc ego militiæ ſedem, tu pace paraſti,
Inter bis quinos uſus honore viros.
Plura locuturi ſubito ſeducimur imbre.
Pendula cœleſtes Libra movebat aquas.
Ante tamen, quam ſumma dies ſpectacula ſiſtat;
Enſifer

Συμποσίαν hi nuncuparunt) ſic dictum in monte Quirinali. Merito ergo argutantur multa interpretes, ſed nemo ſane eorum ſanæ mentis, in fragmento Kalendarii antiqui inſcriptio veterum pagina cxxxv. in quo poſt notas illas, Q.R.C.F. id eſt, *Quando Rex comitiavit fas*, qui dies eſt 9. Kalendas Junias, ſtatim ſequebantur hæ, FORTUN. PUBLIC. PR. IN COLL. hoc eſt, *Fortuna Publica primigenia in colle*. Sequitur ergo quod verſus menſe Maio loquatur de Fortunâ primigeniâ; quæ etiam, ut vides, *Publica* dicta; menſe vero Aprili de eâ quæ tantum Publica cognominata: utraque templum habuit in colle Quirinali.

377. *Tertia lux, memini*] Hoc eſt, tertia poſt Nonas, quæ 6. Idus Aprilis, ludi fiebant: idque etiam monet vetus Kalendarium. Dubium, an hos fecerint Romani in Julianæ victoriæ æviternam memoriam. Sitque ludus aliquis continuatus ex tot quos tunc edidit ſummus ille Princeps. *Hac mihi quidam*] Malo, *quondam*, ut ineſt M. SS. Scribebat in exilio. *Neapol. Hac die*] Quæ octava eſt Iduum April. *Tertia lux*] Tertia dies à feſto Publicæ Fortunæ. hoc eſt, ſexto Idus April. *Erit ludis*] Deputata: eo enim die ludi fiunt.

378. *Continuus mihi*] Qui ſpectabam ipſos ludos. *Et loco*] Quaſi qui continuato ordine proximo mihi loco ſedebat.

379. *Hæc illa dies*] Referebat ille ſenex in ludis eum eſſe diem quo Cæſar in Africa victor fuerat. *In oris Libycis*] In Africa. *Paul. Hæc, ait, illa dies*] Habes diem: annus vero fuit Decvii. ab V. C. triumphus Cæſaris IV. *Neapol.*

380. *Contudit*] Tundendo attrivit & oppreſſit. *Magnanimi Jubæ*] Regis Mauritaniæ.

381. *Dux mihi Cæſar erat*] Quaſi eo tempore ego ſub Cæſare militabam. *Tribunus*] Tribunus mil.

382. *Glorior meruiſſe*] Ad gloriam mihi aſcribo ſub Cæſare militaſſe. *Præfuit officiis meis*] Quia ille imperator, & ego ſub eo tribunus.

383. *Ego paravi hanc ſedem militiæ*] Erant in eo ordine ſubſelliorum, ubi ſedere non licebat, niſi qui magiſtratum geſſerant. Inquit ergo ille ſe militia, quia tribunus fuerat, jus in eo ſubſelliorum ordine ſibi paraſſe: Poëtam vero domi in pace, fuit enim in eo magiſtratu decemvirali, in quo ipſi judices de cauſis ad arbitrium judicabant. *Paul. Inter bis quinos*] Ergo juxta Tribunum ſedit Ovidius; non quia ex equeſtri familiâ, ſed quia Decemvir. Hoc munus exercuit noſter pauculos annos, opinor, antequam urbe diſcederet, & ad hunc magiſtratum pertinebat Centumviros congregare, ad judicia reorum peragenda: cui rei initium ex Auguſti inſtitutione.

385. *Subito ſubducimur imbre*] Eodemmet die. Plinius lib. 18. cap. 26. *Cæſari* VI. *Idus ſignificatur imber Libra occaſu.* Neap. *Subducimur*] Repellimur à ſubſelliis.

386. *Libra pendula*] Pendens, quæ jam in occaſu erat. *Movebat cœleſtes aquas*] Inferebat pluvias.

387. *Summa dies*] Antequam ultima pars diei. *Siſtat ſpectacula*] Quaſi finem imponat ludis. *Paul. Ante tamen quam ſumma*

Enſifer Orion æquore merſus erit,
Proxima victricem cum Romam inſpexerit Eos,
Et dederit Phœbo ſtella fugata locum:
Circus erit pompa celeber numeroque deorum:
Primaque ventoſis palma petetur equis.
Hinc Cereris ludi: non eſt opus indice cauſſa.
Sponte deæ munus, promeritumque patet.
Panis erant primis virides mortalibus herbæ;
Quas tellus nullo ſollicitante dabat.
Et modo carpebant vivaci ceſpite gramen;
Nunc epulæ tenera fronde cacumen erant.
Poſtmodo glans nata eſt. bene erat, jam glande reperta
Duraque magnificas quercus habebat opes.

Prima

ſumma dies] Erit Orionis occaſus heliacus. Sed heus quam menſis dices hanc ultimam ſpectaculorum? Kalendarium Conſtantini Magni ludos Magaleſiacos terminat 4. Idus: nam 3. Idus facit natalem Severi. *Neapol.*

388. *Orion enſifer*] Nam armatus cum gladio figuratur. *Erit merſus*] Jam occiderit, quod quidem ſidus procelloſum eſt.

389. *Proxima victricem*] Quinto Idus April. hoc eſt, nono die menſis, ludi fiunt ad honorem Cereris in Circo maximo: primum tamen fiunt Equiria. *Proxima Eos*] Sequens aurora: nam ἠὼς aurora eſt. *Cum inſpexerit Romam victricem*] Hoc eſt, cum ſequens dies effulſerit, & Romam orbis victricem radiis illuſtrarit. *Paul. Proxima victricem*] Pridie idus Apriles erant Cerealia: quæ non ex Feſtis antiquis Urbis. *Neap.*

390. *Et ſtella fugata, &c.*] Et quum ſtellæ erunt ab aſpectu noſtro fugatæ.

391. *Circus*] Maximus ſcil. quem Tarquinius Priſcus extruxit inter Aventinum & Palatium. *Erit celeber pompa*] Nam cum pompa frequentatus. *Pompa* enim eſt ipſe ordo procedentium in ſupplicatione. *Et numero deorum*] Quaſi multis deorum imaginibus. *P. Pompa celeber*] Expreſſim de hac Cereali M. Varro de R. R.

392. *Palma petetur equis*] Ludi conſtabant ex pluribus equitum curſibus, teſte Tacito. Prodigii loco olim habitum, pro hiſce gladiatorios exhibitos. Vide Dionem lib. 47. anno DCCXII. N. *Et prima palma*] Prima victoria in ipſo circo. *Equis ventoſis*] Pernicibus inſtar ventorum. Primo enim loco erit equorum curſus.

393. *Hinc*] Poſt Equiria. *Ludi Cereris*] Qui exhibentur ad honorem Cereris. *Non eſt opus indice cauſa*] Demonſtratore originis horum ludorum, cum per ſe pateat. *Paul. Hinc Cereris ludi*] Hoc eſt, à duodecima menſis die incipiunt Cereales. *Neap.*

394. *Munus deæ*] Cereris. *Et promeritum*] Quaſi quod ipſa de genere humano promerita ſit.

395. *Verides herba erant panis*] Hoc inquit: primi mortales loco panis, qui nondum traditus erat, veſcebantur virentibus herbis.

396. *Quas herbas dabat tellus*] Nullo terram ipſam colente. Sua enim ſponte procreabat herbas.

397. *Gramen vivax*] Virens. *De ceſpite*] De terra herbida.

398. *Nunc epula*] Mortalium. *Erat cacumen è tenera fronde*] Summitas illa tenellarum frondium.

399. *Poſtmodo glans nata eſt*] Poſtea natæ ſunt ipſæ glandes, & hic cœpit eſſe precioſior cibus.

400. *Habebat opes magnificas*] Propter ſplendidiorem cibum ex glandibus quam ex herbis.

Prima Ceres homine ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.
Illa jugo tauros collum præbere coëgit:
Tunc primum ſoles eruta vidit humus.
Æs erat in pretio: chalybeïa maſſa latebat.
Heu quam perpetuo debuit illa tegi!
Pace Ceres læta eſt. at vos optate coloni
Perpetuam pacem, perpetuumque ducem.
Farra deæ, micæque licet ſalientis honorem
Detis, & in veteres thurea grana focos.
Et ſi thura aberunt; unctas accendite tædas.
Parva bonæ Cereri, ſint modo caſta, placent.
A bove ſuccincti cultros removete miniſtri:
Bos aret: ignavam ſacrificate ſuem.
Apta jugo cervix non eſt ferienda ſecuri,
Vivat, & in dura ſæpe laboret humo.

Exigit

401. *Ad meliora alimenta*] Ad utiliorem cibum.

402. *Mutavit glandes*] Tradito enim uſu panis, glandes rejectæ ſunt.

403. *Illa*] Prima Ceres domare boves, & ad jugum ligare docuit. *Eruta terra*] Everſa, arata. *Vidit ſoles*] Tum primum effoſſa ſoli patuit.

405. *Æs erat in precio*] Cœperat jam eſſe in pretio, cum eſſet opus ferreis inſtrumentis ad proſcindendam terram. *Maſſa chalybis*] Ipſe infabricatus chalybs. *Placebat*] Ad formanda ſcilicet ruſtica inſtrumenta.

406. *Heu perpetuo debuit*] Poëta optaret tectam fuiſſe ſemper ferri maſſam, quia inde fabricata bellica inſtrumenta.

408. *Perpetuum ducem*] Optate perpetuam vitam Tiberio, qui pacem præſtat.

409. *Farra licet*] Ceres non exigit opulentum ſacrificium, ſed farre & ſale contenta eſt, & thure, & ſuccenſis tædis. *Licet detis*] Offeratis deæ Cereri. *Honorem micaque ſalientis*] Hoc eſt, micæ ſalis: nam igne ſaliens edit crepitum: offeratis igitur molam, quæ erat ex ſale & farre mollito.

410. *Grana thurea*] Grana thuris adolenda.

411. *Sed ſi thura aberint*] Cum haberi thus non poterit. *Accendite tædas unctas*] In ludis enim Cereris tædæ accenſæ feruntur, quod raptam filiam accenſa face quæſierit.

412. *Parva*] Munera: quia modico contenta eſt. *Sint modo caſta*] Modo pia & caſta mente offerantur.

413. *A bove ſuccincti*] Admonet ne bos immoletur. *O miniſtri ſuccincti*] Vos qui ſuccincta veſte ſacra miniſtratis: qui mos ſuccingendi à Gabinis emanavit. *Paul. Cultros removete*] Antiquiſſima lex fuit inter primævos Italiæ populos, quâ pari pœnâ homicida & bovicida damnabatur: ratio apud Ælianum Ποικίλης lib. 5.

414. *Ignavam ſacrificate ſuem*] Forſan ad illud Platonis Comici adluſit Ἐν ταῖς Ἑορταῖς τῷ δράματι: quem dixiſſe refert Clemens Alexandrinus Stromatωn lib. 7. non oportere nos alium ex omni quadrupede occidere quam ſuillum: nam & caro habetur in gulæ deliciis, & nihil ex porco redit præter ſetas, grunnitum & lutum. *Neapol. Aret bos*] Arate & proſcindite terram bove. *Sacrificate ignavam ſuem*] Immolate porcum ignavum, & inutilem.

415. *Cervix*] Bovis. *Jugo*] Ferendo. *Non eſt ferienda*] Cædenda.

417. *Exigit*

Exigit ipſe locus, raptus ut virginis edam.
Plura recognoſces pauca docendus eris.
Terra tribus ſcopulis vaſtum procurrit in æquor
Trinacris; à poſitu nomen adepta loci.
Grata domus Cereri, multas ea poſſidet urbes,
In quibus eſt culto fertilis Henna ſolo.
Frigida cœleſtum matres Arethuſa vocarat.
Venerat ad ſacras & dea flava dapes.
Filia, conſuetis ut erat comitata puellis,
Errabat nudo per ſua prata pede.
Valle ſub umbrola locus eſt, adſpergine multa
Uvidus ex alto deſilientis aquæ.
Tot fuerant illic, quot habet natura, colores,
Pictaque diſſimili flore nitebat humus.
Quam ſimul adſpexit; Comites, accedite, dixit,
Et mecum plenos flore referte ſinus.
Præda puellares animos prolectat inanis,

Et

417. *Exigit iſte locus*] Quoniam Cereris ſacra canimus, ipſa res exigere videtur. *Ut edam raptus virginis*] Quemadmodum à Plutone Proſerpina Cereris filia rapta fuerit.

419. *Terra tribus ſcopulis*] Aggreditur Proſerpinæ raptum, qui ab aliis quoque Poetis celebratus eſt. Sicilia olim Trinacria ab ejus forma primum appellata, Sicania deinceps ab incolis dicta eſt. *Procurrit*] Protenditur. *Tribus ſcopulis*] Tribus promontoriis, Lilybæo, Pachyno, Peloro.

420. *Adepta nomen Trinacris à poſitu loci*] Quæ à ſitu & forma triangulari Trinacris eſt appellata. *Paul. Grata domus Cereri*] Imo non habuit Diva gratiorem, tum ob frumentationem, tum ob cultum. De illius religione mira Cicero Verrinâ 4. Et poſt ſubdit fanum illud habuiſſe bina Cereris ſimulacra, unum marmoreum, alterum æreum modicum cum facibus, ſed excellens & perantiquum. Si templi auctorem quæris, is Gelon fuit Syracuſanus, ſed partem extruxit, non omne: obiit, cum fere claudereturopus. Diodorus Siculus lib. 11.

422. *Culto ſolo*] Meo veteri eſt, *celſo*, ex ſitu, qui arduus & acclivis. *Neapol. Grata*] Quoniam eam inſulam incoluit. *Eſt Enna*] Enna quæ feracem habet agrum, quod oppidum eſt in media fere inſula.

423. *Frigida, &c.*] Nympha Syracuſii fontis, quam Arethuſam vocant, deas ad convivium vocarat. Acceſſerat & Ceres: quod ideo fictum eſſe à poetis conſtat, ut occaſio daretur amanti rapiendæ virginis, abſente cuſtodia matris. *Frigida*] Ob aquæ frigiditatem. *Matres cœleſtum*] Deas deorum genitrices.

424. *Dea flava*] Ceres: à flavis ſpicis, quibus coronatur. *Venerat ad ſacras dapes*] Epulas ab Arethuſa paratas.

425. *Filia*] Proſerpina.

426. *Errabat*] Vagabatur. *Nudo pede*] Ut moris erat.

427. *Valle ſub umbroſa*] Topographia eſt. Deſcribit enim vallem amœnam, ubi florida erant illa prata, quo Proſerpina cum ancillis acceſſit. Dum ſtudioſæ ſunt florum legendorum, illa à patruo rapta eſt. *Umbroſa*] Nemoroſa. *Multa aſpergine aqua*] Et ſcaturigine & aſperſione aquæ. *Paul. Locus eſt*] Vaſta illa ſpecus celebris hoc raptu apud veteres, & ſoli fertilitate. *Neap.*

428. *Ex alto deſilientis*] Quæ è loco edito deorſum labitur, ſeu deſilit.

430. *Humus nitebat*] Nitida videbatur. *Picta diſſimili flore*] Variis & diverſis floribus.

Et non ſentitur ſedulitate labor.
Hæc implet lento calathos è vimine textos:
Hæc gremium; laxos degravat illa ſinus.
Illa legit calthas: huic ſunt violaria curæ:
Illa papavereas ſubſecat ungue comas.
Has Hyacinthe tenes, illas Amarante moraris:
Pars thyma, pars caſiam, pars meliloton amant.
Plurima lecta roſa eſt, ſunt & ſine nomine flores:
Ipſa crocos tenues, liliaque alba legit.
Carpendi ſtudio paulatim longius itur,
Et dominam caſu nulla ſecuta comes.
Hanc videt, & viſam patruus velociter aufert:
Regnaque cœruleis in ſua portat equis.
Illa quidem clamabat, Io chariſſima mater,
Auferor, ipſa ſuos abſcideratque ſinus.
Panditur interea Diti via: namque diurnum
Lumen inaſſueti vix patiuntur equi.

At

434. *Et labor non ſentitur ſedulitate*] Quaſi ipſo colligendorum florum ſtudio laborem non ſentiunt.

435. *Implet calathos*] Vaſa viminea. Ideo hic. *Nexos*] Contextos. *E vimine lento*] Flexibili.

436. *Illa degravat*] Onerat. *Laxos ſinus*] Veſtes apertas.

437. *Illa legit calthas*] Calthæ flores ſunt violis ſimiles. Belg. *Goutsblom. Huic*] Alteri. *Violaria ſunt curæ*] Nam violas è violariis decerpebat. *Paul. Illa legit calthas*] Caltham Gloſſæ exponunt βόφθαλμον. At Plinius hanc à buphthalmo, & bene, diſcriminat: nam licet ſint flores fere colore ſimiles, non tamen iidem. Caltham ille facit violæ marinæ concolorem, ſed amplioribus foliis. *Neap.*

438. *Subſecat ungue*] Decerpit. *Comas papavereas*] Ipſa papavera, Belg. *Heuſ.*

439. *Has*] Puellas. *Tenes tu Hyacinthe*] Nam eas retinens in re colligendo. Belg. *Tacinten. Illas*] Alias puellas. *Moraris*] In mora detines. *O Amaranthe*] Bel. *Duyſent ſchoon.*

440. *Pars*] Illarum puellarum. *Amat thyma*] Et thymi flores colligit B. *Thym.* Herba apibus grata, unde præſtantiora mella decerpunt. *Pars rorem*] Marinum ſcilicet. B. *Roſmaryn. Vel amat meliloton*] Meliloti flores legit. B. *Malloot.*

441. *Plurima lecta roſa eſt*] Et roſas quoque legerunt. *Sunt & flores ſine nomine*] Quorum nomina non referuntur.

442. *Ipſa*] Proſerpina. *Legit crocos tenues*] Croci flores. Belg. *Saffraen.* P. *Liliaque alba legit*] Claudianus in raptu de eâdem:

Et aut violas aut candida lilia carpit.
Neap.

443. *Studio carpendi*] Carpendorum florum.

444. *Et caſu nulla comes eſt ſequuta dominam*] Accidit ut nulla ex puellis dominam ſequeretur.

445. *Patruus*] Pluto: nam frater Jovis & Cereris.

446. *Et portat in ſua regna*] In Erebum. *Equis caruleis*] Subnigricantibus. Quatuor enim illi aſſignantur equi, quorum nomina Orneus, Nycteus, Ethonus, & Adaſter.

448. *Suos ſinus*] Veſtes abſcidit.

449. *Diti*] Patefacta eſt Plutoni via: hoc eſt, antrum illud apertum, per quod ad inferos deſcendebatur.

450. *Non patiuntur lumen diurnum*] Claram diei lucem pati non poſſunt; Ideo celerrime refugit Pluto.

451. *Ad*

At chorus æqualis cumulatis flore caniſtris,
Perſephone, clamant, ad tua dona veni.
Ut clamata ſilet, montes ululatibus implent,
Et feriunt mœſta pectora nuda manu.
Attonita eſt plangore Ceres (modo venerat Hennam)
Nec mora, Me miſeram, filia, dixit, ubi es?
Mentis inops rapitur. quales audire ſolemus
Threïcias paſſis Mænadas ire comis.
Ut vitulo mugit ſua mater ab ubere rapto,
Et quærit fœtus per nemus omne ſuos;
Sic dea, nec retinet gemitus, & concita curſu
Fertur, & è campis incipit Henna tuis.
Inde puellaris nacta eſt veſtigia plantæ,
Et preſſam noto pondere vidit humum.
Forſitan illa dies erroris ſumma fuiſſet,
Si non turbaſſent ſigna reperta ſues.
Jamque Leontinos Aniſenaque flumina curſu
Præterit, & ripas, herbifer Aci, tuas:
Præterit & Cyanen & fontes lenis Anapi,
Et te vorticibus non adeunde Gela.

Liquerat

451. *Adminiſtræ*] Ancillæ ipſius virginis. *Chorus æqualis*] Qui ancillarum chorus erat ejuſdem ætatis cum Proſerpina. *Paul. At chorus æqualis*] Facit Proſerpinæ comites ejuſdem fere ætatis. *Neap.*

452. *Veni ad tua dona*] Huc ades ad flores tibi jam pro munere lectos.

453. *Implent montes ululatibus*] Quia magno ululatu & gemitu per omnes montes amiſſam dominam requirebant.

455. *Attonita eſt plangore Ceres, &c.*] Rediens ab Arethuſa miſeranda mater, audito ululatu & planctu ancillarum, obſtupuit. *Modo venerat Ennam*] Rediverat jam in Ennam, ubi erat ejus domicilium. *Paul.*

456. *Filia, dixit, ubi es?*] Meliores libri, *filia, clamat, ubi es?* Neap.

457. *Inops mentis*] Quaſi ſine mente. *Rapitur*] Raptim agitur. Ut quas ſolemus audire Mænades Threïcias ire fuſis comis: ita furore rapta eſt Ceres, veluti referuntur nobis ire furore concitas Thryades ipſas mulieres, cum Bacho ſacrificaverint. *Paul.*

458. *Mænadas ire comis*] Dionyſianas illas: quibus nomen hoc ab inſaniâ. *Neapol.*

459. *Ut mugit*] Ita gemebat illa, ut mugitum edit vacca.

461. *Sed concita curſu fertur*] Quaſi pernix agitur.

463. *Planta puellaris*] Virginei pedis.

464. *Preſſam*] Calcatam. *Noto pondere*] Filiæ pedibus matri notis.

465. *Forſitan illa dies*] Qua cœpit eam quærere. *Fuiſſet ſumma*] Id eſt, ultima. *Erroris*] Quia non magis erraſſet.

466. *Si ſues*] Porci. *Non turbaſſent*] Rictu & pedibus terram evertendo. *Signa reperta*] Ipſa veſtigia.

467. *Leontinos*] Qui fuêre in Siciliâ, inter Lilybæum & Peloridem mediterranei, prope Centuripinos. *Aniſena*] Plinio teſte, Aniſes in Sicilia fluvius eſt.

469. *Et præterit Cyanen*] Cyane fons eſt in agro Syracuſano. *Et præterit fontes lenis Anapi*] Leni fluxu labentis. Anapus Cyanæ commiſceatur.

470. *Gela non adeunde*] Quaſi qui facile pertranſire non potes. *Vorticibus*]

propter

Liquerat Ortygien, Megareaque, Pantagienque,
Quaque Simethæas accipit æquor aquas,
Antraque Cyclopum poſitis exuſta caminis,
Quique locus curvæ nomina falcis habet:
Himeraque & Didymen, Agrigentaque, Tauromenonq;
Sacrorumque Melan paſcua læta boum.
Hinc Camerinan adit, Thapſonque & Heloria Tempe,
Quaque patet Zephyro ſemper apertus Eryx.
Jamque Peloriaden, Lilybæaque, jamque Pachynon
Luſtrarat; terræ cornua prima ſuæ.
Quacunque ingreditur, miſeris loca cuncta querelis
Implet:

Propter aquas vorticoſas. Nam Gelas fluvius magnus prope Camerinam.

471. *Ortygiam*] Inſulam ante Syracuſas. *Et liquerat Megarea*] Hoc eſt, Megaram ipſam in Sicilia, cujus Strabo meminit. *Et Pantagiam*] Qui fluvius eſt prope Megaram. *Paul. Liquerat Ortygiam*] Inſulam prope Syracuſas; ne dicam peninſulam: nam ponte fuit olim annexa magnæ, miræ illi urbi.

472. *Simethaas*] Catoni riſum excuteret Berſmannus cum ſuâ notâ, *Simethos inſula*; cum Σίμαιθος ſit flumen prope Catanam, & Cyclopum ſcopulos: accolæ dicunt, *la Iaretta*. Neap. *Et qua æquor accidit aquas Simethaas*] Quaſi liquerat eam oram, qua Simethus fluvius in mare exit. Eſt enim non longe ab urbe Catanenſi.

473. *Antraque Cyclopum*] Antra Ætnæa, Cyclopibus habitata. *Exuſta*] Propter Cyclopes, qui miniſtri Vulcani dicuntur. *Paul.*

474. *Nomina falſis*] Licet hæc neſcias, de Meſſanâ an Drepanô intelligas: nam utraque habet à falce nomen, ex chorographiâ tamen, & ex eo quod multo poſt nominet Erycem, ad cujus pedes ſita civitas Drepanitana, Meſſanam præfatis verbis deſcribi non ambigo. *Neap. Quique locus curva nomina falcis habet*] Falcem Græci *drepanon* dicunt, à qua nomen inditum putant Drepano Siciliæ oppido, quod diſtat à Lilybæo (ut inquit Polybius) millia paſſuum non amplius quindecim.

475. *Himera*] Eſt oppidum inter Pelorum ac Lilybæum, quod Zanclæi condiderunt. Himera quoque nomen eſt fluvii ejus inſulæ non incelebris. *Didymen*] Ex inſulis Lipareorum, quas & Æolias dicimus, Siciliæ adjacentes, una eſt. *Agrigentaque*] Agragas oppidum eſt inter Pachynum & Lilybæum, quod *Agrigentum* noſtri dixerunt, autore Plinio. *Tauromenonque*] Pro Taurominum oppidum.

476. *Boum ſacrorum*] Sacrificio deſtinatorum.

477. *Camerinan*] Oppidum prope Gelam fluvium. *Et Thapſum*] Quæ parva eſt inſula juxta Syracuſas, par pœne fluctui. *Et Oloria*] Hoc eſt, cygneia. *Tempe*] Quæ in Sicilia ſunt, inſtar Theſſalicorum. *Paul. Et Oloria Tempe*] Legas cum noſtro, *& Eloria Tempe*. Tres apud me veteres habent, *Heloria*. Et ſane parum conſtantes ſcriptores antiqui in orthographiâ fluminis & urbis ejuſdem nominis. Græci: Ἕλωρος, πόλις Σικελίας, ἀπὸ Ἕλώρου πολιήτου. Neap.

478. *Semper apertus Eryx*] Hic mons Siciliæ dictus eſt ab Eryce Veneris & Butæ filio, qui ab Hercule cæſus dicitur. Imminet autem Eryx mari ea parte, quæ ad Italiam ſpectat, inter Drepanum & Panormum: in ejus vertice planities eſt, ubi fuit Erycinæ Veneris templum, omnium Siciliæ templorum ornatiſſimum opulentiſſimumque.

479. *Jamque luſtrarat*] Circuierat. *Peloriaden*] Arcem Pelori. *Et Lilybæa*] Lilybæum, ſeu Lilybæi montis juga. *Pachynum*] Promontorium,

480. *Prima cornua*] Promontoria, in tribus Siciliæ angulis, Pelorus ad ſeptentrionem, Pachynus ad ortum, Lilybæum ad auſtrum.

482. *Ut*

Implet: ut amiſſum cum gemit ales Ityn.
Perque vices, modo Perſephone, modo Filia clamat.
Clamat, & alternis nomen utrumque ciet.
Sed neque Perſephone Cererem, neque filia matrem
Audit; & alternis nomen utrumque perit.
Unaque, paſtorem vidiſſet an arva colentem,
Vox erat, Hac greſſus ecqua puella tulit?
Jam color unus ineſt rebus, tenebriſque teguntur
Omnia. jam vigiles conticuêre canes.
Alta jacet vaſti ſuper ora Typhoëos Ætne,
Cujus anhelatis ignibus ardet humus:
Illic accendit geminas pro lampade pinus:
Hinc Cereris ſacris nunc quoque tæda datur.
Eſt ſpecus exeſi ſtructura pumicis aſper;
Non homini regio, non adeunda feræ:
Quo ſimul advenit, frænatos curribus angues
Jungit, & æquoreas ſicca pererrat aquas.
Effugit & Syrteis, & te Zanclæa Charybdis,
Et vos Niſæi naufraga monſtra canes,
Hadriacumque patens late, bimaremque Corinthon.
Sic venit ad portus, Attica terra, tuos.

Hic

482. *Ut cum ales gemit Ityn amiſſum*] Ut Tereus in upupam converſus gemit filium Itym nomine, jam in avem quoque converſum. Vide Metam.

484. *Et alternis*] Vicibus ſcilicet. *Ciet*] Vocat. *Utrumque nomen*] Et Perſephones & filiæ.

486. *Perit alternis*] Per ipſas vices repetitum: quia non audiebatur.

489. *Jam color unus adeſt rebus*] Jam erat nox, & unus eſſe rebus omnibus color videbatur.

490. *Canes conticuere*] Quia quieti & ipſi ſe dedêre.

491. *Alta Ætne*] Et altus quidem mons eſt Ætna, unde erumpit ille ignis. Illuc acceſſit Ceres, & faces accendit: alligatiſque ad currum draconibus, eum aſcendit, & ad remotiora loca progreſſa eſt. *Jacet*] Impoſita eſt Typhoeo tota Sicilia, & Ætna ejus caput degravat.

492. *Cujus*] Typhoëos. *Ignibus anhelatis*] Anhelitu jactatis. *Ardet humus*] Ætnæa ſcilicet.

493. *Illic*] In igne Ætnæo. *Accendit*] Ceres. *Geminas pinus pro lampade*] Pro ſplendore & nocturna luce duas pinus ſuccendit.

494. *Nunc quoque datur*] Inde mos habuit originem, ut ſacerdotes Cereris ipſi deæ ſacrificantes, tædam accenſam ferant, appellatique ex eo Δαδοῦχοι. P.

495. *Eſt ſpecus, &c.*] Facit topographiam, quo in loco illa frænaſſet dracones. *Pumicis*] Exeſi.

496. *Non adeunda*] Ob difficilem aſcenſum, & excelſitatem loci.

497. *Quo ſimul ac venit*] In quod ſpecus poſtquam Ceres venit. *Junxit angues*] Dracones jam fræna tenentes ſimul ligatos ad currum junxit.

499. *Ad Syrtes*] Loca circa Scyllam & Charybdin, *Syrtes* appellat.

501. *Adriacumque patens late*] Venit in ſinum Adriacum late patentem. *Et Corinthum bimarem*] Quæ urbs quondam caput & lumen totius Græciæ, inter Ægæum & Ionium: ideo *bimaris* dicitur.

502. *Sic venit*] Ceres. *In portus tuos*] Nam exeuntibus Peloponneſum per Iſthmum, ſtatim occurrit Attica.

Hic primum ſedit gelido mœſtiſſima ſaxo.
Illud Cecropidæ nunc quoque triſte vocant.
Sub Jove duravit multis immota diebus,
Et lunæ patiens, & pluvialis aquæ.
Fors ſua cuique loco eſt. quod nunc Cerealis Eleuſin
Dicitur, hic Celei rura fuêre ſenis.
Ille domum glandes excuſſaque mora rubetis
Portat, & arſuris arida ligna focis:
Filia parva duas redigebat rupe capellas,
Et tener in cunis filius æger erat.
Mater, ait virgo, (mota eſt dea nomine matris)
Quid facis in ſolis incomitata jugis?
Reſtitit & ſenior, quamvis onus urget: & orat
Tecta ſuæ ſubeat quantulacunque caſæ.
Illa negat (ſimularat anum, mitraque capillos
Preſſerat)

503. *Sedit*] Deſcendens tum primum è curru, ſedit in eo ſaxo afflicta mater. *Paul. Mœſtiſſima ſaxo*] An in puteo, an in ſaxo ſederit, dubii ſcriptores.

504. *Nunc quoque triſte vocant*] Maternâ linguâ Ἀγέλαστον πέτραν. Vide Ariſtophanis Scholiaſtem. Et Heſychium in Ἀγέλαστος. Hoc ſaxum fuit prope puteum Καλλίχορον dictum: ibi primum aliquid in honorem Cereris celebratum. *Neap. Vocant illud triſte*] Ab ea Cereris mœſtitia etiamnum illud ſaxum ab Athenienſibus *triſte* nuncupatur.

505. *Sub Jove*] Sub dio.

507. *Sors ſua cuique loco eſt*] Quaſi quiſque locus ad aliquam fortunam deſtinatus, ſervatuſque eſt. Nam in campis Atticis, ubi exiguum rus erat Celei ſenis, futura erat aliquando Eleuſis civitas, clara Cereris religione. Celeus ſenex, cum in ſaxo ſedentem Cererem reperiſſet, quæ anum ſimulabat, oravit, ut domum ejus iniret: obteſtatuſque per ſalutem filiæ, flexit deam. Ingrediens languentem illius filium liberavit: daturaque erat illi immortalitatem, niſi parentum ſimplicitas obſtitiſſet. *Eleuſis Cerealis*] Quaſi urbs Cereris.

508. *Hæc Celei rura fuêre ſenis*] Videtur adſignificare, poſt Cereris adventum Eleuſim conditam, & in loco ubi erant Celei rura. Quod immanis anachroniſmus, ſive τὴν ἀρπάγην conferas in tempora Lyncei cum Euſebio, quod & indicat Tatianus Aſſyrius in Oratione contra Græcos: ſive certius, ad Theſei ſæculum; cum Eleuſis in Atticâ condita cccc. & aliquot annis antea ab Ogyge. Hunc facit urbis auctorem Africanus ἐν τρίτῃ Χρονογραφιῶν. *Celei ſenis*] Pauper, ut vides, noſtro fuit Celeus: ſed alii ſcribunt, Eleuſinis Regnum tenuiſſe: imo ut Deus ille & uxor ab Athenienſibus culti.

509. *Excuſſaque mora Rubetis*] Mora etiam dicuntur quæ rubi ferunt. *Neapol. Et mora excuſſa Rubetis*] Mora agreſtia, è rubis excerpta aut decuſſa.

512. *Erat æger in cunis*] Laborabat infans adverſa valetudine.

513. *Virgo*] Puella Celei filia.

515. *Reſtitit & ſenior*] Celeus. *Quamvis onus*] Lignorum ſcilicet, quæ ferebat. *Urget*] Premit & aggravat illum: perſtitit tamen.

516. *Subeat*] Ingrediatur. *Simularat anum*] Similem ſe anui cuidam fecerat. *Simularat anum*] Quo indice? niſi mitrâ: quæ vetularum propria apud Græcos & Latinos. *Neapol.*

517. Et

Preſſerat) inſtanti talia dicta refert :
Soſpes eas, ſemperque parens: mihi filia rapta eſt.
Heu melior quanto ſors tua ſorte mea !
Dixit : &, ut lacrymæ (neque enim lacrymare deorum)
Decidit in tepidos lucida gutta ſinus ;
Flent pariter, molles animi virgoque ſenexque.
E quibus hæc juſti verba fuêre ſenis :
Sic tibi, quam raptam quereris, ſit filia ſoſpes ;
Surge : nec exiguæ deſpice tecta caſæ.
Cui dea, Duc, inquit : ſciſti, qua cogere poſſes.
Seque levat ſaxo, ſubſequiturque ſenem.
Dux comiti narrat, quam ſit ſibi filius æger,
Nec capiat ſomnos, invigiletque malis.
Illa ſoporiferum, parvos initura Penates,
Colligit agreſti lene papaver humo.
Dum legit ; oblito fertur guſtaſſe palato,
Longamque imprudens exſoluiſſe famem.
Quæ quia principio poſuit jejunia noctis ;

Tem-

517. *Et preſſerat capillos mitra*] Ferebat in capite mitram, more gentis Phrygiæ & Mæoniæ.

518. *Inſtanti*] Celeo, qui inſtabat ut iniret caſam.

519. *Et ſemper parens*] Quaſi ut ſemper tibi filia ſit ſoſpes, nec ea orbari poſſis.

520. *Heu quanto eſt melior tua*] Quaſi quanto es tu felicior quam ego ſim.

522. *Et lucida gutta*] Sed emicuit ex oculis gutta in ipſos oculorum ſinus, ad lacrymæ ſimilitudinem.

523. *Et virgo & ſenex*] Et pater & filia commiſerati calamitatem Cereris, & ipſi ſimul flevere.

526. *Surge*] Ex iſto ſaxo. *Nec deſpice*] Non aſperneris tectum hoc. *Caſa exigua*] Parvi hujus noſtri tugurii.

527. *Sciſti qua cogere poſſes*] Quaſi ſciſti uti ea oratione, qua facile me ad obſequendum impelleres, cum ſoſpitem mihi filiam optaveris. *Neap.*

528. *Seque levat ſaxo*] Surgit è triſti lapide. *Neap.*

529. *Dux*] Ipſe Celeus ſenex. *Comiti*] Cereri.

530. *Nec capiat ſomnos*] Nec dormire queat. *Et invigilet malis*] Nimio languore invigilet puer, cum quieſcere non poſſit.

531. *Initura parvos Penates*] Ingreſſura exiguam illius caſam.

532. *Papaver ſoporiferum*] Soporem inferens. *Humo agreſti*] Ex terra inculta. Ideo papaver, ut induceret languenti puero ſomnum.

533. *Guſtaſſe palato oblito*] Propoſiti ſcilicet ſui. Id enim dicunt Cererem decreviſſe, non ante comeſſe, quam filiam comperiſſet : tunc vero oblita propoſiti, guſtavit papaver.

534. *Imprudens*] Imprudenter. *Exſoluiſſe*] Pro ſolviſſe. *P. Exſoluiſſe famem*] Nam vires reficere non decreverat, niſi Proſerpinâ inventâ. At guſtati papaveris hanc cauſam retulit Servius: *Cereale papaver ; vel, quod eſt eſui, ſicut frumentum, vel, quo Ceres uſa eſt, ad oblivionem doloris.*

535. *Poſuit jejunia*] Hinc in Myſteriis Eleuſiniis illa : Ἐνήστευκα ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης. Neap. *Quæ*] Ceres. *Quia poſuit jejunia*] Quia comedit. *Principio noctis*] In ipſo crepuſculo. Et illud in ſacris ejus ſervatur, ut in principio noctis epulentur : quoniam ea, eo primum tempore ſolvit jejunia.

Tempus habent myſtæ ſidera viſa cibi.
Limen ut intravit, luctus videt omnia plena.
Jam ſpes in puero nulla ſalutis erat.
Matre ſalutata (mater Melanira vocatur)
Jungere dignata eſt ós puerile ſuo.
Pallor abit, ſubitaſque vident in corpore vires.
Tantus cœleſti venit ab ore vigor.
Tota domus læta eſt. hoc eſt, materque paterque,
Nataque: tres illi tota fuêre domus.
Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lactis,
Pomaque, & in teneris aurea mella favis.
Abſtinet alma Ceres, ſomnique papavera cauſas
Dat tibi cum tepido lacte bibenda puer.
Noctis erat medium, placidique ſilentia ſomni;
Triptolemum gremio ſuſtulit illa ſuo:
Terque manu permulſit eum: tria carmina dixit;
Carmina mortali non referenda ſono:
Inque foco corpus pueri vivente favilla
Obruit, humanum purget ut ignis onus.
Excutitur ſomno ſtulte pia mater: & amens,

Quid

537. *Videt omnia plena luctu*] Videt lugentem pueri matrem, eo quod moriebatur filius. *Paul.*

539. *Mater Melanira vocatur*] Sic legendum ex omnibus libris ſcriptis & cuſis. Athenagoras vero, ſi ante oculos ſupra citata, vocat Μετανείρα: nec ſane aliter Apollodorus lib. 1. Bibliotheces. *Neap.*

540. *Eſt dignata*] Ceres. *Jungere os puerile ſuo*] Ori ſcilicet. *Etſi dea erat*, & immortalis, & libato oſculo ille ſanatus eſt.

541. *Abit pallor*] Ex ore puerili. *Subitas vires*] Redditum robur & valetudinem puerili corpori viderunt.

542. *Ab ore cæleſti*] Ab ore Cereris.

545. *Liquefacta coagula lactis*] Hæ fuerunt epulæ; lac coagulatum.

546. *Mella aurea*] Aurei coloris. *In ſuis ceris*] Quia nondum è favis expreſſa.

547. *Abſtinet*] Ab epulis ſcilicet.

548. *Et o puer*] Triptolemo, quem modo ſanaverat.

549. *Somni cauſas*] Cum ſomnum provocent.

550. *Illa*] Ceres. *Suſtulit*] Elevavit. *Triptolemum*] Puerum: erat enim illi immortalitatem largitura. *Paul. Suſtulit illa ſuo*] Apollodorus loco citato: *Celeo tum ex Melanirâ conjuge filius erat; hunc in ſinu ſuo abſumptum Ceres alebat, &c.* Neap.

551. *Et ter permulſit manu*] Mulcendo tractavit puerum. *Dixit tria carmina*] Quibus eximeret ab illo mortalitatem.

552. *Carmina non referenda mortali ſono*] Quæ hæc homini nota ſunt, nec pronunciari niſi à numine poſſunt.

553. *Corpus foco*] Foci cinere. *Vivente favilla*] Quaſi viventibus prunis: ea ratione callido cinere & prunis obruebat, ut exureret quicquid erat humanitatis in puero.

554. *Et obruit*] Involvit. *Onus humanum*] Corpus quod hominis erat.

555. *Pia & amens*] Pia, quo ad curam filii; amens, quia ſua imprudentia abſtulit divinitatem à filio, quam erat illi Ceres conceſſura.

556. *Et*

Quid facis? exclamat: membraque ab igne rapit.
Cui dea, Dum non vis, dixit, ſcelerata fuiſti:
Irrita materno ſunt mea dona metu.
Iſte quidem mortalis erit: ſed primus arabit,
Et ſeret, & culta præmia tollet humo.
Dixit: & egrediens nubem trahit, inque dracones
Tranſit, & alifero tollitur axe Ceres.
Sunion expoſitum, Piræaque tuta receſſit
Linquit, & in dextrum quæ jacet ora latus.
Hinc init Ægæum; quo Cycladas adſpicit omnes,
Ioniumque rapax, Icariumque legit:
Perque urbes Aſiæ longum petit Helleſpontum:
Diverſumque locis alta pererrat iter.
Nam modo thurilegos Arabas, modo deſpicit Indos:
Hinc Libs, hinc Meroë, ſiccaque terra ſubeſt.

Nunc

556. *Et rapit membra ab igne*] Puerum ab ipſis prunis: ſic deam ab opere inſtituto revocavit.

558. *Mea dona*] Quibus eram illum ornatura. *Sunt irrita*] Jam vana reddita & ſine effectu.

559. *Erit moriturus*] Cum immortalem reddere voluiſſem. *Primus arabit*] Etenim Ceres poſt inventam Proſerpinam docuit hunc Triptolemum arare, ſerere & colligere fruges maturas, & ſervare. *Paul. Sed primus arabit*] Non deſunt, qui Oſyridi aratri inventionem tribuant, qui Buzygi; & his ſubſcribit Heſychius: erudite omnium Maro nomen hujus ſubticuit in principio Georgicon. *Neap.*

560. *Et ſeret*] Primus ſemen frumenti terræ jaciet. *Et tollet præmia culta humo*] Et percipiet fructum ex terra quam coluerit.

561. *Et egrediens*] Exiens Celei domo. *Trahit nubem*] Divinam ſcilicet: quam dii ſecum trahunt, ne ab hominibus videantur. *Et tranſit in dracones*] In currum quem dracones agunt.

562. *Axe alifero*] Attollitur curru volanti, propter alatos dracones.

563. *Liquit receſſu*] Suo ſcilicet: cum ea regione diſcederet, reliquit. *Sunion*] Sunium Atticæ promontorium, porrectum in mari. *Et Piræa tuta*] Tutos portus. Piræus enim Athenienſium portus eſt. *Paul. Piraaque tuta receſſu*] Πειραϊκὸς, portus Athenienſium tutiſſimus, cæterùm claudi ſolitus, & aliis accuratæ cuſtodiæ generibus. Vide Thucydidem lib. II. *Neapol.*

564. *Et qua ora jacet in dextrum latus*] Reliquit Atticam totam, quam quidem è ſummo per Ægæum in Cycladas abeuntes ad dextram relinquunt.

565. *Hinc*] Ex Attica. *Adit Ægæum*] Quod quidem pelagus ita dictum multi volunt, quod in id Ægæus rex Athenarum ſe præcipitaverit. Plinius à ſcopulo, capræ effigiem habente. *Cycladas*] Inſulas circa Delon.

566. *Et legit*] Tranſit. *Ioniumque rapax*] Magnum mare Ionium, quod inter Ægæum & Adriaticum ſinum eſt.

567. *Petit longum Helleſpontum*] Longus quidem ſinus eſt Helleſpontus, cum anguſtus ſit. Protenditur enim ab Ægæo in Propontida. *Et alta*] Sublimis ipſa Ceres. *Pererrat iter diverſum locis*] Quaſi per diverſa loca filiam quærens errabat.

569. *Deſpicit*] E curru deorſum aſpicit. *Indos*] Orientis populos: ab Indo flumine maximo. *Arabas thurilegos*] Thura colligentes.

570. *Subeſt*] Cereri per aëra devectæ. *Libs*] Libyæ populus. *Meroë*] Inſula Nili eſt. Civitates in ea ſunt plures: ſed cæteris nobilior Meroë. *Et terra ſiccа*] Subeſt etiam Æthiopia, & plaga torrida. *Paul. Hinc Meroë*] Hæc inſularum maxima ex illis quas Nilus efficit. Ter-

Nunc adit Heſperios, Rhenum, Rhodanumq; Padumq;;
Teque future parens Tibri potentis aquæ.
Quo feror? immenſum eſt erratas dicere terras:
Præteritus Cereri nullus in orbe locus.
Errat & in cœlo: liquidique immunia Ponti
Alloquitur gelido proxima ſigna polo.
Parrhaſides ſtellæ (namque omnia noſſe poteſtis,
Æquoreas numquam cum ſubeatis aquas)
Perſephonen natam miſeræ monſtrate parenti.
Dixerat. huic Helice talia verba refert:
Crimine nox vacua eſt. Solem de virgine rapta
Conſule; qui latè facta diurna videt.
Sol aditus, Quam, quæris, ait, ne vana labores,
Nupta Jovis fratri tertia regna tenet.
Queſta diu ſecum, ſic eſt affata Tonantem:
(Maximaque in vultu ſigna dolentis erant)
Si memor es, de quo mihi ſit Proſerpina nata;
Dimidium curæ debet habere tuæ.
Orbe pererrato, ſola eſt injuria facti
Cognita: commiſſi præmia raptor habet.
At neque Perſephone digna eſt prædone marito,

Nec

raque] Ægyptus, & Æthiopia. *Neap.*

571. *Nunc adit Heſperios*] Reflectens in occidentem curſum, occidentis quoque populos perluſtravit. *Heſperios*] Italos & Hiſpanos. *Rhenum*] Fluvium ex Alpibus profluentem. *Et Rhodanum*] Fluvium Galliæ. *Et Padum*] Per Ciſalpinam Galliam labens..

572. *Future parens potentis aquæ*] Venit ad Te, ô Tibri, qui eris parens aquæ dominantis, propter futuram imperii Romani magnitudinem

573. *Quo feror*] Hæc omnia commemorando. *Dicere terras erratas*] Per quas Ceres erraverit.

575. *Errat & in cœlo*] Ut à ſideribus ſciſcitaretur quid de filia. *Paul. Liquidique immunia ponti*] Maro de iiſdem bene: *Metuentes æquore tingi.* Neap.

576. *Signa proxima polo*] Stellas Arctico polo propinquas. *Immunia*] Quæ aquis occiduis non immerguntur.

577. *Namque omnia noſſe poteſtis*] Quia in ſublimi parte cœli eſtis, & inde numquam diſcoditis, omnia proſpicere & cognoſcere vobis datur. *Paul. Parrhaſides ſtellæ*] Alloquitur utramque Arcton, ſive urſam, Helicen videlicet & Cynoſuram, quas à Parrhaſia, id eſt, Arcadia, *Parrhaſides* vocat. *Ant.*

580. *Helice*] Urſa major. *Nox vacua eſt crimine*] Quaſi, filia tua non eſt rapta per noctem: ſic nox ſine culpa eſt hujus criminis. *Paul.*

581. *Crimine nox vacua eſt*] Noctu, inquit, non contigit raptus. *Neap.*

583. *Sol aditus*] Cum illa ad Solem acceſſiſſet, ab eo accipit filiam à Plutone raptam, & illi nuptam. *Ne vana labores*] Ne fruſtra errando magis te excrucies.

584. *Tenet regna*] Jam effecta eſt inferorum regina. Prima regna Jovis, aquarum Neptuni, tertia Ditis.

588. *Debet habere dimidium curæ tuæ*] Quaſi cum ex te genita ſit, & mihi & tibi communis filia, communis quoque filiæ cura tibi eſſe deberet.

591. *Eſt digna marito prædone*] Non digna quæ raperetur, & raptori nuberet.

592. *Hæc*

Nec gener hoc nobis more parandus erat.
Quid gravius victore Gyge captiva tuliſſem;
Quam nunc te cœli ſceptra tenente tuli?
Verum impune ferat: nos hæc patiamur inultæ:
Reddat, & emendet facta priora novis.
Jupiter hanc lenit, factumque excuſat amore,
Nec gener eſt nobis ille pudendus, ait.
Non ego nobilior. poſita eſt mihi regia cœlo.
Poſſidet alter aquas: alter inane Chaos.
Sed ſi forte tibi non eſt mutabile pectus;
Statque ſemel juncti rumpere vincla tori;
Hoc quoque tentemus, ſiquidem jejuna remanſit:
Sin minus; Inferni conjugis uxor erit.
Tartara juſſus adit ſumptis Caducifer alis:
Speque redit citius, viſaque certa refert.
Rapta tribus, dixit, ſolvit jejunia granis,
Punica quæ lento cortice poma tegunt.
Haud ſecus indoluit, quam ſi modo rapta fuiſſet,
Mœſta parens, longa vixque refecta mora eſt.
Atque, ita nec nobis cœlum eſt habitabile dixit:

Tænarea

592. *Hoc more*] Per violentiam & raptum.

593. *Quid gravius*] Quid triſtius. *Captiva*] Si capta fuiſſet ab hoſtibus *Tuliſſet victore Gyge*] Si gigantes te è regno dejeciſſent. *Paul. Quid gravius victore Gyge*] Quid triſtius evenire mihi poterat, in gigantomachiâ, te victo & proſtrato. *Neap.*

595. *Te tenente ſceptra*] Te in cœlo regnante.

596. *Facta priora*] Quæ prius fecit. *Novis factis*] Quaſi reſtituat filiam ſic illatam injuriam rependet.

597. *Jupiter hanc lenit*] Conſolatur Cererem.

598. *Nobis pudendus*] Non eſt quo erubeſcere poſſumus eo genero. *Paul. Ille pudendus, ait*] Paulum aliter in Metamorphoſi: *Neque erit nobis gener ille pudori.* Neap.

599. *Non ego nobilior*] Non ſum præſtantior illi nobilitate: nam ex iiſdem parentibus nati ſumus.

600. *Alter*] E fratribus Neptunus. *Alter*] Pluto. *Poſſidet inane Chaos*] Vacua Erebi regna.

601. *Si forte non eſt tibi pectus mutabile*] Si à propoſito removeri non potes.

602. *Et ſtat*] Quaſi id fixum animo ſedet. *Rumpere vincula tori ſemel juncti*] Quaſi violare fœdera conjugii, quæ ſemel inita ſunt.

603. *Hoc quoque*] Ut conjugium violetur, & illa ab inferis revocetur.

604. *Si minus*] Si non fuit jejuna.

605. *Caduciſer*] Mercurius virgam ſerpentibus nexam ferens, quem *Caduceum* vocant. *Juſſus*] Ab Jove.

606. *Et refert certa viſa*] Ea quæ vidit & comperit.

607. *Rapta*] Proſerpina. *Solvit jejunia*] Famem: nam comedit. *Paul. Solvit jejunia granis*] Sic filia reddi ab inferis non potuit: inde malo punico abſtinuerunt Theſmophoriazuſæ, quæ Cereri τῇ Θεσμοφόρῳ à ſacris erant. *Neap.*

608. *Cortice lento*] Molli & fragili.

610. *Vix eſt refecta*] Quaſi vix recreari potuit. *Longa mora*] Longo tempore.

612. *Valle*

Tænarea recipi me quoque valle jube.
Et factura fuit: pactus niſi Jupiter eſſet,
Bis tribus ut cœlo menſibus illa foret.
Tum demum vultumque Ceres animumque recepit,
Impoſuitque ſuæ ſpicea ſerta comæ:
Largaque provenit ceſſatis meſſis in arvis,
Et vix congeſtas area cepit opes.
Alba decet Cererem veſtis. Cerealibus albam
Sumite: nunc pulli velleris uſus abeſt.

OCcupat Aprileis Idus cognomine Victor
Jupiter: hac illi ſunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo digniſſima noſtro
Atria

612. *Valle tartarea*] Apud inferos, ut cum filia eſſe poſſim.

613. *Niſi Jupiter eſſet pactus*] Hoc Cereri promiſiſſet ut filia ſenis menſibus eſſet apud inferos, ſenis apud ſuperos.

615. *Ceres recepit*] Animum reſumpſit: nam recreata eſt ab ingenti dolore.

616. *Serta ſpicea*] Ex ſpicis: nam his Ceres coronatur.

617. *Et provenit larga*] Copioſa. *Meſſis in arvis ceſſatis*] Derelictis ab ipſa Cerere: aut quæ jamdiu ceſſaverant à procreandis frugibus: ſic jam reddita eſt arvis fœcunditas. *Paul. Ceſſatis meſſis*] Alludit ad ea quæ finxit in Metamorphoſi, de mœſtâ & iratâ Cerere:

Neſcit adhuc ubi ſit; terras tamen increpat omnes,
Ingrataſque vocat, nec frugum munere dignas, &c. Neap.

618. *Et area vix cæpit*] Vix capere potuit. *Opes conjectas*] Frumentum cumulatum: quod in tam magna copia fuerat, ut capaces ejus areæ non eſſent.

619. *Alba veſtis decet Cererem*] Qui Cereri ſacrificant, habere debent albas veſtes. *Cerealibus*] in ſacris Cereris, quæ *Cerealia* dicuntur. *Paul. Alba decent Cererem*] Tertullianus in ſuo de Pallio, ubi & diſtinctos colores in antiquâ ſuperſtitione cuique numini proprios annumerat: *Cur iſtas*, inquit, *non ſpectas; vel illos item habitus, qui novitate veſtitus religionem mentiuntur, &c.*

620. *Pulli velleris*] Tenebricæ veſtis, & tetrici ſupra caput velleris. *Neapol. Nunc abeſt uſus pulli velleris*] Quaſi veſtis nigra eſſe in uſu non debet.

621. *Occupet Aprileis*] Idibus Apriles conſecrata eſt ædes Jovi Victori. *Jupiter Victor*] Sub cognomento Victoris. *Occupat Idus Aprileis*] Quia eo die Feſtus eſt Jovis Victoris, & tamen omnes Idus Jovi ſacræ ſunt, & immolantur illi. Sed acceſſit hoc die ædis conſecratio *& Victoria* titulus. *Paul. Cognomine Victor Jupiter*] Hujus ædem ſtatuunt antiqui Urbis Topographi in regione 10. P. Victor in eadem: *Ara Palatina ædes Jovis Victoris, domus Dionyſii.* Vovit illam Q. Fabius Maximus Rullianus Conſul contra Samnites anno Urbis conditæ CDLVIII. Livius lib. 10. *Neap.*

622. *Hac die*] Iduum April.

623. *Hac quoque, ni fallor*] Eadem Iduum die ædificatum & conſecratum atrium Libertatis, quod extruxit Aſinius Pollio, ut Suetonius tradit, & ubi fuerat olim bibliotheca. *Paul. Hac quoque, ni fallor*] Iiſdem Idibus atrium Libertatis extructum; melius dixerim reſectum, ſi nulla mens Naſoni ad Gracchum: nam hic nomine Tiberius primus Romæ dedicavit. Fidus teſtis Plutarchus. Reſtauravit poſtea Senator ille nobilis Aſinius Pollio. Suetonius lib. 11. Hic Aſinius atrium, puto, de novo polivit: certum eſt addidiſſe Bibliothecam, quæ omnibus pateret, & hanc Scriptorum iconibus adornaſſe. Ad calcem moneo, in hoc atrio publica acta fignata, etiam antequam illud augeretur bibliothecâ; cum anno DLXXXV, id uſui fuiſſe certum ſit ex Livio lib. 43. Cæterum ubi atrii ſitus fuerit, video con-

Atria Libertas cœpit habere ſua.
Luce ſecutura tutos pete, navita, portus:
Ventus ab occaſu grandine mixtus erit.
Scilicet ut fuerit; tamen hac Mutinenſia Cæſar
Grandine militia contudit arma ſua.
Tertia poſt Veneris cum lux ſurrexerit Idus;
Pontifices forda ſacra litate bove.
Forda ferens bos eſt fœcundaque dicta ferendo:
Hinc etiam fœtus nomen habere putant.
Nunc gravidum pecus eſt: gravidæ nunc ſemine terræ,
Telluri plenæ victima plena datur.
Pars cadit arce Jovis: ter denas curia vaccas
Accipit; & largo ſparſa cruore madet.
Aſt ubi viſceribus vitulos rapuêre miniſtri
Sectaque fumoſis exta dedêre focis;
Igne cremat vitulos, quæ natu maxima virgo:

Luce

conſentire omnes in regione 13. *Neap.*

624. *Sua atria*] Ab Aſinio Pollione in Palatio extructa.

625. *Luce ſecutura*] Hoc eſt, 14. die April. ventus erit grandinoſus: quod conſtat ex nautarum obſervatione. *Luce ſecutura*] Quæ ſequetur Idus. *Paul. Luce ſecutura*] 18. Kalendas Maias. *Tutos pete, navita, portus*] Ob grandinem imminentem: hanc etiam eâdem luce minatur Columella lib. 2. cap. 2.

527. *Mutinenſia Cæſar*] Præcipue vero C. Pætus, & A. Hirtius. Vide apud Hiſtoricos annum quo contigit horum Conſulatus, qui DCCX. *Neap. Sit licet & fuerit*] Quamvis nunc & olim ſolitus ſit flare ventus cum grandine. *Tamen Cæſar*] Octavius.

628. *Hac grandine*] Hac die grandinoſa. *Contudit*] Concuſſit & fudit. *Arma Mutinenſia*] Arma Antonii apud Mutinam. *Sua militia*] Suis militibus.

629. *Tertia poſt Veneris*] Hoc eſt, 15. die April. immolantur terræ gravidæ fordæ boves in curiis: quod ſacrificium à Numa inſtitutum ferunt in agrorum & pecorum ſterilitate. *Bos forda*, quæ fert in ventre. *Surrexerit poſt Idus Veneris*] Poſt Idus April. *P. Tertia poſt Veneris*] 17 Kalendas erant Fordicidia. *Neap.*

630. *Litate ſacra*] Sacrificate. *Bove forda*] Vacca gravida. *Paul.*

631. *Forda ferens bos eſt, fœcundaque*] Gloſſæ, *fordas*, ἐγκυμονούσας. Varro lib. 11. de R. R. *Horda* ἀρχαϊκῶς pro *forda*. Pari modo antiqui dixere, *hertum* & *fertum*, *foſtia* & *hoſtia*. Neap.

632. *Putant habere nomen fœtus*] Quod fœtura à ferendo dicatur.

633. *Nunc*] In menſe Aprilis. *Pecus eſt gravidum*] Gravidæ oves, capellæ, boves, &c.

634. *Victima plena*] Gravida. *Datur*] Immolatur. *Terra plena*] Gravidæ.

635. *Pars*] Victimarum. *Cadit*] Immolatur. *Arce Jovis*] In templo Jovis Capitolini. *Paul. Ter denas curia Vaccas*] Una ergo in unaquaque curiâ cæſa. 30. numero curiæ erant, teſte Livio, & Dionyſio Varro lib. V. de L. L. *Neap.*

636. *Et ſparſa*] Unaquaque curia.

637. *Miniſtri*] Sacrorum. *Rapuerunt vitulos viſceribus*] Qui concepti intra viſcera vaccæ, adhuc retinentur, dum immolantur matres: ſic emactatæ victimæ viſceribus rapiuntur.

638. *Exta*] Inæſtina. *Focis fumoſis*] Ubi exta adurantur.

639. *Quæ natu eſt maxima*] Quæ erit major ætate, hoc eſt, prima Veſtalium. *Cremat igne vitulos*] Eos qui è vi-

Luce Palis populos purget ut ille cinis.
Rege Numa, fructu non reſpondente labori,
Irrita decepti vota colentis erant.
Nam modo ſiccus erat gelidis aquilonibus annus,
Nunc ager aſſidua luxuriabat aqua.
Sæpe Ceres primis dominum fallebat in herbis,
Et levis obſeſſo ſtabat avena ſolo:
Et pecus ante diem partus edebat acerbos:
Agnaque naſcendo ſæpe necabat ovem.
Sylva vetus nullaque diu violata ſecuri
Stabat; Mænalio ſacra relicta deo.
Ille dabat tacitis animo reſponſa quieto
Noctibus, huic geminas rex Numa mactat oves.
Prima cadit Fauno: leni cadit altera Somno.
Sternitur in duro vellus utrumque ſolo.

Bis

à viſceribus rapti erant, cremat & redigit in cinerem. *Paul. Quæ natu maxima virgo eſt*] Veſtalium virginum veruſtiſſima hæc Tacito nominatur, Dioni, ὁ πρεσβύτατα. *Neap.*

640. *Ut ille cinis*] Cremati vituli.

641. *Rege Numa, fructu*] Aggreditur nunc ipſam ſterilitatem, quæ regnante Numa fuerit, unde habuerit initium mos mactandarum boum.

642. *Colentis*] Agricolæ. *Decepti*] Ab ipſa agrorum ſterilitate. *Erant irrita*] Inania: quia fructum non conſequebantur. *Non reſpondente labori*] Cum aut parum, aut nihil ex agro pertiperetur.

643. *Nam modo annus erat ſiccus*] Cum flarent ſeptentrionales venti, erant ſicca tempora ſine pluvia, ſic ipſa ſiccitate inferebatur ſterilitas.

644. *Nunc ager luxuriabat aqua aſſidua*] Nimio humore luxuriabant agri. Luxuria quidem eſt interdum intempeſtiva abundantia. Unde apud Virgil. *Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba.*

645. *Sæpe Ceres*] Hoc eſt, ipſa ſeges. *Dominum in primis herbis*] Cum tenellæ adhuc eſſent herbæ, ad maturitatem non perveniebant.

646. *Et avena levis*] Sterilis, ut Virgil. *Steriles dominantur aveuæ. Stabat in ſolo obſeſſo*] Tellure quam obſidebat, ubi ſurgere fructiferas fruges non patiebatur.

647. *Edebat*] Emittebat. *Partus acerbos*] Immaturos, & in ipſis pecudibus erat ſterilitas eadem ratione.

648. *Ovem*] Matrem. *Naſcendo*] Cum intempeſtive oriretur, matri inferebat exitium.

649. *Sylva vetus*] Numa ea ſterilitate motus acceſſit in ſylvam in qua Faunus oracula reddere ſolebat. Mactatiſque ovibus ſacrificavit: & quieti poſtea ſtratis velleribus ſeſe dedit. *Et nulla diu ſecuri violata*] Non enim erat ſylva cædua.

650. *Relicta deo Mænalio*] Fauno ſeu Pani Arcadi, à Mænalis Arcadiæ montibus.

651. *Ille*] Faunus. *Dabat reſponſa tacitis noctibus*] Quaſi noctu per quietem edebat oracula.

652. *Huic*] In hac ſylva.

653. *Cadit Fauno*] Immolatur ad honorem Fauni. *Cadit leni Somno*] Immolatur deo ſomniorum.

654. *Utrumque vellus*] Pellis utriuſque ovis. *In duro ſolo*] Sternuntur humi pelles ſuper quibus noctu requieſcat. *Paul. Sternitur in duri vellus utrumque*] Quibus incumbendum. Hac voce uſi ad hoc veteres. Servius ad illa:

Pellibus incubuit ſtratis, &c.

Incubare

Bis caput intonſum fontana ſpargitur unda,
Bis ſua faginea tempora fronde premit.
Uſus abeſt Veneris: nec fas animalia menſis
Ponere: nec digitis annulus ullus ineſt.
Veſte rudi tectus ſupra nova vellera corpus
Ponit, adorato per ſua verba deo.
Interea placidam redimita papavere frontem
Nox venit, & ſecum ſomnia nigra trahit.
Faunus adeſt: oviumque premens pede vellera duro,
Edidit à dextro talia dicta toro:
Morte boum tibi, rex, tellus placanda duarum:
Det ſacris animas una necata duas.
Excutitur terrore quies: Numa viſa revolvit:
Et cæcum ambages cæcaque juſſa refert.
Expedit errantem nemori gratiſſima conjux,
Et dixit, Gravidæ poſceris exta bovis.

Exta

Incubare proprie dicuntur ii, qui dormiunt ad accipienda reſponſa. *Neap.*

655. *Unda fontana*] Ut ſe ab omni crimine expiaret, aſperſit ſe vivi fontis aqua, ut expurgatior eſſet ad explorandas deorum mentes.

656. *Bis tegit ſua tempora*] Bis ſibi caput fago coronavit.

657. *Uſus abeſt Veneris*] Quaſi abſtinet ab omni coitu, ut nihil polluti eſſet. *Ponere animalia menſis*] Apponere carnes: nam & abſtinebat ab eſu carnium.

658. *Nec ullus annulus*] Ut ſine cultu procederet.

659. *Supra nova vellera*] Ovium pelles, quas humi ſtraverat. *Paul. Supra nova vellera*] Quæ nuper excoriarat. In his omnino quieſcendum, conſilium à numine petenti. Strab. lib. 6. *Neap.*

660. *Adorato deo per ſua verba*] Cum prius numen ſuis precibus adoraſſet.

661. *Interea*] Cum Numa nocte concubia quieti ſe dediſſet, venit Faunus, & monuit placandam eſſe tellurem duum boum morte, ita ut una juvenca cæſa duas exhiberet. Mœſtum regem hujus oraculi ambage, docuit Egeria mactandam eſſe bovem gravidam: quo facto, reddita eſt agris & pecoribus fœcunditas. *Interea vox*] De ea parte noctis, quæ *Concubia* dicitur, intelligit. *Redimita placidam frontem papavere*] Habens caput papavere coronatum, ut ſomnum inducat.

662. *Et trahit ſecum ſomnia nigra*] Ea quæ ſub variis formis dormientibus ſeſe oſtendunt. *Nigra*] Pro nocturno tempore: vel quod eorum ſedes ſit in Erebo, ubi omnia nigra. *P. Somnia nigra trahit*] Recte Euripides:

Ὦ ποτνιὰ χθὼν μιλαιοπλεύγων
μάτερ ὀνείρων. Neap.

663. *Premens*] Calcans. *Vellera ovium*] Pelles inſtratas. *Duro pede*] Reſpexit ad Faunum Arcadem, cum ſit capripes.

664. *Edidit*] Protulit. *A dextro thoro*] A dextra thori parte.

666. *Det ſacris duas*] Ut unius mactatione, duæ animæ immolentur.

667. *Terrore*] Nam per quietem exterritus ambiguo oraculo ſomnum excuſſit.

668. *Ambages*] Obſcura oracula.

669. *Et juſſa caca*] Obſcura, quæ non intelligebat. *Conjux*] Egeria. *Gratiſſima nemori*] Aricino. *Expedit errantem nemori*] Solvit ambiguitatem, & regem ab errore liberavit.

670. *Poſceris exta*] Juberis prægnantem vaccam immolare. *Paul. Gravida bovis*] Hæc eſt juvenca, quæ duas habet animas. *Neap.*

Exta bovis gravidæ dantur. fœcundior annus
Provenit, & fructus terra pecuſque ferunt.
Hanc quondam Cytherea diem properantius ire
Juſſit, & admiſſos præcipitavit equos;
Ut titulum imperii tum primum luce ſequenti
Auguſto juveni proſpera bella darent.
SEd jam præteritas ubi quartus Lucifer Idus
Reſpicit; hac Hyades Dorida nocte petunt.
TErtia poſt Hyadas cum lux erit orta remotas;
Carcere partitos circus habebit equos.
Cur igitur miſſæ vinctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes; cauſſa docenda mihi.
Frigida Carſeolis nec olivis apta ferendis
Terra, ſed ad ſegetes ingenioſus ager.

Hac

671. *Exta bovis gravidæ*] Nam bos gravida immolata eſt.

673. *Hanc quondam Cytherea*] Venus, quæ præeſt Aprili menſi, poſt Mutinenſem victoriam, præcipitem hanc Fordicidiorum diem impulit, ut acceleraret dies ſequens, qui eſt decimus ſextus calendarum Majarum, quo die Octavius Cæſar adoleſcens crearetur à militibus imperator. *Cytherea*] Venus. *Hanc diem*] Fordicidiorum.

674. *Et præcipitavit*] Præcipites & celeres egit. *Paul.*

675. *Quam primum luce ſequenti*] 16. Kalendas Cæſar Auguſtus, imperatoris nomen adeptus, prænomen illud ſolitum ſecutorum Principum; nam pro geſtis bellicis vicies reportavit. Dio Caſſius, de anno quem Cæſar quinto Conſulatu auſpicatus, lib. 52. *Neap.*

676. *Proſpera ſigna*] Victores milites ſub fœlicibus ſignis. *Darent Auguſto juveni*] Octavio adoleſcenti. *Titulum imperii*] Ut jam mortuis conſulibus pro imperatore eſſet.

677. *Hac Hyades*] Quæ & ſuculæ dictæ: ſtellæ ſunt in fronte Tauri: fuereque Atlantis ex Æthra filiæ. Cicero ab ὕειν, quod eſt pluere, dictas putat. *Quartus lucifer*] Quartus dies. *Reſpiciet Idus*] Hoc eſt, quarto die poſt idus. *Paul. Sed jam præteritas*] 15 Kalendas Suculæ ſe veſperi celant; eodem die Cæſari apud Plin. lib. 18. cap. 26. *Neap.*

678. *Tenent hae nocte Dorida*] Occidunt & tenent mare. Dorida Heſiodus inquit Oceani ex Thetι uxore filiam eſſe ex qua magnus nympharum numerus natus eſt. Et à Poetis ſæpe *Doris* pro mari ponitur.

679. *Cum erit tertia lux*] Cum fulſerit tertia dies poſt occaſum Hyadum, & deſignat decimum octavum diem menſis. *Paul. Tertia poſt Hyadas*] 13 Kalendas ludi iterum in Circo fiebant: ſed eis à Cerealibus in hunc uſque diem nulla fuit Romæ pauſa. *Neap.*

680. *Equos partitos*] Diviſos, & ordine diſpoſitos. *Carcere*] In ipſo repagulo, unde ad curſum emittuntur.

681. *Cur igitur vulpes miſſæ*] Dimiſſæ. *Tadis junctis*] Facibus alligatis. *Ferunt ardentia terga*] Nam accenſas tædas ferentes emittuntur, & fugientes aduruntur.

683. *Frigida terra eſt Carſeolis*] Carſeoli numero multitudinis urbs erat. Carſeolani dicuntur coloni. In via Valeria ſunt, medio quidem ſpatio inter urbem & Marſorum municipium. Erantque Carſeoli una ex claris Æquorum urbibus. *Nec apta olivis*] Ad procreandas oleas. *Ingenioſus ad ſegetes*] A natura diſpoſitus ad fruges: nam frugum ferax eſt.

685. *Pate-*

Hac ego Pelignos natalia rura petebam,
Parva, ſed aſſiduis obvia ſemper aquis.
Hoſpitis antiqui ſolitas intravimus ædes:
Dempſerat emeritis jam juga Phœbus equis.
Is mihi multa quidem, ſed & hæc narrare ſolebat;
Unde meum præſens inſtrueretur opus:
Hoc, ait, in campo (campumque oſtendit) habebat
Rus breve cum duro parca colona viro.
Ille ſuam peragebat humum: ſive uſus aratri,
Sive cavæ falcis, ſive bidentis erat.
Hæc modo verrebat ſtantem tibicine villam:
Nunc matris plumis ova fovenda dabat.
Aut virides malvas, aut fungos colligit albos,
Aut humilem grato calfacit igne focum.
Et tamen aſſiduis exercet brachia telis,
Adverſuſque minas frigoris arma parat.
Filius hujus erat primo laſcivus in ævo,
Addideratque annos ad duo luſtra duos.
Is capit extremi vulpem ſub valle ſalicti:

Ab-

685. *Petebam Pelignos*] Redibam in patriam. *Rura natalia*] In quibus ego natus ſum.

686. *Humida*] Plura enim ſunt flumina in Pelignis.

688. *Jam Phœbus dempſerat juga equis*] Solverat equos à curru. *Emeritis*] Labore diei. Jam ſol occiderat.

690. *Inſtrueretur præſens opus meum*] Faſtorum opus, cum ad Faſtorum rationem mos quoque ille pertineat. *In hoc campo*] Qui ipſi Carſeolorum urbi adjacebat.

692. *Parca colona*] Ruſtica. *Cum viro duro*] Patiente & tolerante laborum. *Breve rus*] Exiguum agellum.

693. *Peragebat*] Colebat. *Humum*] Agellum. *Sive erat uſus bidentis*] Seu terram bidente fodiebat. *Paul. Ille ſuam peragebat humum*] Delineat eleganter ruſtici & uxoris vitam.

695. *Raro cum pectine villam*] Rarum pectten hîc eſt lignum oblongum in ultimâ ſui parte tridente: hoc ruſtici utuntur, cum villæ everrias rudi manu colligunt. In Vaticano eſt, *ſtantem tibicine villam*. Probo γραφὴν. *Tibicines*] Structuræ quibus ædificia ſuſtinentur. *Neap.* *Verrebat cum raro pectine*] Cum raſtro paucorum dentium pratum verrens fœnum colligebat.

696. *Nunc dabat ova fovenda matris plumis*] Supponebat ova, ut fœtæ & calefacta incubante gallina pulli naſcerentur.

697. *Virides malvas*] Quæ alvum molliunt. Illa colligebat, ne epulas pararet. *Aut albos fungos*] Qui in pratis naſcuntur.

698. *Aut calefacit humilem focum*] Pro decoquendis oleribus, & cæteris.

699. *Exercet*] Defatigat brachia. *Telis aſſiduis*] Colo & fuſo.

700. *Et parat arma*] Parat veſtes nendo & texendo, contra hyberna frigora. *Frigoris arma parat*] Sibi indumenta texit ad arcendas hyemes. *Neapol.*

701. *In primo ævo*] In prima ætate.

702. *Addiderat duos*] Sic duodecimum erat natus annum.

703. *In convalle extremi ſalicti*] Laqueis apprehendit vulpem in convalle ubi tunc erat ſalictum.

Abſtulerat multas illa cohortis aves.
Captivam ſtipula fœnoque involvit, & ignes
Admovet. urentes effugit illa manus.
Qua fugit, incendit veſtitos meſſibus agros:
Damnoſis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit: monumenta manent, nam vivere captam
Nunc quoque lex vulpem Carſeolana vetat.
Utque luat pœnas gens hæc, Cerealibus ardet:
Quoque modo ſegetes perdidit, ipſa perit.
Poſtera cum veniet terras viſura patentes
Memnonis in roſeis lutea mater equis;
De duce lanigeri pecoris qui prodidit Hellen
Sole bis egreſſo victima major adeſt.
Vacca ſit an taurus, non eſt cognoſcere promptum:
Pars prior apparet: poſteriora latent.

Seu

704. *Multas aves cohortis*] Pullos è cohorte. *Illa cohortis aves*] Sic uſus etiam hâc voculâ Varro lib. 3. de R. R. cap. 3. Cohors eſt Græcorum χόρτος, ſive clarius, περίβολος. Inde nos atrium dicimus *cortile*; & *cortillos* vocamus caſulas quaſdam in rotundum conjunctas, quas multa habitat vicinia. *Neap.*

706. *Involvit captivam*] Puer ille implicat vulpem quam ceperat.

707. *Admovet ignes*] Et ſuccendit ignem in ſtipula circa vulpem. *Effugit manus urentes*] Manus pueriles, quæ eam urebant. *Accendit agros veſtitos meſſibus*] Quacunque parte fugiebat vulpes, accendit fruges jam in agris cultis maturas. *Veſtitos* ergo, quia erant in his fruges.

708. *Ignibus damnoſis*] Damnum frugibus inferentibus.

709. *Factum abiit*] Præteriit quod tunc factum eſt. *Monumenta manent*] Remanſit apud poſteros memoria, & ea ſervatur.

710. *Carſeolana vetat*] Carſeolis igitur lege prohibitum nominare vulpem; à quâ ruinam olim ſegetes paſſæ. *Neap.*

711. *Luat pœnas*] Supplicio afficiatur. *Ardet Cerealibus*] Stipulis & paleis frugum. *Quo modo perdidit ſegetes*] Eo modo quo aduſſit fruges, aduritur & ipſa.

713. *Proxima cum veniet terras*] Decimo tertio Kalendas Maias ſol Ariete relicto, Taurum init: qui taurus inter aſtra conſtitutus dicitur, quod Europam incolumem tranſvexit in Cretam, ut Euripides dicit. *Paul. Proxima cum veniet*] In aliquot vulgatis codicibus hic & ſeptem ſequentes verſiculi locantur ante illud ſupra, *Tertia poſt Hyadas*: ſed quis cæcior Tireſiâ non videt huc omnino inſerenda? ſic volunt ſenſus & membranæ veteres. *Neap.* *Proxima*] Ipſis Equiriis, hoc eſt, dies ſequens.

714. *Cum mater Memnonis*] Aurora. *Lutea*] Crocea. *Veniet in equis roſeis*] Rubicundis. *Viſura terras patentes*] Hoc eſt, cum ſequens aurora diem referet.

715. *De duce pecoris lanigeri*] Ab Ariete, qui dux eſt lanati gregis. *Perdidit Hellen*] Quæ ex eo in pontum decidit.

716. *Sol abit*] Diſcedit. *Egreſſo*] Soli ſcilicet ex Ariete. *Major victima*] Taurus, qui longe major ariete. *Paul. Egreſſo victima major adeſt*] XII. ergo Kalendas Maias Sol in Tauro. *Neap.*

717. *Vacca ſit an taurus*] Sive mas, ſive fœmina ſit.

718. *Poſteriora latent*] Ita ut diſcerni non poſſint genitalia, quo taurus eſſe cognoſcatur. *Paul. Poſteriora latent*] Nam ex eo non videtur niſi ἡμιτόμιον. Hallucinatur Hyginus, cum ſcribit, *reliquum cujus corpus obſcurius videri*; nam non

aliter

Seu tamen eſt taurus, ſive eſt hoc fœmina ſignum;
Junone invita munus amoris habet.
NOx abiit, oriturque aurora. Palilia poſcor.
Non poſcor fruſtra; ſi favet alma Pales.
Alma Pales faveas paſtoria ſacra canenti;
Proſequor officio ſi tua facta pio.
Certe ego de vitulo cinerem ſtipulaſque fabales
Sæpe tuli plena, februa caſta, manu.
Certe ego tranſilui poſitas ter in ordine flammas,
Virgaque roratas laurea miſit aquas.
Mota dea eſt; operique favet: navalibus exit
Puppis. habent ventos jam mea vela ſuos.
I, pete virginea populus ſuffimen ab ara:

Veſta

aliter quam ſemiſectus pingitur in ſchedographiâ.

720. *Habet munus amoris invita Junone*] Quaſi locata eſt in cœlo ea imago ab Jove, in præmium amoris, repugnante etiam Junone. Nam aut eſt imago tauri, quo tranſvecta eſt Europa in Cretam: aut eſt imago vaccæ, in quam Io converſa fuit.

721. *Oriturque dies*] Vigeſima die Aprilis, erunt feſta Palilia, quæ à Pale dicta, quod ei deæ feriæ fierent. Pales enim dicebatur dea paſtorum, cujus feſta *Palilia*. *Si favet alma, &c.*] Cui nunc ſacra fiunt: ſi ipſa faveat, ego omnia aperiam. *Paul. Palilia poſcor*] XI. Kalendas Maias erant Palilia. Convenit & veteri Kalendario: in eo Conſtantini Magni eadem dies notatur, N. URBIS, id eſt, Romæ natalis, ante urbem conditam paſtorale hoc ſecrum extitiſſe. Tibullus lib. 11. Eleg. 5. & Plutarchus in Romulo: qui ſane teſtes graviſſimi. *Neap.*

723. *Alma Pales*] Invocat nunc eam deam, ut faveat, præſertim cum religione ejus numen proſequatur. *Faveas alma, &c.*] Faveas mihi, qui cano paſtoralia ſacra, cum tu paſtoribus præſis.

724. *Tua facta*] Merita & laudes tuas. *Pio officio*] Religioſe.

725. *Certe ego ſæpe tuli cinerem de vitulo*] Nempe favere debes, qui tibi ſæpe ſacrificavi, & tuli expurgationem. Luſtravi enim me ſuffitione cineris vitulini, & equini ſanguinis, & fabæ: quod piaminis genus paulo ſuperius attigimus. *Stipulam fabalem*] Aridos fabarum culmos. *Paul. Certe ego de vitulo cinerem*] Is erat è triginta bubus, quas maxima Veſtalis cremarat feſtis Fordicidiis. Hunc vero & ſtipulam fabalem, quam paulo poſt vocat *culmen inane* (demptis enim fabis ſola & arida incenſa) Februa appellat; quia ſic dictum, ut noſti, quodvis purgamentum. *Neap.*

726. *Februa toſta*] Purgamina toſtarum rerum. Nam omnia purgamina *Februa* dicebantur.

727. *Certe ego ter tranſilii*] Tranſaltavi. *Flammas in ordine poſitas*] Diſpoſitos ad tranſilitionem paſtorum & populi ignes. Ter enim ignes tranſiliebant.

728. *Et virga laurea*] Lauri ramus, quæ & *Februa* quoque dicta. *Miſit aquas rorales*] Aſpergentes: quaſi aſperſit me aqua purgatoria, cum ipſo laureo ramo.

729. *Mota dea eſt*] Ad preces meas. *Puppis exit navalibus*] Exit è navali ratis, ut in altum tendat.

730. *Vela habent ſuos ventos*] Ut ſecundo curſu ferantur. Et oſtendit, ſe jam oblatum argumentum fœlici ingenio percurrere poſſe, & Palis ſacra oſtendere.

731. *Pete ſuffimen*] Suffitionem, ad te expurgandum: hoc eſt, ipſas res, quibus te ſuffias, ſeu ſuffumiges. *Ab ara virginea*] Ab ara Veſtali: nam Veſtales virgines tibi dabunt.

732. *Eris*

Veſta dabit. Veſtæ munere purus eris.
Sanguis equi ſuffimen erit, vitulique favilla.
Tertia res duræ culmen inane fabæ.
Paſtor oves ſaturas ad prima crepuſcula luſtra.
Uda prius ſpargat, virgaque verrat humum.
Frondibus & fixis decorentur ovilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cœrulei fiant vivo de ſulfure fumi,
Tactaque fumanti, ſulfure balet ovis.
Ure mares oleas, tædamque, herbaſque Sabinas,
Et crepet in mediis laurus aduſta focis.
Libaque de milio milii fiſcella ſequatur:
Ruſtica præcipue eſt hoc dea læta cibo.

Adde

732. *Eris purus*] Quo te ab omni pollutionum ſcelere expiabis.

733. *Sanguis equi, &c.*] Ad luſtrationem in Palilibus immiſcebatur ſanguis equinus, cum aduſti nondum nati vituli, ſed è mactatæ matris utero exerti cinere, & fabarum culmis, & ex his ſuper prunas impoſitis fiebat ſuffitio. *Favilla vituli*] Cinis vitulinus. *Paul. Sanguis equi ſuffimen erit*] Bene Plutarchus in Romulo: Ἐν ἀρχῇ δὲ (ὡς φασιν) ἀθέριστον ἔμψυχον ἔθυον. Mutatum, ut vides, poſtea. Vide Feſtum in *Caviares boſtia*, & eumdem in *Equus Octobet*. Neap.

735. *Paſtor luſtret*] Luſtrare, hoc eſt, expurgare debet. *Oves ſaturas*] Ubi depaſtæ fuerint. *Prima crepuſcula*] Veſpertino tempore, poſt occaſum ſolis. *Paul. Ad prima crepuſcula*] Ὑπὸ νύκτα. *Crepuſcula luſtret*] Vetus Kalendarium rureſtre menſe Aprili: OVES LUSTRANTUR.

736. *Virgaque verrat humum*] Præcipuum hoc in ſacro quovis luſtrali. Et fuit apud antiquos purgatio, quæ dicta *exuerra*, ab everriatione certo ſcoparum genere. Non ignorant iſta literati. *Neap. Verrat humum*] Nam debet paſtor tellurem virga verrere.

737. *Ovilia*] Ubi oves tenentur. *Decorentur*] Ornari debent.

738. *Corona*] Serta ſeu florum, ſeu virentium ramorum. *Tegat ornatas fores*] Quæ frondibus & coronis ornantur. *Fores*] Ipſorum ovilium. *Paul. Longa corona fores*] De more Juvenalis:

---*Nectte coronam*
Poſtibus, & denſos per limina tende corymbos. Neap.

739. *Fumi cærulei*] Nigricantes. *De puro ſulfure*] Sed non modo oves, verum ipſi homines purgabantur, ſi aliquo piaculo eſſent polluti, ſulfure, aqua, igne, lauro.

740. *Ovis balet*] Balatum edat: nam balare eſt ovium. *Tacta*] Luſtrata, ſeu ſuffita. *Sulfure fumanti*] Fumo ſulfuris.

741. *Ure oleas mares*] Steriles. *Sabinas*] Sabinæ herbæ uſus erat ad ſuffitionem. *Paul. Ure mares oleas*] Nec abeſt à priſcis libris vulgata lectio, *Ure maris rores*: φύλλα τῆς λιβανωτιδος. Et hanc legi pro thure uſui fuiſſe veteribus. *Tædamque herbaſque Sabinas*] Sulphur & tædam adhibitam in tribus purgationibus, auctor Servius lib. 6. *Neap.*

742. *Laurus aduſta crepet*] Crepitum faciat. *In mediis focis*] Ubi aduretur.

743. *Libaque de milio*] Hæc deæ Pali offerenda & libanda. *Fiſcella milii ſequatur*] Nam non modo libum ex milio offerendum, ſed etiam fiſcella cum milio. Eſt enim fiſcella vas junceum, quo caſeus formatur. *Paul. Libaque de milio*] Conſtabant, ni fallor, ex milio & fabâ. Tale quid Diis ruſticis dabatur etiam Autumno. Vide Feſtum.

744. *Dea ruſtica*] Pales. *Eſt læta*] Contenta. *Hoc præcipue cibo*] Quaſi gaudet in primis ſibi milium libari.

745. *Adde*

Adde dapes mulctramque ſuas: dapibuſque reſectis
Sylvicolam tepido lacte precare Palen.
Conſule, dic, pecori pariter, pecoriſque magiſtris:
Effugiat ſtabulis noxa repulſa meis.
Sive ſacro pavi, ſedive ſub arbore ſacra,
Pabulaque è buſtis inſcia carpſit ovis:
Seu nemus intravi vetitum, noſtriſve fugatæ
Sunt oculis Nymphæ, ſemicaperve deus:
Seu mea falx ramo lucum ſpoliavit opaco,
Unde data eſt ægræ fiſcina frondis ovi;
Da veniam culpæ: nec, dum degrandinat, obſit
Agreſti ſano ſuppoſuiſſe pecus.
Nec noceat turbaſſe lacus. ignoſcite Nymphæ;

Mota

745. *Adde dapes mulctramque ſuas*] Dapes hîc ſume antiquâ ſignificatione. Vide Feſtum. *Dapibuſque reſectis*] Alii habent, *dapibuſque paratis*, alii, *relictis*, Vaticani, *reſectis*. Neap. *Adde dapes mulctramque ſuas*] Addas huic libationi vas ipſum, in quo lac mulgetur. *Et dapes ſuas*] Hoc eſt, lac & caſeum. *Et dapibus reſectus*] Ubi has dapes libaveris.

746. *Deam ſylvicolam*] Palem paſtorum deam.

747. *Conſule, dic, pariter*] His precibus poſcit numen adorandum, quæ ad purgationem quoque pertinent. *Dic, conſule*] O dea, provideas ſimul pecudum paſtorumque ſaluti.

748. *Noxa repulſa*] Quaſi repellatur omne delictum, & omne damnum.

749. *Sive ſacra pavi*] Sive deliqui, quod paverim pecudes in loco ſacro. *Sedive ſub arbore ſacra*] Si paſcens oves ſediſſem ſub arboribus ſacris, quæ eſſent aliqua religione alicui numini dicatæ. *Pavit pabula*] Quaſi carpſit gramina. *P. Sive ſacro pavi*] In loco Diis conſecrato.

750. *Pabulaque è buſtis*] *Buſtum* hîc locus, in quo aliquis ſepultus. *N. In buſtis*] In ſepulcris: nam & id noxæ quoque dabatur.

751. *Si intravit nemus vetitum*] Si ovis inierit nemora, quæ eſſent ſub tutela numinum.

752. *Si nymphæ ſunt fugatæ*] Si noſtro aſpectu ad fugam impulerimus fontium, ſylvarum & arborum deas. *Deus ſemicaper*] Vel ſi Faunum fugaverimus, cornua & caprinos habentem pedes.

753. *Si mea falx ſpoliavit locum*] Vel ſi falce inciderim frondoſus ramos ex ſacro luco. *P. Lucum ſpoliavit opaco*] Vetus ſuperſtitio, quâ quivis ſacer lucus erat incæduus, nec ramum aut folium fas erat inde conlucare, niſi ſacrificium præceſſiſſet: eâ ſuper re ex Catone Plinius nos admonet lib. 17. cap. ultimo. *Neap.*

754. *Unde*] Ex quibus ramis. *Fiſcina*] Fiſcina ex viminibus, qua feruntur paleæ, fœnum, & ſimilia. *Paul.* *Unde data eſt ægræ*] Sic plerumque vetus ſcriptura; in aliâ, *tenera*. Utraque ad verum: nam agnis, aut ægris ovibus, paſtorum eſt, frondium aut herbarum fiſcinam in ſtabula ferre. *Neap.*

755. *Da veniam culpæ*] Ignoſce delicto. *Dum degrandinat*] Uſque quo deſæviat grando.

756. *Suppoſuiſſe pecus*] Non ſit delictum, ducere pecus ſub frondoſas arbores, aut in antra, quæ loca forte à Fauno colerentur: manereque ibi, uſquequo deſinat pluere aut grandinare.

757. *Turbaſſe lacus*] Turbidas reddidiſſe aquas, ſive cum potant pecora, ſive cum abluuntur. *Ignoſcite*] Date vos veniam.

758. *Quod*

Mota quod obſcuras ungula fecit aquas.
Tu dea pro nobis fontes fontanaque placa
Numina, tu ſparſos per nemus omne deos.
Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ,
Nec Faunum, medio cum premit arva die.
Pelle procul morbos. valeant homineſque gregeſque,
Et valeant vigiles, provida turba, canes.
Neve minus multas redigam, quam mane fuerunt,
Neve gemam referens vellera rapta lupo.
Abſit iniqua fames herbæ, frondeſque ſuperſint,
Quæque lavent artus, quæque bibantur, aquæ.
Ubera plena premam. referat mihi caſeus æra,
Dentque viam liquido vimina rara ſero.
Sitque ſalax aries, conceptaque ſemina conjux
Reddat, & in ſtabulo multa ſit agna meo.
Lanaque provenjat nullas læſura puellas,
Mollis, & ad teneras quamlibet apta manus.
Quæ precor, eveniant: & nos faciamus ad annum
Paſtorum dominæ grandia liba Pali.

His

758. *Quod ungula mota*] Ungulæ ovium, aut aliarum pecudum, cum tranſiliunt amnes. *Paul. Mota ungula*] Pecus gradiens turbavit aquas limpidas. *Neap.*

760. *Sparſos per omne nemus*] Deos omnes, qui nemoribus, aut ſingulis arboribus præſunt.

761. *Nec videamus nos Dryadas*] Nemorum nymphas. *Nec labra Dianæ*] Non videamus pelvim, in qua ſe Diana abluet. Vel non videamus Dianam ſe abluentem, quemadmodum Actæon, ne in cervos quoque mutemur. *Paul. Videamus labra Dianæ*] Ἀταμίνδυσε, λυτρά. Neap.

762. *Cum premit arva*] Cum requieſcit in arvis.

763. *Pelle procul morbos*] Et à nobis, & à pecoribus. *Valeant*] Sint incolumes. *Paul. Pelle procul morbos*] Petitâ jam veniâ incipit precatio paſtoralis: quam, quæſo, conferas cum Luſtrico Catonis carmine. *Neap.*

764. *Turba provida*] Quæ cavet, ne quid ovium furto ſubtrahatur.

765. *Neve redigam multas*] Ne reducam veſperi minorem ovium numerum, quam mane in paſcua eduxerim.

766. *Neve gemam*] Ne doleam, & ob id gemam. *Referens vellera*] Sed ſint tuta pecora ab inſidiis luporum.

767. *Abſit iniqua fames*] Sed ſemper ſit ciborum copia.

768. *Et aquæ*] Etiam ſuperſint.

769. *Premam ubera plena*] Ut ſemper ſit lactis copia. *Referat mihi æra*] Nummos inde referam. *Paul. Ubera plena premam*] Rogat igitur pro pingui lacte, pro caſeo, pro felici & multo ovium fœtu. *Neap.*

770. *Et rara vimina*] Fiſcellarum. *Dent viam liquido ſero*] Ut bene excoletur è formato caſeo.

771. *Aries*] Qui oves implet. *Sit ſalax*] Libidinoſus, ut ſæpe coeat. *Conjux*] Ovis.

772. *Reddat ſemina*] Pariat agnos.

773. *Et proveniat mollis lana*] Quaſi ea lana tondeatur ex ovibus, quæ mollis ſit, & facillime à puellis neri poſſit.

775. *Faciamus ad annum*] Quaſi ſingulis annis.

776. *Pali*] Paſtorum dominæ. *Eſt placanda*] Hoc pacto placemus, & propitiam nobis reddamus.

777. *Con-*

His dea placanda eſt: hæc tu converſus ad ortus
Dic quater: & vivo perlue rore manus.
Tum licet, appoſita veluti cratere camella
Lac niveum potes, purpureamque ſapam.
Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri ſtrenua membra pede.
Expoſitus mos eſt. moris mihi reſtat origo.
Turba facit dubium: cœptaque noſtra tenet.
Omnia purgat edax ignis, vitiumque metallis
Excoquit. idcirco cum duce purgat oves.
An, quia cunctarum contraria ſemina rerum
Sunt duo, diſcordes ignis & unda dei;
Juxerunt elementa patres: aptumque putarunt
Ignibus & ſparſa tangere corpus aqua.
An, quod in his vitæ cauſſa eſt; hæc perdidit exul:

His

777. *Converſus ad ortus*] Ad orientem ſolem.

778. *Perlue vivo rore*] Abluas viventis aqua fluminis.

779. *Tunc*] Cum manus ablueris. *Licet potes lac niveum*] Et licet, & debes tunc lac potare. *Appoſita camella*] Pro cratere apponas camellam, & ea lac haurito. *Paul. Cratere camella*] *Camella* vas erat ligneum, ubi hæc potio infundenda. Hoc vaſis genus Polluci eſt σκάμιλλα.

780. *Lac niveum potes, purpureamque ſapam*] Hæc potio dicebatur burrhanica, à colore burrho. Feſtus: *Burrhanica potio, lac commiſtum ſapâ, à rufo colore, quem burrhum vocant.* Unde eleganter, homines à vino rubentes *burrhos* apud eundem dictos inveni. Ille color πύῤῥος eſt Græcis: unde πυῤῥίκη ejuſmodi cutis homines Comici dixere. *Purpureamque ſapam*] De hac ita Nonnius: *Sapa, quod nunc mellaceum dicimus, muſtum ad mediam partem decoctum.* Neapol.

781. *Moxque per ardentes, &c.*] Et cum hæc feceris, expurges te igne.

782. *Membra ſtrenua*] Agilia. *Pede celeri*] Pedum ſaltu. *Acervos*] Cumulos. *Stipulæ crepitantis*] Quæ crepitat dum aduritur. Debes igitur tranſilire per ignes ad extremam luſtrationem.

783. *Expoſitus mos eſt*] Expoſui ego morem ſacrorum Paliliorum. *Paul. Moris mihi reſtat origo*] In multis eſt prima, quod ſibi ſuaſerint ineſſe igni vim quamdam abſterſivam, & malorum medelam: & hæc fuit antiquæ opinio Judaica & Græcanica, inde immiſta in Romanam Religionem: & ſtetit, ut mireris, uſque ad tempora Juſtiniani τῇ πενθεκτῃ. Tunc congregata 6. Synodus Trullenſis, & ineptiæ hæ cum aliis abolitæ. *Neap.*

784. *Turba*] Quaſi multitudo cauſarum. *Facit dubium*] Quia neſcio quam potiſſimum cauſam affirmem. *Et tenet noſtra capta*] Retardat.

785. *Omnia purgat ignis*] Plures affert Poëta rationes hujuſmodi luſtrationis. *Et excoquit vitium metallis*] Purgat metalla, & adurit quicquid vitii ineſt.

786. *Cum duce*] Cum paſtore.

788. *Ignis & unda*] Quia calor & humor diſcordes ſunt. Cum ſit ſumma concordia inter elementa, hæc duo tamen diſcordia cauſa ſunt rerum gignendarum.

789. *Patres*] Majores noſtri. *Et putarent aptum*] Conveniens.

790. *Tingere corpus*] Abluere, & ita ſe expurgare. *Ignibus & aqua*] Fuſa: quaſi tranſilitione per ignes, & aſperſione aquæ ſe luſtrare.

791. *An quod cauſa vitæ eſt in his*] Quod duo hæc humanam & animantium vitam contineant, quod ex his naſcendi

His nova fit conjux: hæc duo magna putant.
(Vix equidem credo) ſunt qui Phaëthonta referri
Credant, & nimias Deucalionis aquas.
Pars quoque cum ſaxis paſtores ſaxa ferirent;
Scintillam ſubito proſiluiſſe ferunt.
Prima quidem periit: ſtipulis excepta ſecunda eſt;
Hoc argumentum flamma Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Æneïa fecit,
Innocuum victo cui dedit ignis iter?
Hoc tamen eſt vero propius: cum condita Roma eſt,
Transferri juſſos in nova tecta lares:
Mutanteſque domum tectis agreſtibus ignem,
Et ceſſaturæ ſuppoſuiſſe caſæ:
Per flammas ſaluiſſe pecus, ſaluiſſe colonos:

Quod

naſcendi initium ſit. *Hæc perdidit exul*] Nam hæc exilio damnatis interdicta ſunt.

792. *Et his nova ſit conjux*] Quia hæc nuptiali die in limine ponebantur. Redeuntes autem ab exilio, ignem ſupergrediebantur, aqua aſperſi: quod purgationis genus vocabant *ſuffitionem*. *Hæc duo magna*] Ignem & aquam.

793. *Vix equidem credo*] Sunt, qui credunt referri Phaetontis incendium.

794. *Et nimias aquas Deucalionis*] Diluvium, quod fuiſſe dicunt tempore Deucalionis.

795. *Feribant ſaxa cum ſaxis*] Silicem cum ſilice collidebant. *Paul. Saxis ſaxa feribant*] Hoc fuiſſe puto primo adinventum ad ſcintillas eliciendas; poſtea venit uſus petræ focariæ à ferro percuſſæ; poſtea τῆ λίθῳ πυρίτῃ, & miſti coloris: cujus generis & ἐνπυρίτας vidi plurimos. *Neap.*

796. *Subito proſiliiſſe ſcintillam*] Verum primus excudit ignem è ſilice Pyrodes Cilicis filius, & eundem aſſervare ferulam Prometheus docuit.

797. *Prima quidem*] Scintilla quæ proſiliit è ſilice. *Periit*] Extincta eſt. *Excepta ſtipulis*] Et in his ſuſceptus eſt ignis.

798. *Flamma Palilis*] Quæ in Palilibus tranſilitur. *Habet hoc argumentum*] Quaſi habet hanc cauſam & rationem, ad quam referri poſſit.

799. *An magis pietas Æneïa fecit hunc morem*] An originem habuit hic mos ab Ænea pio.

800. *Dedit iter innocuum*] Sine ulla corporis læſione. Ut in 2. Æneid. *flammaque recedunt. Paul.*

801. *Hoc tamen eſt vero propius, &c.*] En noſter etiam initium Palilium non facit antiquius Urbis natali, nec diſſentit à Tibullo & Plutarcho: nam agit de ſacro Palis ſic celebrari cœpto, & cum his ſtipularum acervis; quod originem duxiſſe putat ab incenſis antiquis tuguriolis, cum ruſtici in nova novæ Urbis migrarent. Addita igitur ſub Romulo tranſitio per flammas, ſuffimenta illa; ſed equus victima multo poſt. *Neap.*

802. *Lares*] Deos domeſticos. *Transferri in nova tecta*] In Romam conditam.

803. *Et mutantes domum*] Qui tuguria pro nova urbe commutabant. *Suppoſuiſſe ignem tectis*] Tuguriis ipſorum paſtorum & ruſticorum.

804. *Caſæ ceſſaturæ*] Quæ ſuo jam domino erat vacatura. Hoc dicit: Hoc propinquius vero, quaſi veriſimilius eos incendiſſe caſas, tranſlaturos in urbem penates.

805. *Per flammas ſaliiſſe pecus*] Succenſis jam caſis, abacta inde pecora tranſiliiſſe per ipſos ignes. *Saliiſſe colonos*] Qui in urbem demigrabant.

806. *Quod*

Quod ſit natali nunc quoque, Roma, tuo.
Ipſe locus cauſas vati facit. urbis origo
Venit. ades factis, magne Quirine, tuis.
Jam luerat pœnas frater Numitoris, & omne
Paſtorum gemino ſub duce vulgus erat:
Contrahere agreſtes, & mœnia ponere utrique
Convenit. ambigitur nomina ponat uter.
Nil opus eſt, dixit, certamine, Romulus, ullo.
Magna fides avium eſt: experiamur aves.
Res placet. alter init nemoroſi ſaxa Palati:
Alter Aventinum mane cacumen init.
Sex Remus hic volucres bis ſex videt ordine: pacto
Statur: & arbitrium Romulus urbis habet.
Apta dies legitur, qua mœnia ſignat aratro.
Sacra Palis ſuberant: inde movetur opus.
Foſſa fit ad ſolitum: fruges jaciuntur in ima,

Et

806. *Quod*] Salire pecus & paſtores per ignes. *Roma tuo natali*] Eo die quo primum condi cœpiſti, in ipſis ſcilicet Palilibus. *Paul. Natali nunc quoque, Roma, tuo*] Nam eodem 11. Kalendas illa condita. *Neap.*

807. *Ipſe caſus facit locum vati*] Quaſi caſu venimus in hunc locum, ut de initiis urbis agendum ſit.

808. *Quirine*] O Romule. *Ades tuis factis*] Quaſi huc ades, & faveas dum tua facta cano.

809. *Luerat pœnas frater, &c.*] Numitorem ab Amulio fratre regno dejectum, & Numitoris filium per inſidias obtruncatum, Sylviam filiam Veſtæ relegatam, conceptos natos, expoſitos, educatos, adultos, Romulum & Remum, interfectum Amulium, ſuperius diximus. Regnum deinde Numitori reſtitutum. *Frater Numitoris*] Amulius.

810. *Sub gemino duce*] Romulo & Remo. *Paul.*

811. *Utrique convenit*] Convenerunt quidem gemini fratres in unam ſententiam, ut contractis in unum agreſtibus, urbem conderent: id autem non convenit, uter urbi nomen daret. *Ant.*

814. *Magna fides avium*] Quaſi adhibenda eſt in hoc fides avibus. Nam portendent cui dii dederint. *Experiamur aves*] Ipſa auguria.

815. *Res placet*] Quaſi hoc utrique placuit, aves experiantur. *Alter*] Romulus. *Init tecta Palati nemoroſi*] Aſcendit montem Palatinum. *Alter*] Remus.

816. *Aventinum*] Aſcendit in montem Aventinum.

817. *Sex volucres*] Sex vultures.

818. *Statur*] Fœderi ſcilicet. *Romulus habet arbitrium urbis*] Habet jus condendæ & appellandæ urbis, & imperandi.

819. *Apta dies legitur*] Eligitur opportuna & congrua dies pro cœli diſpoſitione ad fœlicitatem condendæ urbis. Vocavitque Etruſcos ejus artis peritos. *Qua mœnia ſignet aratro*] Ducat ſulcum, qua jacturus eſt fundamenta. *P. Apta dies legitur*] Hanc jam habes. Hora fuit poſt ſecundam ante tertiam plenam, ut ex Tarruntio inſigni Mathematico ſcribit Julius Solinus; Annus fuit ſecundus Olympiadis 7. ſi Eratoſtheni credimus. *Neap.*

820. *Sacra Palis ſuberant*] Erant Palilia, & celebranda ſacra Palis. *Inde movetur opus*] Incipiunt & deſignare urbem, & fodere.

821. *Foſſa fit ad ſolidum*] Uſque ad duram & firmam tellurem, quæ ponderem non ſubſidat. *Jaciuntur fruges*] In omen futuræ ubertatis.

Et de vicino terra petita ſolo.
Foſſa repletur humo, plenæque imponitur ara,
Et novus accenſo finditur igne focus.
Inde premens ſtivam deſignat mœnia ſulco:
Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.
Vox fuit hæc regis, Condenti Jupiter urbem,
Et genitor Mavors, Veſtaque mater ades:
Quoſque pium eſt adhibere deos, advertite cuncti:
Auſpicibus vobis hoc mihi ſurgat opus.
Longa ſit huic ætas, dominæque potentia terræ:
Sitque ſub hac oriens occiduuſque dies.
Ille precabatur, tonitru dedit omina lævo
Jupiter: & lævo fulmina miſſa polo,
Augurio læti jaciunt fundamina cives,
Et novus exiguo tempore murus erat.

Hoc

822. *Et terra petita de vicino ſolo*] De alieno & finitimo agro in omen propugnandi agri & imperii. *Paul. Terra petita ſolo*] Vide Plutarchum in Romulo. *Neap.*

823. *Foſſa repletur humo*] Aliena ſcilicet uſque ad cumulum. *Ara imponitur plena*] Poſtquam repleta eſt foſſa, erecta eſt ſuperius ara, ne tanta res fieret ſine re divina.

824. *Et novus focus*] Ubi ſit ignis ſacrificii. *Finditur igne accenſo*] Quia in medio loco accenſus eſt ignis. Sic findere focum videtur.

825. *Inde poſtea premens ſtivam*] Ut ſulcus terræ imprimeretur. *Stiva* eſt manica illa aratri, quæ tenetur manibus, cum aratur. *Deſignat mœnia ſulco*] Circumducto aratro, ſulco deſignata eſt urbs. *Paul. Deſignat mœnia ſulco*] Ex ritu finitimo. Vide & Varronem lib. 4. de L. L. Obiter moneo, ritum hunc, & alios ſervatos in libris, quos vocabant Rituales: de his Feſtus: *Rituales nominantur Etruſcorum libri, in quibus perſcriptum eſt, quo ritu condantur urbes, ara, ædes ſacrentur, &c.* Res ipſa ſuader, me ſilente, Romulum præcepta hæc prælegiſſe. *Neap.*

826. *Vacca alba cum niveo bove tulit jugum*] Juvencus & Juvenca candidi delecti ex armento, & præſtantes peteris, & injuges, qui nunquam ſubierant jugum, ad hoc opus adhibiti, ut eſſent poſtea victimæ omni ex parte diis magis acceptæ.

827. *Vox fuit hæc regis*] Condenti urbem, & precatus eſt deos ut adeſſent: quo ea urbs eorum auſpicio conderetur, ut æternitatem urbi darent, & totius orbis imperium.

828. *Ades*] Et faveas.

829. *Pium eſt adhibere*] Ad hoc quod aggredimur opus. *Advertite vultus*] Quaſi vertite animum ad nos, & favete.

830. *Vobis auſpicibus*] Faventibus: hoc eſt, veſtro favore, & auſpicio.

831. *Longa ætas ſit huic*] Quaſi concedite condendæ huic urbi æternitatem. *Sit huic potentia*] Et jus habeat in omni tellure, & ubique dominetur.

832. *Oriens dies & occiduus ſit ſub hac*] Quaſi habeat imperium orbis ab Oriente in Occidentem.

833. *Ille*] Romulus. *Dedit omina*] Signa fœlicia. *Tonitru lævo*] Siniſtro: nam læva tonitrua, fœlicia ſunt. *Paul. Tonitru dedit omina lævo*] Cur lævum dextro fœlicius, fiet palam ex his Plinii: *Fulmina læva proſpera, quia ſacrificantis vel precantis latus lævum, dextrum eſt ejus qui poſtulata largitur.* N.

834. *Et fulmina miſſa lævo polo*] Læva parte cœli, è ſeptentrione.

835. *Læti augurio*] Eo oſtento fœlici. *Jaciunt fundamina*] Fundamenta novæ urbis.

837. *Hic*

Hoc celer urget opus, quem Romulus ipſe vocarat ;
Sintque Celer curæ dixerat iſta tuæ.
Neve quis aut muros, aut factam vomere terram
Tranſeat ; audentem talia dede neci.
Quod Remus ignorans, humiles contemnere muros
Cœpit : &, His populus, dicere, tutus erit ?
Nec mora tranſiluit : rutro Celer occupat auſum.
Ille premit duram ſanguinolentus humum.
Hæc ubi rex didicit ; lacrymas introrſus abortas
Devorat, & clauſum pectore vulnus habet.
Flere palam non vult, exemplaque fortia ſervat,
Sicque meos muros tranſeat hoſtis, ait.
Dat tamen exſequias : nec jam ſuſpendere fletum
Suſtinet ; & pietas diſſimulanda patet :
Oſculaque applicuit poſito ſuprema feretro :
Atque ait, Invito frater adempte vale.

Arſu-

837. *Hoc Celer urget opus*] Celerem hunc Romulus operi præfecerat. *Hoc opus*] Accelerat opus inchoatum.

839. *Aut factam vomere foſſam*] Hoc dicit id tibi curæ ſit, ne quis tranſiliat mœnia, aut aratro deſignata loca : neve aliunde quis egrediatur, quam per inſtitutam portam.

840. *Dede neci*] Interimas. *Audentem talia*] Si quis inde tranſilire auderet.

841. *Quod*] Edictum Romuli. *Humiles muros*] Humilia & exigua mœnia.

842. *Populus erit tutus his*] Quaſi poteritne ſe populus his mœnibus tueri ? hæc vero per contemptum dicta erant : & tranſiliit deinde muros, & à Celere mox neci datus eſt.

843. *Celer*] Præfectus. *Retro occupat auſum*] A tergo eum pelvi, ut Dionyſius inquit, percuſſit. *Paul. Celer occupat auſum*] Raſtro, ſeu rutro paſtorali. Antiquæ membranæ Chronici Euſebiani : *Remus rutro paſtorali à Fabio Romuli duce occiditur.* Neap.

844. *Ille*] Remus.

845. *Premit humum duram*] Nam exanimis in humum corruit.

846. *Devorat lacrymas*] Compeſcere nititur repente natas lacrymas : ut exemplum cæteris afferatur ſervandæ legis. *Et habet vulnus clauſum*] Quaſi premit altum corde dolorem.

847. *Et ſervat exempla fortia*] Fortium & magnanimorum heroum.

848. *Sic hoſtis tranſeat*] Quaſi, ſi quis hoſtis tranſilire hoc audebit, ſic pereat. *Paul. Sic meos muros*] Ipſa verba Titi Livii. *Neap.*

849. *Dat tamen exequias*] Solvit juſta tamen. *Suſtinet ſuſpendere fletum*] Poteſt lacrymas continere.

850. *Et pietas diſſimulata patet*] Aperte oſtendit pium in fratrem animum, quem paulo ante diſſimulaverat.

851. *Poſito feretro*] Feretrum cum ipſo cadavere. *Feretrum* à ferendo, quo corpora efferuntur. *Paul. Poſito ſuprema feretro*] Servius : *Feretrum, locus ubi mortui feruntur.*

852. *Invito frater adempte*] Verius *volenti* dixiſſes ; nec aliud mihi umquam ſuadebis. Cicero 4. Officiorum : *Species enim utilitatis animum pepulit ejus ; cui cum viſum eſſet utilius, ſolum quam cum altero regnare, fratrem interemit.* Neapol. *Frater adempte invito*] Qui ademptus es mihi nolenti. *Vale*] Quod verbum ultimo loco proferebatur.

853. Quod

Arſuroſque artus unxit: fecêre quod ille
Fauſtulus, & mœſtas Acca ſoluta comas.
Tum juvenem nondum facti flevêre Quirites:
Ultima plorato ſubdita flamma rogo eſt.
Urbs oritur (quis tunc hoc ulli credere poſſet?)
Victorem terris impoſitura pedem.
Cuncta regas: & ſis magno ſub Cæſare ſemper:
Sæpe etiam plures nominis hujus habe.
Et quoties ſteteris domito ſublimis in orbe;
Omnia ſint humeris inferiora tuis.
Dicta Pales nobis. idem Vinalia dicam.
Una tamen media eſt inter utramque dies.
Numina vulgares Veneris celebrate puellæ.
Multa profeſſarum quæſtibus apta Venus.
Poſcite thure dato formam, populique favorem:

Poſcite

853. *Quod fecêre ille Fauſtulus*] Verum Fauſtulus gemellorum nutricius, cum fratre, cecidêre in ea contentione. Sed ſuperfuit Acca nutrix illorum.

854. *Acca ſoluta, &c.*] Acca Laurentia habens præ mœſtitia paſſos crines.

855. *Tum Quirites nondum facti*] Nam poſteaquam in communionem urbis & vitæ recepti Sabinis *Quirites* dicti. *Juvenem*] Remum extinctum.

856. *Ultima flamma eſt ſubdita*] Poſteaquam ſatis ploraverant, ultimo loco ſummiſere facem rogo, & cremaverunt cadaver; & tumulo deinde condiderunt in Remuria. *Paul. Subdita flamma rogo eſt*] Inde ſepultus in Remuriâ: qui locus in ſummo Aventino; ubi ille de condendâ urbe fuerat auſpicatus. *Neap.*

857. *Urbs oritur*] Surgunt mœnia, extruuntur ædes & reliqua. *Quis tunc poſſet hoc illi credere*] Quis eo tempore potuiſſet hoc ſibi perſuadere.

858. *Impoſitura pedem victorem terris*] Subactura totum terrarum orbem.

859. *Et ſis ſub magno Cæſare*] Semper Cæſar ſeu Tiberius, ſeu Germanicus imperet.

862. *Omnia ſint inferiora tuis*] Omnia tibi ſuccumbant, & omnia ſuperes. *Paul.*

863. *Idem Vinalia, &c.*] IX. Kalend. erant ſacra Vinalia, quæ duplicia; & quæ celebrata hoc menſe, Plutarcho dicta Ἀφροδίσια; & quæ menſe Sextili xiv. Kalendas Septembres, auctore Feſto, & veteri Kalendario. Priora putarunt viri docti Veneri ſacra, poſteriora Jovi. *Neap. Idem vinalia dicam*] 22. die menſis Aprilis Vinalia feſta celebrantur. Maſſurius libro ſecundo Faſtorum: Vinaliorum, inquit, dies Jovi ſacer eſt: non, ut quidem putant, Veneri, &c.

864. *Media*] inter Palilia & Vinalia unus dies eſt interpoſitus.

865. *Numina vulgares*] Hoc feſto meretriculæ Veneris Erycinæ templa adibant; & oblatis floreis munuſculis cuncta expetebant, quibus populo placerent. *Neap. Numina vulgares Veneris*] Hortatur puellas liberaliores ſui corporis, ut Veneri libent, frequenteſque eant ad ædem Veneris Erycinæ. *Puellæ vulgares*] O Meretriculæ. *Celebrate*] Sacrificate.

866. *Venus eſt apta*] Quæ profeſſarum uſui & lucro earum quæ meretriciam profitentur artem. *Paul. Multa profeſſarum*] Sic dictæ famoſæ hæ mulierculæ: nam ſe vulgare non poterant, niſi præcederet apud Ædiles profeſſio. *Profeſſarum quæſtibus*] In his ſitum præcipuum harum vilium ſtudium. *Neap.*

867. *Poſcite formam thure dato*] Poſcite formæ decorem, qui quidem datur à Gratiis, quæ miniſtræ ſunt Veneris. *Et favorem populi*] Quo formam laudet populus, & vobis faveat.

868. *Poſcite*

Poſcite blanditias, dignaque verba Joco.
Cumque ſua dominæ date grata ſiſymbria myrto,
Textaque compoſita juncea vincla roſa.
Templa frequentari Collinæ proxima portæ
Nunc decet: à Siculo nomina colle tenet.
Utque Syracuſas Arethuſidas abſtulit armis
Claudius, & bello te quoque cepit, Eryx;
Carmine vivacis Venus eſt tranſlata Sibyllæ,
Inque ſuæ ſtirpis maluit urbe coli.
Cur igitur Veneris feſtum Vinalia dicant;
Quæritis, & quare ſit Jovis iſta dies.
Turnus, an Æneas Latiæ gener eſſet Amatæ

Bel-

868. *Poſcite blanditias*] Quibus juvenes alliciatis. *Joco*] Veneris filio.

869. *Date ſiſymbria grata*] Offerte ſiſymbria Veneri, quæ illi grata ſunt. Belg. *Gekrulde balſem*, Siſymbrium aquaticum, ſimile naſturtio eſt. *Cum ſua myrto*] Quæ eſt illi dicata.

870. *Roſa compoſita*] Id eſt, coronam roſarum compoſitarum juncis illigantibus contextarum Veneri ipſi dato.

871. *Proxima porta Collina*] Quæ porta *Salaria* dicta, ſupra collem Quirinalem. *Paul. Collina proxima porta*] Strabo lib. 6. Dedicata Romæ hæc ædes anno DLXXII. de quo agens Livius lib. 40. *Ædes*, inquit, *dua eo anno dedicata ſunt, una Veneris Erycinæ ad portam Collinam, altera in foro Olitorio Pietatis.* Neap.

872. *Tenet nomina à colle Siculo*] Vocatur ædes Veneris Erycinæ, ab Eryce, monte Siciliæ. *Paul. A Siculo nomina colle tenet*] Ubi & templum habuit ditiſſimum: de quo etiam Strabo eodem libro: Vide & Diodorum lib. 4. *Neap.*

873. *Syracuſas Arethuſidas*] Oppidum Siciliæ nobiliſſimum. Accipiendus enim hîc M. Claudius Marcellus qui fuit Syracuſarum glorioſiſſimus expugnator, plurimaque inde ſigna in urbem reportavit: primuſque Hannibalem docuit vinci poſſe. *Ant. Arethuſidas*] Ab Arethuſa Syracuſii fontis nympha.

874. *Eryx bello*] Etiam Erycem montem armis occupavit.

875. *Venus*] Erycina ſcilicet. *Eſt tranſlata*] E Sicilia in urbem. *Carmine vivacis Sibyllæ*] Quaſi, tranſlata à Romanis monitis carmine Sibyllino. *Vivacis*] Dixit propter Cumæam Sibyllam, cui datum erat tot annos vivere, quot partes arenæ palmis accepit. *Paul. Carmine vivacis*] Pace tuâ dicam, mi Ovidi, hallucinaris: nam hæc Veneris ædis prope portam Collinam non dedicata monitu carminis Sibyllini, ſed vovit ſponte L. Porcius Liguſtino bello, dedicavit Porcius L. *F.* Licinius, ut ex Livio vidimus, anno DLXXII. Fateor aliam eidem Veneri voviſſe Q. Fabium Maximum juſſu libri fatalis, ſed ante hanc poſtram annis XXXIV. Servilio Geminio & C. Flaminio Coſſ. Vide & Livium lib. 22. Hoc igitur anno vota, ſed dicata DXXXVIII. L. Poſtumio Albino & T. Sempronio Coſſ. & lib. 23. *Neap.*

876. *Et maluit coli in urbe ſtirpis ſuæ*] Potius voluit coli in urbe Roma, quæ à pronepotibus Æneæ condita eſt.

877. *Cur igitur cum feſtum Veneris, cur dies Jovis*] Et refert ipſam hiſtoriam. Quod Mezentius Etruſcorum rex veniens in auxilium Turni, Rutulorum ſibi dari vinum pepigit. Æneas vero (vel ut alii Aſcanius) Latinorum vinum Jovi vovit. *Paul.*

878. *Sit Jovis iſta dies*] M. Varro lib. 5. de L. L. *Vinalia à vino: hic dies Jovis, non Veneris.* Neap.

879. *An Turnus*] Rex Rutulorum. *Eſſet gener Latiæ Amatæ*] Accipere deberet in uxorem Laviniam Latini regis,

Bellum erat: Hetruſcas Turnus adorat opes.
Clarus erat, ſumptiſque ferox Mezentius armis,
Et vel equo magnus, vel pede major erat.
Quem Rutuli Turnuſque ſuis adſciſcere tentant
Partibus. hæc contra dux ita Tuſcus ait:
Stat mihi non parvo virtus mea. vulnera teſtes,
Armaque, quæ ſparſi ſanguine ſæpe meo.
Qui petis auxilium, non grandia divide mecum
Præmia, de lacubus proxima muſta tuis.
Nulla mora eſt operæ: veſtrum dare: vincere noſtrum.
Quam velit Æneas iſta negata mihi!
Annuerant Rutuli. Mezentius induit arma.
Induit Æneas: alloquiturque Jovem:
Hoſtica Tyrrheno vota eſt vindemia regi.
Jupiter è Latio palmite muſta feres.
Vota valent meliora: cadit Mezentius ingens,
Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat Autumnus calcatis ſordibus uvis:

Red-

gis, & Amatæ reginæ filiam. *Paul. Turnus an Æneas*] Hac de re vide Livium, Plutarchum, vide etiam Plinium lib. 14. cap. 12. *Neap.*

880. *Turnus adorat*] Orando ſupplex, poſcit Turnus, inquit, Rutulique diffiſi rebus, ad florentes opes Etruſcorum, Mezentiumque eorum regem, confugiunt.

882. *Et vel equo magnus*] Ingens erat & magnarum virium, ſi pugnaſſet eques. *Vel pede majus*] Majus præ ſe ferebat robur, ſi pedes pugnaſſet.

883. *Quem*] Mezentium. *Arceſſere ſuis partibus*] Advocare in ſuum auxilium.

884. *E contra*] Quaſi ex altera parte. *Dux Thuſcus*] Rex Tyrrhenus.

885. *Stat*] Pro conſtat. *Teſtor vulnera*] Quæ ſuſcepi in bello: quæ indicant, fuiſſe ſtrenuum & præſtantem in bello.

887. *Qui petis auxilium*] Turne, & vos Rutili, qui meam opem imploratis. *Divide mecum*] Proxima muſta de lacubus tuis, hoc eſt, divide mecum vina, quæ proxima vindemia è vitibus tuis percipies: quod exiguum erit præmium, & tamen eo ero contentus.

888. *De lacubus*] De doliis: per tranſlationem.

889. *Nulla mora eſt*] Nam mox in bellum prodibo. *Veſtrum eſt dare*] Muſta, ſcil.

890. *Quem velit Æneas*] Iſta muſta veſtra, quo vobis auxilio non eſſem.

891. *Annuerant Rutuli*] Promiſeram ſe daturos. *Mezentius induit arma*] Armavit ſe ad bellum contra Æneam.

892. *Alloquitur Jovem*] Antequam in certamen cum Mezentio exiret.

893. *Hoſtica vindemia*] Fructus vindemiæ hoſtilis: hoc eſt, muſta Rutulorum. *Vota eſt*] Promiſſa. *Regi Tyrrheno*] Mezentio regi Etruſcorum.

894. *Feres muſta è palmite Latio*] E vitibus Latinorum: nam Latium ubi ego vinum voveo.

895. *Vota meliora valent*] Vota Æneæ, quæ magis pia fuere, cum Jovi vinum voverit. *Valent*] Quia ſunt effectum conſequuta. *Cadit Mezentius*] Ab Ænea ſingulari certamine peremptus.

896. *Atque plangit*] Percutit. *Humum*] Cum moreretur. *Pectore indignanti*] Cum indignatione renitenti, cum ipſam animam exhalaret.

897. *Calcatis uvis*] Calce preſſis & prelo ad exprimenda muſta.

898. *Red-*

Redduntur merito debita vina Jovi.
Dicta dies hinc eſt Vinalia. Jupiter illam
Vendicat: & feſtis gaudet ineſſe ſuis.
Sex ubi, quæ reſtant, luces Aprilis habebit;
In medio curſu tempora veris erunt.
Et fruſtra pecudem quæres Athamantidos Helles:
Signaque dant imbres: exoriturque Canis.
Hac mihi Nomento Romam cum luce redirem,
Obſtitit in media candida pompa via.
Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,

Exta

898. *Redduntur merito Jovi*] Solvuntur vota, offerturque vinum Jovi promerenti pro victoria Æneæ præſtita.

899. *Hinc*] Ex hoc vino Jovi oblato. *Eſt dicta Vinalia*] Quia Vinaliorum celebritas refertur eo die.

900. *Vendicat ſibi illa*] Attribuit ſibi eum diem. *Paul.*

901. *Sex ubi quæ*] Et eſt ſenſus: Cum Aprili ſex tantum dies ſuperfuerint, hoc eſt, ſeptimo Kalendas, in medio curſu ver erit. Tunc enim & Rubigalia celebrantur, ut Plinius docet. *Ant. Sex ubi quæ reſtent*] VII. Kalendas ver meo Publio bipartitur; quod Columellæ ipſo die Palilium, XI. Kalendas. *Neap. Sex luces*] Sex dies. *Paul.*

902. *In medio curſu*] In medio ſpatio.

903. *Et fruſtrà quares pecudem Helles Athamantidos*] Fruſtra requires arietem Phryxi & Helles, Athamantis Thebani f. Hoc dicit: Tu non videbis jam Arietem cum Sole orientem: nam totus nunc Taurus cum Sole oritur, & Aries jam anteceſſit. *Paul. Et fruſtra pecudem quares*] Eodem VII. Aries occidit acroniico occaſu. *Neap.*

904. *Exoriturque Canis*] Mira & nova fateor. Numquam audivi à nata Aſtrologia, poſt Arietis occaſum, imo poſt Tauri ortum, Canem exoriri. Quidam mallet, *exoriturque Capra.* Sed ad quid? ſequuntur Rubigalia, quæ ad occaſum Canis inſtituta, & celebrata. Vide Plin. lib. 18. cap. 29. Suſpicio hinc mihi de menda venit, & adlubet ſcribere:

Signa dabunt imbres, effugiatque Canis.

Hic enim moto Tauro ſtatim cedit navi Argoæ. Virg. primo Georg.

Taurus, & averſo cedens Canis occidit aſtro.

Firmat etiam noſtram emendationem, quod ille in occaſu vehemens, gelidus, pluvius. *Neap.*

905. *Hac mihi Nomento, &c.*] Cum Poeta ex ſuburbano Romam rediret, ut ipſe inquit, occurrentem turbam habuit, Rubigini ſacrificaturam, cui ſacerdos canem & ovem immolat. *Nomento Romam*] Nomentum in viâ quâ in Sabinos itur, ad decimum quintum ab urbe lapidem. *Paul. Hac mihi Nomento*] Sabinorum oppido. *Neapol.*

906. *Candida turba*] Candidis induta veſtibus. *Obſtitit*] Obvia mihi ſterit in media via. *Paul. In media candida turba via*] Candida turba ſunt Flamines, qui ad Rubiginem placandam properabant, albo induti veſtimento: color is erat ſacrificantium. *Media via*] De hac Servius: *Ab hoc oppido via Nomentana dicta, quæ incipiebat à Viminali Porta*: & priſcus lapis:

VIÆ NOMENTANÆ PATRONUS. *Neap.*

907. *Flamen*] Sacerdos. *Ibat in antiquum lucum Rubiginis*] In lucum ab antiquis Rubigini conſecratum. *Paul. In antiquæ lucum*] Diſplicet lectio; ſed ſic plerique, præter duos optimos, qui habent

Exta canis flammis, exta daturus ovis.
Protinus acceſſi: ritus ne neſcius eſſem,
Edidit hæc flamen verba, Quirine, tuus:
Aſpera Rubigo parcas Cerealibus herbis,
Et tremat in ſumma læve cacumen humo.
Tu ſata ſideribus cœli nutrita ſecundis
Creſcere, dum fiant falcibus apta, ſinas.
Vis tua non levis eſt quæ tu frumenta notaſti;
Mœſtus in amiſſis illa colonus habet,
Nec venti tantum Cereri nocuêre, nec imbres;
Nec ſic marmoreo pallet aduſta gelu;
Quantum, ſi culmos Titan incalfacit udos;
Tum locus eſt iræ diva timenda tuæ.
Parce, precor, ſcabraſque manus à meſſibus aufer;
Neve

bent *antiquum*. Quanto melius ad lucum, quam ad Rubiginem epithetum referre. Antiqua ſane Rubigalia non infiteor, inſtituit Numa Pompilius anno Regni ſui xi. Vide Varronem lib. 1. de R. R. *Lucum Rubiginis*] Panvinius in Topographiâ Urbis, lucum & ædem ponit in regione v. ſed ædem expreſſim viâ Nomentanâ extra portam Catulariam. *Rubiginis ibat*] Libri duo è meis, *Robiginis*, & certe verius: nam ei venit erymon, ut ſuſpicor, à colore robo; qui Græcis ἐρυθός. Hinc *robos* boves à ruſticis vocatos, auctor eſt Feſtus in vocula *robum*. Expreſſe vetus Senatus-Conſultum apud Gellium lib. 4. cap. 6. SI QUID SUCCIDANEIS OPUS ESSET ROBUS, SUCCIDERET. Vulgo male legitur, ROBIGUS ACCEDERET. *Neap.*

908. *Daturus flammis exta canis*] Immolaturus canem & ovem, & inteſtina crematurus. *Paul. Exta canis flammis*] Rufus eſſe debebat; imo catulus & lactens: id me docuit Columella.

911. *Aſpera Rubigo*] Oratio flaminis ad ipſam Rubiginem, quam precatur ut ſegetibus parcat: Verum Rubigum deum vocabant, & eidem ſacrificabant. *Parcas*] Noli attingere cereales ſegetes.

912. *Tremat*] Impune agitetur.

913. *Secundis ſideribus cœli*] Proſpero ſiderum curſu.

914. *Creſcere*] Creſcere & pervenire ad maturitatem ſegetes. *Apta*] Matura.

915. *Non levis*] Magni momenti. *Qua tu notaſti*] Corrupiſti, nam ſtatim:

Cum fuerint fruges ſcabrâ rubigine læſa.
Cogitur amiſſas flere colonus opes.

916. *Habet frumenta in amiſſis*] Quia jam amiſſa exiſtimat.

917. *Nocuêre Cereri*] Non ſunt tam noxii frugibus Cereris venti.

918. *Aduſta gelu marmoreo*] Quaſi nec pruinæ, nec glacies tantum nocent.

919. *Quantum ſi Titan*] Sol. *Incalfacit*] Calefacit. *Udos*] Madidos. Tunc enim gignitur rubigo, cum madidi culmi ſegetis nimio ſolis calore deficcantur. *Paul. Culmos Titan incalfacit udos*] Quod & principio Georgicon Poëta notavit in hiſce,

——ut mala culmos
Eſſet Rubigo.

Bene *eſſet*: nam penitus rodit & occidit ſegetes. Rubigo autem tunc ſævit in ſata, cum illis udis ſoles magni ſuperveniunt. *Neap.*

920. *Diva tremenda*] Rubigo timenda. *Eſt locus iræ tuæ*] Quia tunc tua ira ſævit in ſegetes.

921. *Parce precor*] Et noli in ſegetes ſævire. *Scabras*] Aſperas. *A meſſibus*] A frugibus.

922. *Neve*

Neve noce cultris: poſſe nocere ſat eſt.
Nec teneras ſegetes, ſed durum contere ferrum:
Quodque poteſt alios perdere; perde prior.
Utilius gladios & tela nocentia carpes:
Nil opus eſt illis: otia mundus agit.
Sarcula nunc, duruſque bidens, & vomer aduncus
Ruris opes niteant, inquinet arma ſitus.
Conatuſque aliquis vagina ducere ferrum;
Adſtrictum longa ſentiat eſſe mora.
At tu ne viola Cererem: ſemperque colonus
Abſenti poſſit ſolvere vota tibi.
Dixerat: à dextra villis mantele ſolutis.
Cumque meri patera thuris acerra fuit.
Thura focis vinumque dedit fibraſque bidentis;
Turpiaque obſcœnæ vidimus exta canis.
Tum mihi, Cur detur ſacris nova victima quæris:
(Quæſieram) Cauſam percipe flamen ait:

Eſt

922. *Neve noce cultris*] Noli nocere ſegetibus.

923. *Sed amplectere durum, &c.*] Quaſi abrodas bellica inſtrumenta exitialia.

924. *Perde prior*] Potius quam ſegetes perdas.

925. *Utilius carpes*] Rodes.

926. *Nihil opus eſt iſtis*] Armis: ideo ea abrodas.

927. *Niteant nunc opes ruris*] Nitida & ſplendida ſint ruſtica inſtrumenta. *Sarcula*] Quæ à ſarciendo dicta ſunt, crates ſunt illæ dentatæ, quæ ſupertrahuntur ſatis.

928. *Situs*] Squalor & rubigo. *Inquinet*] Commaculet. *Arma*] Bellica.

929. *Ducere*] Exerere è vagina.

930. *Sentiat eſſe aſtrictum*] Cognoſcat, rubigine preſſum, & in vagina hærentem, ut facile exeri non poſſit.

931. *At tu*] Rubigo. *Ne viola Cererem*] Noli corrumpere cerealia dona. *Et colonus poſſit*] Hæc verba à flamine Quirinali proferebantur, deinde immolavit Rubigini, adhibito etiam in ſacris thure & mero.

933. *Dixerat*] Flamen. *Villis ſolutis*] Non impliciis, non ut apud Virgil. *Tonſique ferunt mantilia villis*: ſed ſolutis. *Paul. Adextra villis mantele ſolutis*] Manu dextra ſacerdos ille Quirinalis cum patera & acerra geſtabat linteum mappa longiuſculum, tergendis manibus peracto ſacrificio. *Mantele*, Græcis χειρόμακτρον. Confunditur tamen apud omnes mappa cum manteli. Vide Martialem in Epigrammate, cui lemma, *Gauſapa, vel Mantele. Villis ſolutis*] His contrarium, *tonſis villis*; nec *villoſa linteа* apud Martialem ea ſunt, quibus villus per omnia inſurgit; tonſa, quibus deraſus: ſed quibus ſubtemen de induſtria relictum; tonſa, quibus nullum. *Villos* igitur *ſolutos* explico, ſubtemen è linteo pendens. *Neap.*

934. *Acerra thuris*] Thus & merum adhibebantur in his ſacris, ut in cæteris. *Acerra*, Pompeius inquit, ante mortuum poni ſolebat, in qua odores incendebant: & aſſerit alios dicere, arculam eſſe thurariam ſcilicet, ubi thus reponebant.

935. *Dedit focis*] Flammis injecit. *Et fibras bidentis*] Exta ovis.

936. *Vidimus*] Itidem dari flammis. *Exta*] Inteſtina. *Canis obſcœna*] Turpis, & quod in epulas non mactabatur, & novum illud ſacrificii genus obſcœnum videbatur.

Eſt canis (Icarium dicunt) quo ſidere moto,
Toſta ſitit tellus, præripiturque ſeges.
Pro cane ſidereo canis hic imponitur aræ:
Et, quare pereat, nil niſi nomen habet.
CUm Phrygis Aſſaraci Tithonia fratre relicto
Suſtulit emerſo ter jubar orbe ſuum;
Mille venit variis florum dea nexa coronis:
Scena joci morem liberioris habet.
Exit & in Maias ſacrum Florale Kalendas.
Tunc repetam: nunc me grandius urget opus.
Aufert Veſta diem: cognato Veſta recepta eſt

Li-

939. *Eſt canis, (Icarium)* Immolari canem, pro Caniculæ ſidere: cujus exortu accendi ſolis vaporem quis ignorat? Igitur canis immolatur, ne nimio æſtu noceat frugibus. *Eſt canis]* In cœlo ſcil. *Dicunt Icarium*] Ferunt eſſe canem Icari, qui interfectus fuit à paſtoribus, epoto quod is dederat vino. *Quo ſidere moto*] Cum movetur in ipſo ortu. *Paul. Quo ſidere moto*] Quo exorto: ſic poſtulat hic ſenſus: nam moveri ſidus proprie eſt, quod ἀπὸ τῦ ἀφανῦς εἰς τὸ φανερὸν procedit; & è contra, quod ἀπὸ τῦ φανερῦ εἰς τὸ ἀφανές. Neap.

940. *Toſta tellus ſitit*] Propter ignes quos effundit. *Et ſeges præripitur*] Cum areſcat nimio calore.

941. *Imponitur aræ]* Immolatur. *Paul. Canis hic imponitur aræ*] Huic pariſſimum feſtum fuit apud Græcos, ſi bene memini: Κυνοφόντια illi dixere. Athenæus lib. 3. *Neap.*

942. *Nil habet niſi nomen]* Et propter nomen canis cani mactatur.

943. *Cum Priami conjux Tithonia*] Tertio die à Robigalibus, hoc eſt, pridie Kalendas Maias, id eſt, ultimo die Aprilis, erunt Floralia. *Tithonia*] Aurora Tithoni uxor. *Relicto fratre]* Priami, Relicto Tithono Laomedontis filio, ſic Priami fratre. *Paul. Cum Phrygis Aſſaraci*] IV. Kalendas Maias incipiebant Floralia. Vide Plin. lib. 18. cap. 29. *Itaque iidem Floralia* IV. *Kalendas ejuſdem* Maii *inſtituerunt, Urbis anno* DXVI. ſcribe, *anno Urbis* DXIII. nam L. & M. Publicio plebis Ædilibus ut dicemus, inſtituta. *Neap.*

944. *Suſtulit*] Elevavit. *Jubar*] Splendorem ſuum.

945. *Venit Dea florum*] Flora ipſa. *Nexa*] Coronata.

946. *Scena]* Theatrum, ubi ſcena eſt. *Joci liberioris*] Laſcivæ licentioris, quæ referetur in ipſis ludis.

947. *Feſtum Florale exit]* Differtur in ſequentem diem: nam propter conſecrata ab Auguſto ſacella, Apollini & Veſtæ ſacrificatur. *Paul. Exit & in Maias*] Scribit igitur ſolemnitatis partem ſub finem menſis Aprilis agitari; quod reliquum, menſe Maio. Diem ille Libro ſequenti facit VI. Nonas Maias. In Kalendario Conſtantini Magni prima Floralia invenio pridie Kalendas Maias, altera V. Nonas. *Neap.*

948. *Tunc*] Cum de Kalendis Maiis agam. *Repetam*] Floralia ipſa. *Nunc urget*] Cogit me Gradivus. *Majus opus*] Nam majora numina Apollinis & Veſtæ, quam Floræ.

949. *Eſt recepta limine cognati*] In ædibus Auguſti Palatinis, ubi eſt illi ſacellum conſecratum. *Paul. Aufert Veſta diem*] Ne fallaris: in hunc Veſtalia non incidunt, ſed in VI. Idus Junias. Nunc tranſlatio celebratur ſacri ignis in domum Palatinam. Mos fuit, Pontificem Maximum ædes publicas juxta Veſtam incolere: cumque Auguſtus Pontifex jam deſignatus Palatium vellet inhabitare, Veſtam ad ſe tranſtulit, id eſt, à regione VIII. in X. ubi ſitum: cujus partem tunc publicavit. Vide Dionem Caſſium. *Neap. Aufert Veſta*] Vendicat ſibi hunc diem Veſta. *Ant.*

950. *Sit*

Limine. ſic juſti conſtituêre patres,
Phœbus habet partem: Veſtæ pars altera ceſſit:
Quod ſupereſt illis, tertius ipſe tenet.
State Palatinæ laurus, prætextaque quercu
Stet domus, æternos treis habet una deos.

950. *Sic conſtituêre*] Nam conſecratus locus ex ſenatus autoritate.

951. *Phœbus habet partem*] Cum ejus templum occupet partem Palatinæ domus. *Paul. Phœbus habet partem*] In alio Palatii angulo templum erat Apollinis Palatini: unde illa noſtri Naſonis in extrema Metamorphoſi:

Veſtaque Cæſareos inter ſacrata penates,
Et cum Cæſareâ tu Phœbe domeſtice Veſta.

Vides duo numina in una domo dicata. Sueton. *Addita porticus cum Bibliotheca Latina Græcaque*: de hâc initio lib. 53. Dio Caſſius, & Horatius Epiſtola 2. ad Florum libro primo:

——Tangere vitet
Scripta Palatinus quæcumque recepit Apollo.

Latina ſcilicet, Græcaque, quæ diviſim in Palatio locata. Hinc colligo, quod unaquæque Bibliotheca ſuos cuſtodes habuerit. *Neap.*

952. *Ipſe tertius*] Auguſtus. *Quod ſupereſt*] Eam ædium partem quam duo illa templa non occupant.

953. *State*] Quaſi æternæ eſtote. *Laurus & quercus prætexta*] Ornata & cincta hinc inde laurus, aut prætexta coronis. Erat enim quercus illa Palatina, cum lauris ante fores ædium Auguſti. In Metamorph. *Ante fores ſtabis, mediamque tuebere quercum.*

954. *Stet*] Perpetua ſit. *Tres æternos Deos*] Auguſtum, Apollinem, Veſtam. *Paul.*

P. OVIDII NASONIS FASTORUM

LIBER V.

QUæritis unde putem Maio data nomina menſi.
Non ſatis eſt liquido cognita cauſſa mihi.
Ut ſtat, & incertus qua ſit ſibi neſcit eundum;
Cum videt ex omni parte viator iter;
Sic, quia poſſe datur diverſas reddere cauſſas;
Qua ferar ignoro: copiaque ipſa nocet.
Dicite quæ fontes Aganippidos Hippocrenes
Grata Meduſæi ſigna tenetis equi.
Diſſenſêre deæ, quarum Polyhymnia cœpit
Prima,

1. *Quæritis unde putem, &c.*] Maium Romulus tertium poſuit, de cujus nomine inter autores lata diſſenſio eſt. Nam Fulvius Nobilior in Faſtis, Romulum dicit, poſtquam populum in majores junioreſque diviſit, ut altera pars conſilio, altera armis rempub. tueretur, in honorem utriuſque partis, hunc *Maium*, ſequentem *Junium* vocaſſe. Poëta autem de origine menſis dubium ſe eſſe offert; quare à Muſis petit ut certior cauſa referatur.

2. *Non ſatis liquido*] Non ſatis aperte & dilucide. *Paul. Non ſatis eſt liquido cognita cauſa*] Eapropter tria adducit ἔτυμα, menſem hunc aut à Majeſtate, Honoris & Reverentiæ filiâ, dictum, aut à Majoribus, aut à Maja Mercurii matre. Primi non meminit ullus niſi noſter, ſecundum eſt ex ſententiâ Fulvii Nobilioris. Vide Macrobium primo Saturnalium: Tertium ex opinione Cincii; licet hic Majam Vulcani dicat uxorem. *Neap.*

3. *Ut viator*] Cum videt iter ex omni parte: ubi plures ſimul viæ conveniunt. *Stat*] Hæret, vel ſubſiſtit. *Et incertus*] Dubius. *Paul. Ut ſtat, & incertus*] Theognis: Ἐν τριόδῳ δ' ἑστηκα. Neap.

5. *Quia datur poſſe reddere*] Poſſe afferre varias hujus nominis rationes.

6. *Qua ferar*] Quaſi, cum potiſſimum opinionem ſequar, & quam veriorem eſſe dicam. *Et ipſa copia nocet*] Quia reddit me dubium.

7. *Dicite vos*] Scilicet Muſæ. *Qua tenetis fontes Aganippidos*] Fontem Pegaſeum in Helicone. Vulgatum eſt etiam, Caballinum in Helicone fontem erupiſſe, cum ſubitam ibi rupem feriret ungula. Hunc ergo fontem in Helicone *Aganippen* multi vocavere, ex ἄγαν, quod eſt *valde*, & ἵππος, *equus*: quaſi proprie ſit equi, hoc eſt, ab equo factus. Appellaverunt etiam ipſum fontem *Hippocrenem*: nam ἵππος *equus*, κρήνη *fons*.

8. *Signa*] Veſtigia. *Equi Meduſæi*] E ſanguine Meduſæ nati. *Aut ſigna*] Monumenta equi, quo ungula terram effodiente erupit aqua.

9. *Diſſenſere deæ*] Muſæ fuere inter ſe diſſentientes: nam illud ab illa, alliud ab alia dicebatur.

10. *Et*

Prima, ſilent aliæ: dictaque mente notant.
Poſt chaos, ut primum data ſunt tria corpora mundo,
Inque novas ſpecies omne receſſit opus;
Pondere terra ſuo ſubſedit, & æquora traxit:
At cœlum levitas in loca ſumma tulit.
Sol quoque cum ſtellis nulla gravitate retentus,
Et vos lunares exiluiſtis equi.
Sed neque terra diu cœlo, neque cætera Phœbo
Sidera cedebant: par erat omnis honos.
Sæpe aliquis ſolio, quod tu, Saturne, tenebas;
Auſus de media plebe ſedere deus.
Et latus Oceano quiſquam deus advena junxit:
Tethys & extremo ſæpe recepta loco.
Donec Honor, placidoque decens Reverentia vultu
Corpora legitimis impoſuêre toris.
Hinc ſata Majeſtas; quæ mundum temperet omnem:
Quaque diu partu eſt edita; magna fuit.

Nec

10. *Et notant dicta mente, &c.*] Intentæ enim audiunt. Polyhymniam dictam volunt à πολὺ *multum*, & ὕμνος *laudatio*, quod laudationibus præſit.

11. *Poſt chaos*] Polyhymnia aſſerere contendit, Maium menſem à *majeſtate* dictum. Nam cum ab initio poſt digeſtum chaos, nulla haberetur ratio aut ætatis, aut dignitatis, & inhonorati ab aliis eſſent deorum principes, nata eſt *Majeſtas*, hæſitque primum Saturno, deinde Jovi, eaque fecit, ut ſuperiores ab inferioribus venerarentur. Ejuſque numine factum eſt, ut in terris quoque perſonarum, ætatis, ac dignitatis ratio habeatur. Illi igitur ob numinis magnitudinem, menſem hunc veteres conſecravere. *Data ſunt mundo tria corpora*] Digeſtum illud chaos in elementorum ordinem: ignis cum cœlo altius evolavit.

12. *Receſſit in novas ſpecies*] In novas formas.

13. *Terra ſubſedit*] Depreſſa eſt.

14. *At levitas tulit cœlum*] Hoc eſt, æthera. *In ſumma loca*] Ut in Metam. *Summaque locum ſibi leget in arce.*

16. *Et vos ô equi lunares*] Qui bigam Lunæ agitis. *Exiluiſtis*] Et ad ſuperiora quoque aſcendiſtis.

17. *Sed terra diu non cedebat cœlo*] Non reverebatur cœlum, cum ſe inferiorem illo non exiſtimaret.

18. *Sidera*] Cæteræ ſtellæ ſoli cedere nolebant. *Erat par*] Quia nulla erat diſcretio perſonarum, & dignitas. *Paul.*

20. *De media plebe*] Τὸν τυχόντα Græci dicerent. *Sedere Deus*] Acſi poſtea ſedes unicuique pro meritis aſſignatæ. Hanc diſtinctionem mihi viſus Homerus adſignificaſſe in Iliad. A. *Neap.*

21. *Et quiſquam deus advena*] Aliunde adveniens. *Junxit latus Oceano*] Auſus eſt ſedere prope Oceanum, deorum omnium parentem.

22. *Et Tethys*] Quæ fuit ſoror Saturni. *Sæpe eſt recepta ultimo loco*] Cum nemo eſſet qui eam revereretur, & coleret.

24. *Corpora*] Deorum ipſorum, & heroum. *Toris legitimis*] Qui eſſent illis lege conſtituti.

25. *Hinc*] Ex honore & reverentia. *Sata Majeſtas*] Quæ à magnitudine dicitur. *Temperet*] Regit & moderatur, cum omnia illi ſuccumbant, & ejus arbitrio agantur.

26. *Fuit magna*] Et cæteris numinibus major; inde à magnitudine nomen ſortita eſt. *Paul. Magna fuit*] Semper una, & eadem. *Neap.*

27. *Medio*

Nec mora: conſedit medio ſublimis Olympo,
Aurea purpureo conſpicienda ſinu.
Conſedêre ſimul Pudor & Metus. omne videres
Numen ad hanc cultus compoſuiſſe ſuos.
Protinus intravit mentes ſuſpectus honorum.
Fit pretium dignis: nec ſibi quiſque placet.
Hic ſtatus in cœlo multos permanſit in annos:
Dum ſenior fatis excidit arce deus.
Terra feros partus immania monſtra Gigantas
Edidit: auſuros in Jovis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues;
Atque ait, In magnos arma movete deos.
Exſtruere hi montes ad ſidera ſumma parabant,
Et magnum bello ſollicitare Jovem.
Fulmina de cœli jaculatus Jupiter arce
Vertit in autores pondera vaſta ſuos.
His bene Majeſtas armis defenſa deorum
Reſtat: & ex illo tempore firma manet.

Aſſi-

27. *Medio Olympo*] In altiore cœli parte: ut cum eſſet re, ita & loco cæteris eminentior.

28. *Aurea conſpicienda*] Spectabilis & admiranda. *Sinu purpureo*] Veſte purpurea: quæ quidem magiſtratus ſummos decebat, & quæ ſemper magni fuit apud veteres.

29. *Pudor & Metus ſimul*] Cum ipſa Majeſtate: quæ duo faciunt abhorrere ab omni turpitudinis nota. *Omne numen*] Omnes deos. *Paul. Pudor & Metus*] Majeſtatis individui comites. *Neapol.*

30. *Compoſuiſſe ſuos vultus ad hanc*] Ut ſolum ipſam Majeſtatem contemplarentur & intuerentur.

31. *Suſpectus honoris intravit mentes*] Cum prius nulla ratio haberetur honoris. *Paul. Suſpectus honorum*] Cultus & admiratio digniorum. *Neap.*

32. *Fit pretium dignis*] Quaſi dignitas eſſe cœpit in pretio, & qui digniores erant, pluris exiſtimabantur. *Nec quiſque*] Non ut quiſque placeret ſibi ipſi, ſed ut placeret aliis, & ſic tum pluris exiſtimabatur.

33. *In annos multos*] Regnante enim Saturno pro majeſtatis amplitudine, habita eſt ratio dignitatis.

34. *Excidit arce*] Ejectus eſt è regno cœleſti, & ab Jove filio pulſus. *Fatis*] Fatali neceſſitudine.

35. *Terra feros partus, &c.*] Poſt ejectum ab Jove Saturnum, Terra gigantes peperit, qui auſi ſunt extructis montibus, diis bellum inferre, ſed ab Jove fuſi ſunt. *Partus*] Hoc eſt, ipſos gigantes.

36. *Ire in Jovis domum*] Oppugnare cœlum.

37. *Dedit*] Terra. *Illis*] Gigantibus. *Mille manus*] Propterea quod Briareus & alii erant, qui habebant centum manus. *Et pro cruribus angues*] Quoniam habebant pedes ſerpentinos.

39. *Exſtruere montes*] Pelion, Oſſam, Olympum. *Ad ſidera ſumma*] Ut illuc per extructos montes aſcenderent.

40. *Et ſollicitare*] Anxium & ſollicitum reddere.

42. *Vaſta pondera*] Vaſtos montes. *In autores ſuos*] In eos qui pro oppugnando cœlo conſtruxerant.

43. *His armis*] Jovis ſcilicet fulminibus.

44. *Et ex illo tempore*] Ab extinctis gigantibus. *Manet culta*] Nam colitur & obſervatur ab omnibus.

45. *Inde*

Assidet illa Jovi: Jovis est fidissima custos:
Et præstat sine vi sceptra tremenda Jovi.
Venit & in terras: coluerunt Romulus illam
Et Numa: mox alii, tempore quisque suo.
Illa patres in honore pio matresque tuetur:
Illa comes pueris virginibusque venit.
Illa datos fasces commendat, eburque curule;
Illa coronatis alta triumphat equis.
Finierat voces Polyhymnia. dicta probarunt
Clioque, & curvæ scita Thalia lyræ.
Excipit Uranie: fecêre silentia cunctæ:
Et vox audiri nulla, nisi illa, potest.
Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.
Martis opus juvenes animosaque bella gerebant

Et

45. *Inde*] Ex illo. *Assidet Jovi*] Apud Jovem sedet. *Fidissima custos est Jovis*] Propterea quod ab eo non discedit, ut illum servet in sua dignitate.

46. *Et præstat sceptra*] Præstat imperium Jovi. *Sine vi*] Nam non per vim & tyrannidem imperat; sed facit Majestas, ut dii cæteri sua sponte Jovi pareant, tanquam digniori.

47. *Venit & in terras*] Et hæsit regibus & heroibus, fecitque eos ab aliis observari. *Romulus & Numa*] Qui fuere primi reges Rom. *Paul. Coluerunt Romulus illam*] Hinc Principi majestas in jure tribuitur. Vide Julium Paulum lib. 4. Sentent. tit. 5. & leg. 7. Sect. Hoc cæterum D. Ad legem Juliam majest. & Legem ultimam C. De legib. *Neap.*

48. *Coluerunt illam*] Majestatem: ut essent & haberentur cæteris digniores.

49. *Patres & matres in suo honore*] Quasi facit ut habeatur ratio genituræ & ætatis: ut filii parentes, ut juvenes eos qui majores natu sunt, revereantur.

50. *Illa*] Majestas. *Venit comes pueris & virginibus*] Nam hæret illis qui præstantioris erunt indolis.

51. *Illa commendat datos fasces*] Hoc est, facit ut consules à populo venerentur. *Et ebur curule*] Eburneam, & conspicuam signis curulem sellam, pro ipsis ædilibus, & consulum etiam erat eburnea sella. *Paul. Illa datos fasces*] Dignitates Consulares, Ædilitias, Prætorias, omnem denique Magistratum. *Neap.*

52. *Alta*] Sublimis triumphat. *Equis coronatis*] Hoc est, hæret etiam ducibus, & imperatoribus triumphantibus curru coronato.

54. *Clio & Thalia scita curvæ lyræ*] Quasi docta resonare lyram. *Clio*] Musa dicta à κλέος, quod est *gloria*, & *Thalia* à θάλλω, quod est vireo.

55. *Excipit Uranie*] Suscipit illa causam agendam, & subsequuta est statim Polyhymniæ sermonem, quæ dicta est Urania, ab οὐρανῦ, i. e. à cœlo: quod viros eruditos in cœlum tulit.

56. *Et nulla vox potest audiri nisi illa*] Nam silentibus cæteris, sola vox illius audiebatur.

57. *Magna fuit quondam &c.*] Ostendit Urania *Majum* dictum à majoribus, hoc est, à senibus, cum maxima haberetur illis reverentia. & à junioribus *Junium* nuncupavit. *Capitis cani, &c.*] Hoc est, senilem ætatem cæteri reverebantur.

58. *Et ruga senilis*] Quæ senilem ætatem indicat.

59. *Martis opus*] Gerebant arma, & pro patria pugnabant. *Bella animosa*] Quasi cum laude fortitudinis & magnanimitatis.

Et pro dis aderant in ſtatione ſuis.
Viribus illa minor, nec habendis utilis armis
Conſilio patriæ ſæpe ferebat opem.
Nec niſi poſt annos patuit tunc curia ſeros;
Nomen & ætatis mite ſenatus erat.
Jura dabat populo ſenior: finitaque certis
Legibus eſt ætas; unde petatur honos.
Et medius juvenum, non indignantibus ipſis,
Ibat: & interior, ſi comes unus erat.
Verba quis auderet coram ſene digna rubore
Dicere; cenſuram longa ſenecta dabat.
Romulus hoc vidit: ſelectaque pectora patres
Dixit, ad hos urbis ſumma relata novæ.
Hinc ſua majores poſuiſſe vocabula Maio
Tangor, & ætati conſuluiſſe ſuæ.
Et Numitor dixiſſe poteſt, Da, Romule, menſem Hunc

60. *Et aderant in ſtatione*] Quaſi firmi in acie. *Pro diis ſuis*] Pro defenſione patriæ, & deorum ſuorum.

61. *Viribus illa minor*] Ætas ſenilis robore corporis inferior.

62. *Ferebat opem patriæ conſilio*] Cum corpore prodeſſe patriæ non poſſet, proderat conſiliis.

63. *Nec curia tunc patuit*] Quaſi non eo tempore licebat quenquam in ordinem ſenatorium advocare, niſi poſt gravem ætatem. Ideo non patuit niſi ſenibus. *Paul. Patuit tunc curia ſeros*] Adludit ad leges illas annarias. *Neap.*

64. *Habet mite nomen ætatis*] Nam à ſenili ætate, *ſenatus* dictus.

65. *Senior dabat jura populo*] Prætores etiam, qui jus dicerent, & poſt ejectos reges ipſi conſules ex ſenili ætate creabantur. *Ætas eſt finita certis legibus*] Quaſi circumſcripta & determinata legibus eſt ætas.

66. *Unde*] A qua ætate. *Petatur honor*] Petantur dignitates: nam lege cautum eſt, ne quis minor quadraginta annis, iniret conſulatum. *Paul. Unde petatur honor*] Vide Latinum Pacatum in Panegyrico Theodoſii.

67. *Et medius juvenum*] Loco digniori. *Neap. Et medius juvenum ibat*] Juniores reverentiæ gratia medio loco ſeniorem accipiebant. *Non indignantibus*] Ipſis junioribus, ſcilicet, medio loco ſenem ducere. *Paul.*

68. *Et interior*] Si duo vero erant, prælatus ſenex in itione, aut ſeſſione, & ad dextram poſitus. *Neap.*

69. *Quis auderet dicere*] Ex juvenibus quis eſſet auſus loqui. *Verba digna rubore*] Verba turpia.

70. *Dabat cenſuram*] Turpium. Ergo tanta erat ſenum reverentia, ut viderentur ipſi ſenes pro cenſoribus adeſſe juvenibus. *Paul. Cenſuram longa ſenecta dabat*] Senibus, inquit, habita reverentia, ac morum magiſtris. *Neap.*

71. *Patres corpora electa*] Senes ipſos, quos legit, cum Senatum conſtituit, *Patres* appellavit.

72. *Summa nova urbis*] Omnis cura, & imperii ſumma relata eſt. *Paul. Summa relata*] Τὸ σύμπαν. Terentius Phormione: *Ad te ſumma rerum redit.* Neap.

73. *Hinc*] Ex his rationibus. *Tangor*] Moveor ad ita exiſtimandum. *Tribuiſſe*] Dediſſe appellationem huic menſi, ut ab ipſis majoribus Maius diceretur.

74. *Et conſuluiſſe ſuæ ætati*] Habuiſſe rationem ætatis. *Paul. Tangor*] Inducor ut credam. *Neap.*

75. *Et Numitor*] Avus maternus Romuli. *Poteſt dixiſſe*] Potuit ita dicere. *Da hunc menſem ſenibus*] Quaſi, da huic menſi à ſenibus appellationem.

76. *Nec*

Hunc ſenibus ; nec avo ſuſtinuiſſe nepos.
Nec leve præpoſito pignus ſucceſſor honori :
Junius à juvenum nomine dictus habet.
Tum ſic neglectos hœdera redimita capillos,
Prima ſui cœpit Calliopea chori :
Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,
Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.
Hinc ſata Pleïone cum cœlifero Atlante
Jungitur, ut fama eſt : Pleïadaſque parit.
Quarum Maia ſuas forma ſuperaſſe ſorores
Traditur, & ſummo concubuiſſe Jovi.
Hæc enixa jugo cupreſſiferæ Cyllenes
Æthereum volucri qui pede carpit iter.
Arcades hunc, Ladonque rapax, & Mænalon ingens
Rite colunt, Luna credita terra prior.
Exul ab Arcadiis Latios Evander in agros
Venerat: impoſitos attuleratque deos.
Hic, ubi nunc Roma eſt, orbis caput ; arbor, & herbæ,
Et paucæ pecudes, & caſa rara fuit.

Quo

76. *Nec nepos*] Romulus. *Suſtinuiſſe*] Quaſi non potuit ſuſtinere diutius illius preces, & noluit poſtulata negare: ſed obſequutus eſt, & menſem à ſenibus appellavit.

77. *Honori præpoſito*] Quem propoſuit Romulus ſuis civibus.

78. *Adeſt*] Poſt Maium menſem. *Junius dictus*] Nam ut Maium à majoribus, ita Junium à Juvenibus appellavit.

79. *Tum*] Poſt Uraniam Calliope regina Muſarum, aliam attulit cauſam nominis : referunque ex Oceano & Tethy natam eſſe Pleïonem : ex ea & Atlante natas eſſe Pleïadas, ex quibus pulchriorem Maiam Jovi placuiſſe : & in Arcadica Mercurium peperiſſe, cujus numen magnum erat apud Arcades. Unde Evander ad nos profectus, ſacra Arcadia attulit. A Mercurio igitur factum, ut hic menſis de nomine matris *Maius* nominaretur. *Hedera*] Hoc eſt, habens caput hedera coronatum.

80. *Prima*] Princeps & regina. *Sui chori*] Cœtus Muſarum. *Cœpit ſic*] Scilicet loqui.

81. *Tethyn Titanida*] Titanis filiam.

82. *Ambit*] Circuit.

83. *Hic*] Ex Oceano & Tethy. *Cum cœlifero Atlante*] Nupſit Atlanti ſuſtinenti cœlum humeris.

87. *Hæc*] Maia. *Enixa eſt*] Peperit. *Jugo Cyllenes*] In Cyllene monte Arcadiæ, unde *Cyllenius* vocatus eſt. *Cupreſſifera*] Quod cupreſſis abundet.

88. *Qui carpit iter æthereum*] Mercurium : cum ferat alaria alata.

89. *Ladon rapax*] Fluvius Arcadiæ. *Et Mænalus ingens*] Mons eſt Mænalus. *Paul. Ladonque*] De hoc flumine nos in 2. *Neap.*

90. *Rite colunt hunc*] Mercurium. *Terra*] Arcadica. *Condita prior*] Nam Arcades ſe ante lunam natos putabant.

91. *In agros Latios*] Venit in Latium. *Paul. Exul ab Arcadia*] Hæc & quæ ſequuntur tetigimus in primo. *Neap.*

92. *Impoſitos deos*] Arcadica numina & ſacra in Latium tulit.

93. *Arbor*] Quo tempore venit Evander.

94. *Et caſa rara*] Pauca admodum tuguriola paſtorum.

Quo poſtquam ventum; Conſiſtite præſcia mater,
Nam locus imperii rus erit iſtud, ait.
Et matri, & vati paret Nonacrius heros,
Inque peregrina conſtitit hoſpes humo.
Sacraque multa quidem, ſed Fauni prima bicornis
Has docuit gentes, alipediſque dei.
Semicaper coleris cinctutis Faune Lupercis,
Cum luſtrant celebres vellera ſecta vias.
At tu materno donaſti nomine menſem
Inventor curvæ, futibus apte, fidis.
Nec pietas hæc prima tua eſt: ſeptena putaris
Pleiadum numerum fila dediſſe lyræ.
Hæc quoque defierat: laudataque voce ſororum.
Quid faciam? turbæ pars habet omnis idem.
Gratia Pieridum nobis æqualiter adſit,
Nullaque laudetur pluſve minuſve mihi.
AB Jove ſurgat opus: prima mihi nocte videnda
Stella

95. *Quo poſtquam ventum eſt*] Ubi illuc Evander appulit. *Mater præſcia*] Carmentis fatidica.

96. *Erit locus imperii*] Fatalis imperii ſedes.

97. *Heros Nonacrius*] Evander à Nonacri Arcadiæ monte. *Paret & matri*] Ut debet filius matri parere. *Et vati*] Et illi quæ futurorum præſcia.

99. *Multa quidem ſacra*] Docuit Latinos ritus, & ceremonias, & multa alia more Arcadico ſacra. Sed prima ſacra Fauni bicornis ipſius Panos.

100. *Et dei alipedis*] Mercurii.

101. *Faune ſemicaper*] Quod cornua & e primos pedes habeat. *Coleris Lupercis ſuccinctis*] Luperci ſuccincti & vias & urbem luſtrant. *Paul. Succinctis Faune Lupercis*] Quia currebant cum ſubligaculis circa pudenda, ut notavimus in 2.

102. *Verbera ſecta*] Lego in multis, *vellera ſecta*. Vellus pro pelle uſurpari quis neſcit. *Neap. Verbera ſecta*] Hoc eſt, ipſa coria ſecta, quibus manus verberantur. *Luſtrant*] Expurgant.

103. *At tu inventor curvæ fidis*] Mercurii lyræ repertor. *Donaſti menſem materno nomine*] Appellaviſti hunc menſem Majum, à Maja matre tua.

104. *Apte furibus*] Quoniam furtis præeſt. Verum aliqui ad eloquentiam, cui præeſt, illud referunt. Nam animos furari hominum videtur.

105. *Nec eſt hæc prima pietas tua*] Non fuit hoc primum tuæ pietatis argumentum. *Putaris dediſſe ſeptena*] Crederis tu lyræ abs te repertæ ſeptem chordas adhibuiſſe.

106. *Numero Pleiadum*] Quæ ſeptem fuere. Aliqui ad ſeptem planetas referunt, aliqui ad vocum diſcrimina.

107. *Deſierat*] Loqui ſcilicet.

108. *Quid faciam*] Quaſi quam opinionem ſequar. *Omnis pars turba habet idem*] Quaſi unaquæque Muſa habet idem in me juris; & cum ſingulæ ſingulis rationibus innitantur, neſcio quam magis affirmem.

109. *Æqualiter*] Pari modo. *Gratia Pieridum*] Muſarum: qui aliam aliis præferre non debeo.

110. *Pluſve minuſve*] Sed pari modo omnes à me laudentur.

111. *Ab Jove ſurgat opus*] Non approbata ulla Muſarum ſententia, ad expoſitionem & ſignorum & ſuſtorum Maii menſis tranſit. Nocte igitur Kalend. Maii Capella oritur. *Surgat opus*] Incipiamus menſem Maium ab Jove de

Stella eſt in cunis officioſa Jovis.
Naſcitur Oleniæ ſignum pluviale Capellæ:
Illa dati cœlum præmia lactis habet.
Nais Amalthea Cretæa nobilis Ida
Dicitur in ſylvis occuluiſſe Jovem.
Huic fuit hœdorum mater formoſa duorum
Inter Dictæos conſpicienda greges:
Cornibus aëreis, atque in ſua terga recurvis:
Ubere, quod nutrix poſſet habere Jovis.
Lac dabat illa deo. ſed fregit in arbore cornu,
Truncaque dimidia parte decoris erat.
Suſtulit hoc Nymphe: cinxitque recentibus herbis,
Et plenum pomis ad Jovis ora tulit.
Ille ubi res cœli tenuit, ſolioque paterno
Sedit, & invicto nil Jove majus erat;
Sidera nutricem, nutricis fertile cornu
Fecit, quod dominæ nunc quoque nomen habet.
Præſtitibus Majæ Laribus videre Kalendæ

A-

deſcribere. *Paul. Prima mihi nocte videnda*] Kalendis Maiis Capella oritur heliace; poſt haſce Ptolemæo: β'. inquit. Ὥρα ιδ' ε' ὁ καλούμενος αἴξ ἑῴος ἀνατέλλει. Columellæ eâdem die quâ noſtro Faſtographo. *Neap.*

112. *Eſt videnda ſtella officioſa in cunis Jovis*] Stella capræ Amalthææ, quæ officio nutricis functa eſt in Jove educando, cum in cunis eſſet.

113. *Naſcitur*] Oritur. *Signum pluviale*] Pluvias inferens in ortu. *Capella Olenia*] Capræ Helices nymphæ, Oleni filiæ: vel ab Oleno oppido in Bœotia.

114. *Habet cœlum*] In cœlo figurata eſt.

115. *Amalthea Nais*] Nympha. verum Naiades fluviorum & fontium nymphæ ſunt; à ναω, quod eſt *fluo*. *Ida Cretæa*] In Cretenſi.

117. *Mater formoſa duorum*] Hæc Amalthea habuit pulchram capellam, quæ duos hœdos pepererat.

118. *Conſpicienda*] Admiranda. *Inter Dictæos greges*] Inter capellas Dictæi montis.

119. *Cornibus aëreis*] Conſpicienda, inquam, propter alta cornua. *In ſua terga recurvis*] Quæ in terga reflectebantur.

120. *Vbere*] Etiam conſpicienda.

121. *Dabat lac deo*] Jovi prima alimenta ſuggerebat. *Sed fregit cornu in arbore*] Dum irruit in arborem cornibus, alterum è duobus fregit.

123. *Nymphe ſuſtulit hoc*] Amalthea elevavit cornu truncatum. *Paul. Cinxitque recentibus herbis*] Variant libri. In uno optimo eſt, *decentibus*: in quis, *virentibus*; in quis, *decoribus*. Neap.

125. *Tenuit res cœli*] Occupavit regnum cœli.

127. *Fecit nutricem ſydera*] Capram in ſydera tranſmutavit. *Cornu nutricis fecit fertile*] Fecit illud cornucopiæ.

128. *Quod*] Cornu. *Habet nomen dominæ*] Nam cornu Amaltheæ dicitur.

126. *Præſtitibus Majæ Laribus*] Kal. Majas eſt feſtum Larium, quod ea die ara fuerit illis conſecrata à Curibus Sabinis. Hi Lares dii domeſtici, qui & privatas domos, & urbes ſervant, & tuentur mœnia: appellatique ſunt *Præſtites*, quod omnia præſtent tuta: & quod pro nobis, & pro mœnibus ſtent. *Kalendæ Majæ videre*] Hoc eſt, homines Calendis Majis viderunt. *Laribus præſtitibus*] Qui Præſtites dicti. P. *Videre Kalendæ*] His iiſdem ara Laribus cognomine Præſtitibus dedicata. *Neap.*

130. *Con-*

Aram conſtitui, parvaque ſigna deûm.
Voverat illa quidem Curius: ſed longa vetuſtas
Deſtruit, & ſaxo multa ſenecta nocet.
Cauſſa tamen poſiti fuerat cognominis illis,
Quod præſtant oculis omnia tuta ſuis.
Stant quoque pro nobis, & præſunt mœnibus urbis,
Et ſunt præſentes, auxiliumque ferunt.
At canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat. Quæ ſtandi cum Lare cauſſa fuit?
Servat uterque domum domino quoque fidus uterque.
Compita grata deo: compita grata cani:
Exagitant & Lar, & turba Diania fures:

Per-

130. *Conſtitui*] Erigi & conſecrari. *Et parva ſigna deûm*] Parva ipſorum Larium ſimulacra.

131. *Illa quidem ara erat Curibus*] Et à Curibus Sabinis erecta, & in qua Cures ſacrificabant. Alii leg. *Struxerat illa quidem Curius.*

132. *Nocet ſaxo*] Quod vetuſtate eſt exeſum & collapſum.

133. *Tamen cauſſa cognominis poſiti illis*] Cauſſa quod appellantur dii Præſtites. *Fuerat*] Cum præſint cuſtodiæ tuentur omnia oculis vigilantibus. P. *Quod præſtant oculis*] Hoc primum notes, Lares etiam antiquis creditos, quos nunc vocamus genios tutelares. Nunc ad etymon deveniam. Plutarchus: *An Præſtites ſunt qui præſunt.* Hæc etiam de cauſſâ JOVEM PRÆSTITTEM reperio legi.

135. *Stat quoque pro nobis*] Hi ſpeciales Capellæ genii cuique ad cuſtodiam præfecti: Græci dixere, ἐπόπτας τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων. *Et præſunt mœnibus urbis*] Hos vocarunt *Generales*, qui regna, urbes, populos curant. *Neap. Stant*] Pro ſalute noſtra. *Et præſunt*] Cuſtodiæ mœnium noſtrorum.

136. *Sunt præſentes*] Quia à nobis non recedunt.

137. *At canis ante pedes*] Additur canis Laribus: Cur Laribus, quos proprie præſides vocant, canis aſſiſtit? ipſi autem canum pellibus veſtiuntur? An quod præſides ſunt, qui præſunt? Hos autem domus cuſtodes eſſe oportet, & alienis formidoloſos, ſicut canes videmus? Sic Lares furiales quidam ſunt & pœnarum & exactores vitæ, & operationum ſpeculatores. Iccirco enim fit, ut caninis pellibus induantur: quibus & canis ideo aſſidet, quod ad inveſtiganda ſcelera & ulciſcendos improbos, ſagaces ſint. P. *Et canis ante pedes*] Imo ipſi caninis quoque pellibus amicti. Vide Plutarchum. *Servat uterque domum*] Gloſſæ: *Lares* θεοὶ κατοικίδιοι. Domi vero nulla fuit illis certa ſedes: nam eos in foco poſitos reperio, in cubiculo, & in compluvio, & in porticu huic annexa. *Domino quoque fidus uterque*] Canum φιλοδεσποτείαν indies experimur, & non cuſtodiam? cuſtodes ipſos, ut mireris, κύνας veteres dixere. *Neap. Servat uterque domum*] Hæc eſt ratio, quod Lar & canis cuſtodit domum.

140. *Compita*] Ubi plures viæ competunt. *Sunt grata deo*] Lari, id eſt, quoniam in compitis coluntur; inde & *Compitales* dicti. *Compita grata cani*] Quoniam & ea ſervat. P. *Compita grata Deo*] Compita αἱ συντρίχιαι. Gloſſæ. *Competit*, συντρίχει. Perſii vetus interpres ad illud Sat. V. *Pertuſa compita, ſunt loca in quadriviis quaſi turres*, ubi ſacrificia pro finitâ agriculturâ ruſtici celebrant. *Merito pertuſa, quia per omnes quatuor partes pateant: patentes, vel compita dicuntur, ad qua plura itinera competunt.* Hinc Lares Compitales, & Compitalia feſta, quæ Laribus in Compitis fiebant. Varro lib. 5. de L. L. *Neap.*

141. *Et turba Diania*] Canes Dianæ dicati. *Exagitant*] Vexant & repellunt fures.

143. *De-*

Pervigilantque Lares; pervigilantque canes.
Bina gemellorum quærebam ſigna deorum
Viribus annoſæ facta caduca moræ:
Mille Lares geniumque ducis, qui tradidit illos,
Urbs habet, & vici numina trina colunt.
Quo feror? Auguſtus menſis mihi carminis hujus
Jus dabit: interea diva canenda Bona eſt.
Eſt moles nativa, loco res nomina fecit,
Appellant ſaxum: pars bona montis ea eſt.
Huic Remus inſtiterat fruſtra, quo tempore fratri
Prima Palatinæ ſigna dediſtis aves.
Templa patres illic oculos exoſa viriles
Leniter

143. *Deorum gemellorum*] Larium, qui gemini ſunt.

144. *Viribus annoſa mora*] Hoc eſt, longitudine temporis, id eſt, ipſa vetuſtate.

145. *Habet mille Lares*] Mille Larium ſimulacra. *Et genium ducis*] Mercurii. *Qui tradidit illos*] Qui genuit Lares, cum Laram nympham juſſu Jovis ad inferos ducens, eam gravem reddidit. *Genium* enim appellabant deum qui vim obtineret rerum omnium gerendarum. Alii *genium* eſſe putarunt uniuſcujuſque loci deum. P. *Qui tradidit illos*] Ne mireris venalem hanc κολακείαν in exule ad ſuum Principem. Moneo, ut eruat ex his aliquis, ab Auguſto primo Larum cultum Romæ traditum. Quid ille novi addiderit, vide apud Sueton. l. 2. c. 31.

146. *Urbs habet*] In quovis enim compito, in quovis lararío domeſtico duo aderant, & cum his Auguſti Genius, qui inter eos apud veteres cultus. hoc à noſtro multis in locis adnotatum. *Neap. Urbs*] Roma. *Et vici colunt tria numina*] In urbibus & compitis vicorum colebantur duo Lares, & ipſe genius.

147. *Quo feror*] Quaſi quo progredior. *Auguſtus menſis habet mihi*] Quaſi, non eſt agendum nunc de compitalibus; nam ea celebrantur in menſe Auguſto.

148. *Interea diva canenda Bona eſt*] Agendum eſt de dea Bona, cujus feſtum Calendas Majas celebratur. Hanc etiam Faunam, Opem, & Fatuam pontificum libris indigitari: *Bonam*, quod omnium nobis ad victum bonorum cauſa eſt. *Faunam*, quod omni uſui animantium favet: *Opem*: quod ipſius auxilio vita conſtet: *Fatuam*, à fando. Infantes partu editi, non prius vocem edunt, quam terram attigerint. P. *Diva canenda Bona eſt*] Iiſdem Kalendis Majis ſacra erant Bonæ Deæ, ut auctor etiam vetus ſcriptor Cincius primo Saturnalium. Hanc Græci Γυναικείαν dixere: Latinis eſt ſane Dea polynominis. Victima in ejuſdem ſacrificio ſus erat prægnans: illud vero *Damium* appellatum. Vide cauſſam in Feſto. *Neap.*

149. *Eſt moles nativa. loco res nomina*] Poëta templum Bonæ deæ in Aventino deſcribit, quod Claudia virgo conſecravit: poſtea vetuſtate collapſum, Livia Auguſta reſtituit. *Moles nativa*] Rupes à natura, non manuum artificio fabricata. *Res nomina fecit*] Quia ſaxum ingens eſt: ſed in ea parte erat, quæ Tibri imminet.

151. *Hic*] In hoc ſaxo. *Remus fruſtra inſtiterat*] Cum captavit augurium pro condenda urbe: ſed *fruſtra*, quia victus eſt augurio Romuli.

152. *Aves Palatinæ*] Vos vultures, quos Romulus ex Palatio obſervavit. *Dediſtis prima regna fratri*] Romulo, qui victor augurio regnum adeptus eſt.

153. *Illic*] In eo ſaxo. *Conſtituêre templa*] Bonæ deæ, ſcilicet. *Exſa oculos veriles*] Quaſi, quæ ingredi viros non liceret. P. *Oculos exoſa viriles*] Adeundus Tullius de Aruſpicum reſponſis.

154. *Leniter*

Leniter acclivi conſtituêre jugo.
Dedicat hæc veteris Clauſorum nominis hæres
Virgineo nullum corpore paſſa virum.
Livia reſtituit: ne non imitata maritum
Eſſet, ut eſt omni parte ſecuta virum.
Poſtera cum roſeam pulſis Hyperionis aſtris
In matutinis lampada tollit equis;
Frigidus Argeſtes ſummas mulcebit ariſtas,
Candidaque à Calabris vela dabuntur aquis.
At ſimul inducunt obſcura crepuſcula noctem;
Pars Hyadum toto de grege nulla latet.
Ora micant Tauri ſeptem radiantia flammis,
Navita quas Hyadas Grajus ab imbre vocat.
Pars Bacchum nutriſſe putant: pars credidit eſſe
Tethyos

154. *Leniter acclivi jugo*] Vide ut explicat ædem Bonæ Deæ ſubſaxanæ, de quâ cum antiquis Publius Victor regione XII. *Neap. Jugo leniter acclivi*] Hoc eſt, facili aſcenſu clivi.

155. *Hæres veteris nominis Clauſorum*] Claudia ex antiquo Clauſorum genere. P. *Craſſorum*] Malo ex priſcis libris, *Clauſorum nominis hæres.* Hæc Appia illa Claudia probatæ pudicitiæ fœmina. N.

156. *Paſſa corpore virgineo nullum virum*] Fuit enim virgo Veſtalis, & ſpectatæ pudicitiæ teſtimonio quoque matris deûm.

157. *Livia*] Conjux Auguſti. *Reſtituit*] Templum illud cum eſſet vetuſtate collapſum. P. *Livia reſtituit*] Octaviani Auguſti conjux. *Neap.*

158. *Et ex omni parte ſecuta virum*] Ut omni ex parte imitaretur virum, qui & antiqua templa reſtituebat, & nova conſtituebat.

159. *Poſtea cum roſeam*] Sexto Nonas Majas oriuntur, heliace tamen, Hyades, numero ſeptem: quas aiunt nymphas Dodonidas appellatas. Harum nomina ſunt, Ambroſia, Eudora, Fedyle, Coronis, Polyſſo, Phyleto, Thyanæ, Cicero appellatas dicit ab ὕειν, quod eſt *pluere*. à Latinis hæ ſtellæ, *ſuculæ* dictæ. *Cum poſtera Hyperionis*] Sequens aurora ab Hyperione, qui creditus eſt Solis, ac Lunæ & auroræ pater. *Roſeam lampada*] Lucem rubicundam. *Pulſis aſtris*] Quæ obſcurantur adventu majoris luminis.

160. *In equis matutinis*] Matutino tempore ſurgentibus.

161. *Summas ariſtas*] Quæ jam à culmis emerſere. P. *Frigidus Argeſtes*] Hunc ventum ſcribit Plinius lib. 33. flare ab occaſu ſolſtitiali, ſed occidentali latere Septemtrionis, ideo frigidus. Idem ergo Olympias, Argeſtes, Japyx, & Chorus, imo & Chaurus.

163. *At ſimul inducunt*] Hic noſter, ſui oblitus, poſuit ſtatim poſt ſolis occaſum Hyadum ortum: ſcribere debuiſſet, matutinum. *Neap. Crepuſcula noctturna*] Tempus illud poſt occaſum ſolis. *Simul*] Poſtquam. *Inducent noctem*] Cum erit nox ſexti diei nonarum.

164. *Nulla pars Hyadum*] Nulla ſtella ex Hyadibus. *De toto grege*] De toto numero. *Latet*] Quia omnes ea nocte ſimul apparent.

165. *Ora tauri micant*] Splendent. *Radiantia ſeptem flammis*] Septem flammeis ſtellis, quæ ſunt in fronte Tauri.

166. *Navita Græcus vocat Hyadas*] A pluvia; hoc eſt, ab ὕειν, quod eſt *pluere*. P. *Hyadas Græcus ab imbre vocat*] Noſtri *Suculas*, Græci à pluvia appellant. Tyro Libertus apud Noctes Atticas lib. 13. cap. 9. in quo A. Gellius ἀναχρονισμὸν ſe vel puero oſtendit.

167. *Pars Bacchum nutriſſe putat*] Ex Pho-

Tethyos has neptes, Oceanique ſenis.
Nondum ſtabat Atlas humeros oneratus Olympo;
Cum ſatus eſt forma conſpiciendus Hyas.
Hunc ſtirps Oceani maturis niſibus Æthra
Edidit, & Nymphas: ſed prior ortus Hyas.
Dum nova lanugo pavidos formidine cervos
Terret, & eſt illi præda benigna lepus.
At poſtquam virtus annis adolevit; in apros
Audet & hirſutas cominus ire leas.
Dumque petit latebras fœtæ catuloſque leænæ;
Ipſe fuit Lybicæ præda cruenta feræ.
Mater Hyan, & Hyan mœſtæ flevêre forores,
Cervicemque polo ſuppoſiturus Atlas.
Victus uterque parens tamen eſt pietate ſororum.
Illa dedit cœlum: nomina fecit Hyas.
Mater ades florum, ludis celebranda jocoſis:

Diſtu-

Pherecyde & aliis vide quod reſtat mythici apud Hyginum Fabularum c. 192. Illum noſtri Ovidii intimum. *Neap. Neptes Tethyos*] Filias Æthræ nymphæ, filiæ Oceani & Tethyos.

169. *Nondum Atlas ſtabat*] Nondum Atlas converſus erat in montem ſui nominis, ut ſuſtineret humeris cœlum.

170. *Cum eſt ſatus*] Natus ex Atlante & Æthra. *Hyas conſpiciendus*] Hyas formoſus.

171. *Æthra ſtirps Oceani*] Filia Oceani. *Hunc*] Hyam. *Maturis menſibus*] Maturo partu in decimo menſe. Heinſ. leg. *Niſibus*, alii, *nixibus*. *Et Nymphas*] Peperit etiam Hyadas ſorores. *Sed prior ortus Hyas*] Natus eſt Hyas, antequam naſcerentur ſorores.

173. *Dum nova lanugo*] Dum eſt ille adoleſcens primæ lanuginis.

175. *At poſtquam virtus adolevit annis*] Id eſt, cum jam juvenis eſſet robuſtior.

176. *Et feras hirſutas*] Villoſas, ut ſunt leones.

177. *Dumque petit latebras*] Dum petit cubilia ferarum, & leænarum catulos rapere tentat.

178. *Fuit præda*] A leæna Lybica laceratus eſt. P. *Præda cruenta leæ*] Gloſſæ, *lea*, λέαινα. Neap.

179. *Mater*] Æthra.

180. *Et Atlas*] Pater mortem filii flevit. *Suppoſiturus cervicem cœlo*] Qui futurus erat mons, & cœlum ſuſtentaturus.

182. *Illa*] Pietas. *Dedit cœlum*] Nam propter pietatem in cœlum relatæ ſunt. *Hyas*] Ab Hya fratre *Hyades* dictæ ſunt.

183. *Mater ades florum*] Eadem die celebratur feſtum Floræ, quod ex Aprili in Majum tranſlatum eſt. Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, populum Roman. ſcripſit hæredem certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellant *Floralia*. Quod quia ſenatui flagitioſum videbatur, ab ipſo nomine argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur. Deam finxerunt eſſe, quæ floribus præſit: eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene proſpereque floreſcerent. Eum colorem ſequutus in Faſtis poëta, non ignobilem nympham narravit, quæ ſit Chloris vocitata: eamque Zephyro nuptam, quaſi dotis loco id accepiſſe muneris à marito, ut haberet omnium florum poteſtatem. *Ades mater florum*] Adſis, & faveas tu Flora. *Celebrata ludis jocoſis*] Quaſi cujus feſtum cum omni ludorum laſcivia celebratur. P. *Mater ades florum*] Eodem

Diſtuleram partes menſe priore tuas.
Incipis Aprili : tranſis in tempora Maii,
Alter te fugiens, cum venit alter, habet.
Cum tua ſint ; cedantque tibi confinia menſum ;
Convenit in laudes ille vel iſte tuas.
Circus in hunc exit, clamataque palma theatris :
Hoc quoque cum circi munere carmen eat.
Ipſa doce quæ ſis, hominum ſententia fallax.
Optima tu proprii nominis autor eris.
Sic ego, ſic noſtris reſpondit diva rogatis :
Dum loquitur, vernas efflat ab ore roſas.
Chloris eram, quæ Flora vocor, corrupta Latino
Nominis eſt noſtri littera Græca ſono.

Chlo-

tempore Florales ludos Romani iterabant. Relege quæ diximus ſub finem menſis Aprilis ad illa, *Exit & in Maias feſtum florale Kalendas :* & quæ ſcripſimus ſuperiori notulâ. *Neap.*

184. *Diſtuleram menſe priore partes tuas*] Diſtuli in hunc menſem de te ſcribere, cum feſtum tuum eſſet in Aprili.

185. *Tranſis in tempora Maii*] Quod menſe Maio celebrentur ludi.

186. *Habet te fugiens*] Cum fugit : hoc eſt, ultimo die. *Alter cum venit*] Maius te habet in principio.

187. *Menſum*] Pro menſium. *Sint tua*] Finis Aprilis, & principium Maii, illa ſunt horum duorum menſium confinia. *Et cedant tibi*] Quia in his coleris.

188. *Ille vel iſte, &c.*] Et Aprilis & Maius convenit tuæ celebritati.

189. *Circus exit in hunc*] Ludi qui in circo, ſeu theatro fiunt, transferuntur in hunc menſem. *Verba clamata theatris*] Verba jocoſa, quæ in theatro cum clamore proferuntur. P. *Circus in hunc exit*] Sed huic impudiculæ proprius. Plures Romæ Circi ; notum : ſed unus Floræ dictus in regione VI. Hic igitur ludi per id tempus editi, quis addubitet? erant vero venatorii, & manſuetorum animalium. Horum congreſſio voluptatis fuit, & incruenta. Sæpe tibi occurret in Valerii Martialis Epigrammat. Alios etiam ludos iiſdem feſtis datos reperio. *Clamataque verba theatris*] Ex his collige, & in circo luſum, & ſcenis laſciviente. Ad hanc pertinet theatrum, in quo vulgi licentia, & à piiſſimis toties deteſtata impudicitia. Arnobius lib. 7. *Exiſtimatur tractari ſe honorifice Flora, ſi ſuis in ludis flagitioſas conſpexerit res agi, & migratum à lupanaribus in theatra.* Πορνεῖον locum diceres, in quo editi ludi Scenici: nec fallor. *Neap.*

190. *Hoc quoque carmen*] Noſtrum. *Eat cum munere circi*] Cum ludis theatralibus.

191. *Ipſa doce quæ ſis*] Dicas tu de te ipſa, quæ dea ſis. *Hominum ſententia fallax*] Solent enim homines non vera dicere.

192. *Tu eris optima autor*] Quaſi tu optime cauſam tui nominis docere poteris.

193. *Reſpondit rogatis meis*] Reſponſum dedit meæ rogationi.

194. *Dum loquitur*] Ipſa dea Flora. *Afflat*] Spirat ab ore. *Roſas vernas*] Odorem roſarum verni temporis.

195. *Chloris eram, &c.*] Nunc Flora Chlorim ſe vocatum dicit, fuiſſeque fœlicis horti nympham : quæ cum eſſet admirandæ pulchritudinis, à Zephyro amatam, & ab eo datum, ut floribus præeſſet.

196. *Littera Græca*] Prima litera mei nominis. *Eſt corrupta Latino ſono*] Latina appellatione. Nam pro Chlori Floram dixerunt. P. *Littera Græca ſono*] X. Mutatum in F. à Χλωρὶς factum *Flora*, ut à χλόη *flos* ; utraque tamen vox recepta Latinis. *Neap.*

197. *Nym-*

Chloris eram Nymphe campi fœlicis, ubi audis
Rem fortunatis ante fuiſſe viris.
Quæ fuerit mihi forma, grave eſt narrare modeſtæ:
Sed generum matri repperit illa deum.
Ver erat: errabam. Zephyrus conſpexit: abibam.
Inſequitur: fugio. fortior ille fuit.
Et dederat fratri Boreas jus omne rapinæ,
Auſus Erichthea præmia ferre domo.
Vim tamen emendat dando mihi nomina nuptæ:
Inque meo non eſt ulla querela toro.
Vere fruor ſemper: ſemper nitidiſſimus annus.
Arbor habet frondes, pabula ſemper humus.
Eſt mihi fœcundus dotalibus hortus in agris.
Aura fovet: liquidæ fonte rigatur aquæ.
Hunc meus implevit generoſo flore maritus:
Atque ait, Arbitrium tu dea floris habe.
Sæpe ego digeſtos volui numerare colores:
Nec potui. numero copia major erat.
Roſcida cum primum foliis excuſſa pruina eſt,

Et

197. *Nymphe campi fœlicis*] Fœlicium hortorum nympha. *Ubi*] In quibus hortis.

198. *Fuiſſe ante rem*] Familiarem ſcilicet, hoc eſt, divitias. *Viris fortunatis*] His qui in aureo ſeculo fuiſſent: qui his veſcebantur, quæ tellus ſua ſponte procreaſſet. Aut viris *fortunatis*, ipſis regibus.

199. *Grave eſt narrare modeſte*] Servata modeſtiæ ratione. Et in proverbio eſt, *Laus in proprio ore ſordeſcit*. P. *Narrare modeſtia*] Hoc eſt, mihi non faſtoſæ.

200. *Repperit illa Deum*] Nupſit enim Zephyro. Vide Turnebum lib. 1. Adverſariorum cap. 7. *Neap. Repperit deum generum matri*] Nam ea captus Zephyrus, me in conjugem accepit. ſic deus repertus eſt, qui gener matris eſſet.

201. *Errabam*] Per ipſos hortos. *Zephyrus*] Ventus ipſe, qui ab occidente flat.

203. *Omne jus rapinæ*] Conceſſit illi omnem mei rapiendi poteſtatem. Boreas enim ex ſeptemtrione flat.

204. *Auſus*] Boreas. *Ferre præmia domo*] Rapere ex Athenis Orythiam regis Erichthei filiam.

205. *Emendat tamen*] Ipſe Zephyrus. *Vim*] Violentiam mihi illatam. *Dando nomina nuptæ*] Nam licet rapuerit, in uxorem tamen habuit.

207. *Vere fruor ſemper*] Quia ver æternum eſt, ubi ego ſum. *Semper nitidiſſimus annus*] Quia ſemper vernum eſt mihi tempus.

209. *Eſt mihi fœcundus hortus*] Habeo ego fœlicem hortum. *In agris dotalibus*] In dotem mihi traditis.

210. *Aura fovet*] Quaſi ſemper illic levis zephyri flatus ſpirat, ut foveat naſcentia in eo. *Rigatur ipſe*] Hortus.

211. *Meus maritus*] Zephyrus. *Hunc*] Hortum. *Generoſo flore*] Nobilibus & pulcherrimis floribus.

212. *Dea*] Flora nympha. *Habe arbitrium*] Habeas jus in omnes flores.

215. *Roſcida cum, &c.*] Ex eo horto, cum ſol rorem deſiccaverit, Horæ & Charites flores colligunt, & diis ſerta contexunt. *Pruina roſcida*] Ipſe ros. *Excuſſa eſt à foliis*] A vento deſiccatur vel ſole. *Varia coma*] Varii flores. *Intepuere radiis*] Solis rorem deſiccantis.

Et variæ radiis intepuêre comæ ;
Conveniunt pictis incinctæ veſtibus Horæ.
Inque leves calathos munera noſtra legunt.
Protinus accedunt Charites, nectuntque coronas,
Sertaque cœleſtes implicitura comas.
Prima per immenſas ſparſi nova ſemina gentes.
Unius tellus ante coloris erat.
Prima Therapnæo feci de ſanguine florem :
Et manet in folio ſcripta querela ſuo.
Tu quoque nomen habes cultos Narciſſe per hortos :
Infelix, quod non alter, & alter eras !
Quid Crocon, aut Acin referam, Cinyraque creatum,
De quorum per me vulnere ſurgit honor ?
Mars quoque, ſi neſcis, per noſtras editus artes.

Ju-

217. *Conveniunt horæ*] Quæ cœli portas ſervare dicuntur. *Veſtibus pictis*] Varii coloris. *Legunt noſtra munera*] Colligunt noſtros flores.

218. *In leves calathos*] Quales ex tenuiſſimo vimine.

219. *Accedunt Charites*] Quæ Latine *Gratiæ* dicuntur. Sunt autem tres : ἀγλαΐα, εὐφροσύνη, θαλεία. Jovis & Eunomiæ filiæ dicuntur.

220. *Implicitura cœleſtes comas*] Quibus dii caput implicant.

221. *Prima ego ſparſi nova ſemina*] Novos flores.

222. *Unius coloris*] Nulla erat varietas.

223. *De ſanguine Theramnæo*] Prima converti Hyacinthi pueri ſanguinem in purpureas violas. *Theramnæo*] A Theramne vico Laconiæ. *Paul. Prima Therapnæo*] Θεράπναι oppidum Laconiæ.

224. *Scripta querela ſuo*] Αἰ αἰ lugentibus aptæ ſyllabæ in foliis inſcriptæ, ob interitum amaſii Apollonis : ſive ſint illæ τοῦ Αἴαντος, ſi verum ex Ajacis ſanguine editum, ut ſcribit Columella. Inde de hoc flore duplex fabula Plinio lib. 21. cap. 11. *Neap. Querela*] Apollinis de morte pueri, quem amavit, & imprudenter occidit. *Manet ſcripta in folio ſuo*] Signatæ enim literæ tenuiſſimis venulis diſcernuntur.

225. *Tu quoque, ô Narciſſe*] Et in hortis tu celebraris : quia nomen tuum flos retinet, in quem converſus es.

226. *Quod non alter & alter*] Quod non erati.l o, quod non erat alter à tertio quem amabas, ſed idem eras ! nam imagine tua captus interiiſti.

227. *Quod referam Crocon*] Juvenem Crocum in florem quoque converſum. *Aut Acin*] Puerum à nymphis amatum, & in flores ſui nominis converſum. *Cinyraque creatum*] Adonin Cinyræ regis ex Myrrha filia natum, quem Venus amavit, de quo in 10. Met. & ab apro interemptum in florem demutavit.

228. *Per me*] Quaſi mea opera. *Surgit honos*] Surgunt ipſi flores, quibus habetur honos in coronamentis. *Paul.*

229. *Mars quoque, ſi neſcis, &c.*] Martem alii Jovis & Junonis filium dicunt. Alii Junonis tantum, quam ferunt tacto flore concepiſſe, & deinde peperiſſe Martem *Gradivum*, dictum quod è gramine ortus ſit. Quod ideo fingitur, quia corona graminea in re militari multæ eſt honorationis. *Ant. Si neſcis*] Tu ô poëta. *Per noſtras artes*] Ex noſtris floribus. P. *Per noſtras editus artes*] Flora fuit, quæ mœſtæ Junoni, ob natam Minervam ex mariti vertice ſine ope conjugis, florem oſtendit in Achaia ; quo tacto, Juno ſine viro fœcunda Martem peperit. Id tetigit Feſtus in Gradivi etymo. *Neap.*

230. *Neſ-*

Juppiter hoc ut adhuc neſciat, uſque precor.
Sancta Jovem Juno, nata ſine matre Minerva,
Officio doluit non eguiſſe ſuo.
Ibat ut Oceano quereretur facta mariti:
Reſtitit ad noſtras feſſa labore fores.
Quam ſimul adſpexi; Quid te Saturnia, dixi,
Attulit? exponit quem petat illa locum.
Addidit & cauſſam. verbis ſolabar amicis:
Non, inquit, verbis cura levanda mea eſt.
Si pater eſt factus neglecto conjugis uſu
Juppiter, & ſolus nomen utrumque tenet;
Cur ego deſperem fieri ſine conjuge mater,
Et parere intacto, dummodo caſta, viro?
Omnia tentabo latis medicamina terris,
Et freta, Tartareos excutiamque ſinus.
Vox erat in curſu: vultum dubitantis habebam.
Neſcio quid Nymphe poſſe videris, ait.
Ter volui promittere opem, ter lingua retenta eſt:
Ira Jovis magni cauſſa timoris erat.
Fer precor auxilium dixit: celabitur autor,
Et Stygiæ numen teſtificatur aquæ.
Quod petis Oleniis, inquam, mihi miſſus ab arvis

Flos

230. *Neſciat*] Precor ut ſemper ſit Jovi occultum.

231. *Sine matre*] Ex vertice Jovis armatâ proſiliens.

232. *Non eguiſſe*] Non fuiſſe illi opus ſuo concubitu.

233. *Ibat*] Juno. *Oceano*] Deorum parenti.

236. *Quid te attulit*] Quæ cauſa te huc ad nos advexit.

237. *Addidit & cauſam*] Se ſcil. ire ad Oceanum, ut de hoc Jove quereretur.

239. *Eſt factus pater*] Si, ex Jove nata eſt Minerva, ſine congreſſu uxoris.

240. *Nomen utrumque*] Et patris & matris.

242. *Intacto viro*] Sine ullo concubitu. *Dummodo caſta*] Servata lege pudicitiæ.

243. *Tentabo omnia medicamina*] Experiar quicquid medicamenti eſt in terris.

244. *Tartareos ſinus*] Paludes infernas. *Paul. Tartareos excutiamque ſinus*] Loquendi modus creber ethicis, cum omnem lapidem moturos aiebant.

245. *Vox erat in curſu*] Adhuc Juno loquebatur; cum neſcio quid volentis aliqua proferre notavit in Floræ vultu: ac ne tum quidem hæc verbum adjecit. *Neap. Vox erat in curſu*] Quaſi proſequebatur illa ſermonem. *Habebam vultum dubitantis*] Vultu ego indicabam dubitare an illi reſponderem, cum opem præſtare poſſem: an reticerem metu Jovis.

246. *Ait, ô nymphe, neſcio quid*] Neſcio quid vultu indicas te poſſe præſtare.

247. *Promittere ope*] Dare medicamentum, quo parere poſſet. *Ter lingua retenta eſt*] Continui linguam.

249. *Celabitur autor*] Quaſi nunquam reſciri poterit, te mihi opem dediſſe.

250. *Teſtificabor numen*] Juro ego per Stygiam paludem, hoc ſemper fore occultum Jovi.

251. *Flos mihi miſſus*] Dabit quod petis, flos advectus ab agris Oleni urbis.

253. *Qui*

Flos dabit, & hortus unicus ille meis.
Qui dabat, Hoc dixit, ſterilem quoque tange juvencam:
Mater erit. tetigi: nec mora, mater erat.
Protinus hærentem decerpſi pollice florem.
Tangitur: & tacto concipit illa ſinu.
Jamque gravis Thracen, & læva Propontidos intrat:
Fitque potens voti: Marſque creatus erat.
Qui memor accepti per me natalis, Habeto
Tu quoque Romulea, dixit, in urbe locum.
Forſitan in teneris tantum mea regna coronis
Eſſe putes, tangit numen & arva meum.
Si bene floruerint ſegetes; erit area dives.
Si bene floruerit vinea; Bacchus erit.
Si bene floruerint oleæ; nitidiſſimus annus:
Pomaque proventum temporis hujus habent.
Flore ſemel læſo pereunt viciæque fabæque:
Et pereunt lentes, advena Nile, tuæ:
Vina quoque in magnis operoſe condita cellis
Florent: & nebulæ dolia ſumma tegunt.
Mella meum munus: volucres ego mella daturas

Ad

253. *Qui dedit hunc*] Zephyrus. *Continge ſterilem juvencam*] Tanta eſt in hoc flore vis, ut ſi ſterilem juvencam tanges, ſubito erit gravida, & pariet.

256. *Tangitur*] Juno eo flore. *Illa concipit ſinu*] Concepit in utero, quem eo flore tetigerat.

257. *Iſat Thracen*] In Thraciam. *Læva Propontidos*] Ad ſiniſtram Propontidis, quod mare illud eſt inter Helleſpontum & pontum Euxinum.

258. *Fitque potens*] Peperit ſine uſu viri. *Mars erat creatus*] Natus in Thracia; ideo & Thraciæ præſidet. *Paul. Fitque potens voti*] Idem eſt ac voti compos.

259. *Habeto dixit in urbe locum*] Ac ſi Martis operâ Floralia inſtituta. Res ridicula. *Neap.*

260. *Tu quoque locum*] Quaſi celebreris tu quoque Romæ, & templum tibi conſecretur.

261. *Forſitan in teneris, &c.*] Non modo eſt mihi data poteſtas in flores, unde ſerta & coronæ fiant: ſed in arbores quoque & in ſegetes: quæ ſi bene floruerint, fertilitatem pollicentur. A floribus enim prognoſtica ipſa captantur. *In teneris coronis*] Ex tenellis floribus connexis.

262. *Mea regna*] Me habere jus. *Numen meum tangit*] Nam & in arvis quoque habeo poteſtatem.

263. *Erit area dives*] Nam magna erit tritura, & magna frugum copia.

264. *Erit Bacchus*] Erit vini etiam copia ingens.

265. *Annus nitidiſſimus*] Erit magna quoque olei copia: *Nitidiſſimus* dixit, reſpectu eorum quæ oleo perunguntur: nam peruncta nitent.

266. *Habent eventum*] Quod ſi bene floruerint, fertilitatem pollicentur.

267. *Pereunt viciæque fabæque*] Fruges & legumina tam utilia, quam noxia pereunt.

268. *Nile advena*] Qui aliunde advenis in Ægyptum. *Tuæ lentes*] Lentes Ægyptiæ. *Paul. Lentes, advena Nile*] Quas Poëta *Pelenſiacas* vocat in Georgicis.

269. *Condita cellis*] Ἐν τοῖς οἰνῶσι. *Neap. Mella meum munus*] Quia è floribus, qui ſunt mei juris, decerpuntur. *Voco volucres*] Apes, quæ mella in alvearibus componunt. *Voco ad violam*] Speciem

Ad violam, & cythiſos, & thyma cana voco.
Nos quoque idem facimus: tunc cum juvenilibus annis
Luxuriant animi, corporaque ipſa vigent.
Talia dicentem tacitus mirabar. at illa
Jus tibi diſcendi eſt, ſi qua requiris, ait.
Dic, dea ludorum, reſpondi, quæ ſit origo.
Vix bene deſieram; rettulit illa mihi.
Cætera luxuriæ nondum inſtrumenta vigebant:
Aut pecus, aut latam dives habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipſa pecunia dicta eſt.
Sed jam de verito quiſque parabat opes.
Venerat in morem populi depaſcere ſaltus:
Idque diu licuit, pœnaque nulla fuit.
Vindice ſervabant nullo ſua publica vulgus,
Jamque in privato paſcere inertis erat.
Plebis ad ædiles perducta licentia talis

Publi-

ciem pro genere poſuit; nam ad flores.

272. *Et cythiſos*] Fruticem eſſe cytiſum inquit Plinius, ſummis laudibus prædicatum, pabulo ovium.

273. *Nos quoque idem facimus*] Nos etiam ad flores vocamur ætate juvenili.

274. *Luxuriant*] Laſciviunt. *Corpora*] Ob fervorem ſanguinis in juventa.

275. *Talia dicentem tacitus mirabar*] Ego intentus verbis illius, ſilens, cum admiratione deam intuebar.

277. *Quæ ſit*] Unde Florales ludi originem habuerint. P. *Ludorum quæ ſit*] Scribit, Ædiles Plebis, qui dicti L. Publicius Malleolus, & M. Lucius Malleolus cum plurimos locupletes agros Populi Romani occupaſſe animadvertiſſent, ad populum reos adduxiſſe; ex quo factum ut peculatus damnarentur. Multatitia illa pecunia ad clivum ſternendum & Florales ludos, quos numquam Roma viderat, deputata. *Neap.*

279. *Cætera luxuria, &c.*] Inquit Flora, habuiſſe ludos originem à pœna pecuniaria exacta ab illis, qui publicis paſcuis non pepercerant: & ſic ex parte mulctæ exhibiti ſunt Florales ludi. *Inſtrumenta luxuriæ*] Quia nondum erat copia auri & argenti, quæ ad luxuriam pertinent.

280. *Aut habebat pecus*] Non poſſidebat aurum, aut argentum, ſed pecudes, & latos agros.

281. *Hinc etiam locuples*] A lata humo, hoc eſt, à locis, dictus eſt locuples. *Hinc pecunia*] Et Plin. Pecunia ipſa à pecore appellabatur.

282. *Parabat opes de vetito*] De eo quod ſuum non erat, divitias ſibi parabat.

283. *Depaſcere ſaltus populi*] Nemora, montes, & paſcua, quæ populi erant, & non privata. *Paul. Populi depaſcere ſaltus*] Ex quibus tantum olim ille vectigal emungebat, quia novi vectigalis nomen ſemper odio fuit. *Saltus* vero vocabant, ubi erant paſtiones, auctore Feſto Pompeio. Unde *ſaltuarii paſtores* Juriſconſulto in L. 8. D. De fundo inſtruct. & inſtr. legat. Scias etiam, eundem eſſe, populi ſaltum, & ſcripturarium agrum. *Neap.*

284. *Nulla pœna fuit*] Qui à nemine mulctabantur.

285. *Nullo vindice*] Nullo qui tunc rem populi vindicaret.

286. *Et jam inertis erat*] Quaſi pertinere ad ſegnem & inertem videbatur. *Paſcere in privato*] In loco proprio, & non publico.

287. *Talis licentia plebis*] Hæc licentia, qua abutebantur plebeii homines in depaſcendis ſaltibus publicis. *Perducta*] Relata eſt. *Ad ædiles publicios*] Qui publica procurabant.

288. *Animus*

Publicios : animus defuit ante viris.
Rem populus recipit : multam ſubiêre nocentes :
Vindicibus laudi publica cura fuit.
Multa data eſt ex parte mihi : magnoque favore
Victores ludos inſtituêre novos.
Parte locant clivum, qui tunc erat ardua rupes:
Utile nunc iter eſt : Publiciumque vocant.
Annua credideram ſpectacula facta ; negavit :
Addidit & dictis altera verba ſuis.
Nos quoque tangit honos : feſtis gaudemus, & aris :
Turbaque cœleſtes ambitioſa ſumus.
Sæpe deos aliquis peccando fecit iniquos :
Et pro delictis hoſtia blanda fuit.
Sæpe Jovem vidi, cum jam ſua mittere vellet
Fulmina ;

288. *Animus defuit ante viris*] Non audebant olim ædiles plectere aliquem ex illis.

289. *Rem populus recipit*] Accepit populus ſuam ipſe cauſam agendam. *Nocentes ſubiêre mulctam*] Dedêre pœnam. *Paul. Mulctam ſubiêre nocentes*] Ad id promulgata poſtea lex Thoria. *Neap.*

290. *Publica cura fuit laudi*] Laudati ſunt illi, qui gerentes curam publicam, rem populi populo vendicarunt.

291. *Mulcta ex parte eſt data mihi*] Pœna illa ex parte erogata eſt ad exhibendos mihi ludos. *Et favore*] Senatus ſcilicet, & populi Romani. *Paul. Mulcta data eſt ex parte mihi*] Ex eâ tunc tibi ædes extructa juxta Circum marinum, & inſtituti proprii ludi. De æde Tacitus Annal. 2. *Iiſdem temporibus*, id eſt, anno Urbis Dcclxix. *Deum ades vetuſtate aut igni abolitas, captaſque ab Auguſto, dedicavit : eodemque in loco eadem Floræ, &c.* Neap.

292. *Victores*] Illi qui exegerant à delinquentibus mulctam : aut victores Romani. *Inſtituere ludos novos*] Quia tum primum inſtituti ſunt mihi ludi.

293. *Parte locant clivi*] Quaſi locarunt circum aut theatrum pro meis ludis, in parte clivi, Capitolini ſcilicet. *Qui*] Clivus. *Rupes ardua*] Alta & difficilis aſcenſu.

294. *Nunc eſt iter utile*] Quia commodum omnibus. *Et vocant Publicium*] Publicius clivus, ut ait Var. ab ædilibus publicis, qui eum publice ædificarunt. *Paul. Publiciumque vocant*] Marc. Var. lib. 4. de L. L. *Clivus Publicius, ab ædilibus plebei Publiciis, qui eum publice adificarunt.*

295. *Negavit*] Eo igitur tantum anno illi exhibita. Sed florum damnis iram oſtendit, & longa oblivia: nam per lxvi. annos ſolidos iterum Floralia ſua non vidit : diuturna ſane pauſa. *Neap. Annua credideram ſpectacula facta*] Putaveram ego annuos ludos illi inſtitutos, hoc eſt, ſingulis annis. *Negavit*] Dea, annuos ludos exhibitos.

196. *Addidit altera verba*] Quia rurſus loqui cœpit.

297. *Nos quoque, &c.*] Nunc aliud arguit dea, numina ſtudioſa eſſe honoris, & flecti muneribus, & pietate hominum. *Nos*] Deos. *Tangit honor*] Quia & nos dii ſumus honoris cupidi. *Gaudemus feſtis*] Diebus feſtis nobis conſtitutis. *Et aris*] Templis & ſacrificiis.

298. *Turba ambitioſa*] Honoris cupida.

299. *Fecit deos iniquos*] Non propitios ſibi, ſed eos ad iram provocavit.

300. *Et pro delictis*] Pro impetranda delictorum venia. *Hoſtia fuit blanda*] Quaſi tanquam blanditiis allexit deos ad veniam.

301. *Sæpe vidi Jovem thure*] Quaſi oblato illi ſacrificio, & cremato thure.

302. *Su-*

Fulmina; thure dato ſuſtinuiſſe manum.
At ſi negligimur; magnis injuria pœnis
Solvitur: & juſtum præterit ira modum.
Reſpice Theſtiaden: flammis abſentibus arſit.
Cauſſa eſt; quod Phœbes ara ſine igne fuit.
Reſpice Tantaliden: eadem dea vela tenebat.
Virgo eſt: & ſpretos bis tamen ulta focos.
Hippolyte infelix velles coluiſſe Dionen,
Cum conſternatis diripereris equis.
Longa referre mora eſt collecta oblivia damnis,
Me quoque Romani præterière patres.
Quid facerem, per quod fierem manifeſta doloris?
Exigerem noſtræ qualia damna notæ?
Excidit officium triſti mihi: nulla tuebar
Rura;

302. *Suſtinuiſſe*] Continuiſſe manum.

303. *At ſi negligimur*] Si ſpernimur à mortalibus. *Solvitur injuria*] Quaſi plectuntur ſpernentes pro injuria nobis illata. *Pœnis*] Quia graviſſimo ſupplicio afficiuntur.

304. *Præterit*] Excedit. *Juſtum modum*] Quia nimium iraſcimur.

305. *Reſpice Theſtiaden*] Meleagrum Theſtii ex Althæa matre nepotem. *Arſit flammis ardentibus*] Nota eſt fabula apri Calydonii, Ætoliæ à Diana immiſſi, quod ei Oeneus rex Meleagri pater non ſacrificaverat. Aper à Meleagro occiſus eſt, & datum amicæ ſpolium, cum ab avunculis illi ereptum eſſet, avunculos & ipſe interemit. Althæa mater pronior animo in fratres, quam in filium, ſtipitem diu ſervatum, in quo erat filii fatum, flammis injecit: & eo ardente, arſit infœlix Meleager. *Paul.*

306. *Ara Phœbes*] Ara Dianæ. *Fuit ſine igne*] Sine ſacrificio.

307. *Reſpice Tantaliden*] Niobem Tantali filiam. *Eadem dea*] Diana. *Tenebat tela, &c.* Sagittas: quibus confodit & extinxit numeroſam illius ſobolem. *Paul. Eadem Dea vela tenebat*] Idoneum ſenſum non elicies, ni legas, *eadem Dea tela tenebat.* Neap. *Reſpice Tantalidem*] Agamemnonem, qui dictus eſt Atrei filius ex Merope. Atrei autem pater eſt Pelops, Pelopis Tantulus. *Eadem dea vela tenebat*] In Aulide retenta ſunt vela Græcorum. *Virgo, &c.*] Senſus eſt: Diana quidem eſt Virgo, & clemens eſſe debuit: bis tamen ultra modum ulta eſt acceptam injuriam, morte Meleagri, & Iphigeniæ ſacrificio. *A.*

308. *Et tamen bis ulta foces ſpretos*] Bis vindictam ſumpſit de his qui ſuas ſpernebant aras: nam de Calydonia domo, & de Niobe.

309. *Hippolyte infœlix, &c.*] Venerem, Dionis filiam. *Paul. Coluiſſe Dionem*] Hæc Heſiodo & Homero Veneris parens, ſed hîc pro filia eſt.

310. *Diripereris equis*] Vide quam ſupra mortale ingenium depingat hanc mortem Annæus Seneca Actu 5. in Tragœdiâ cui nomen Extincti. *N. Cum diripereris*] Diſcerpereris. *Equis conſternatis*] Metu monſtri ad fugam concitatis.

311. *Oblivia hominum*] Cum obliviſcuntur debitarum immolationum. *Collecta damnis*] Damna mortalium, & demerentium pœnas.

313. *Per quod fierem manifeſta doloris*] Quaſi per quod me illud ægre ferre, liquido conſtaret. P. *Fierem manifeſta*] Ut populo oſtenderem, quâ pœnâ affecta ob ludorum præteritionem. *Neap.*

314. *Noſtra nota*] Dedecus & ignominia: qua notata eram, cum eſſem ſine ludis & ſacrificio.

315. *Excidit officium*] Quaſi ego mœſta ab officio vacavi. *Nulla rura tuebar*] Nullos fovebam agros.

Rura: nec in pretio fertilis hortus erat.
Lilia deciderant: violas arere videres,
Filaque punicei languida facta croci.
Sæpe mihi Zephyrus, Dotes corrumpere noli
Ipſa tuas, dixit: dos mihi vilis erat:
Florebant oleæ: venti nocuêre protervi.
Florebant ſegetes: grandine læſa ſeges.
In ſpe vitis erat: cœlum nigreſcit ab auſtris,
Et ſubita frondes decutiuntur aqua.
Nec volui fieri, nec ſum crudelis in ira:
Cura repellendi ſed mihi nulla fuit.
Convenêre patres: & ſi bene floreat annus;
Numinibus noſtris annua feſta vovent.
Annuimus voto. conſul cum conſule ludos
Poſthumio Lænas perſoluêre mihi.
Quærere conabar, quarę laſcivia major
His foret in ludis, liberiorque jocus:
Sed mihi ſuccurrit: numen non eſſe ſeverum,

Apta-

316. *Nec in pretio erat hortus fertilis*] Ubi ſolet eſſe florum copia, horti non florebant.

317. *Videres violas arere*] Quaſi ſubito natas areſcere.

319. *Sæpe Zephyrus*] Vir meus, dixit mihi. *Noli corrumpere dotes tuas*] Flores ipſos & floridos agros, qui tibi dati loco dotis.

320. *Dos mihi vilis erat*] Viles erant horti & flores.

321. *Florebant oleæ*] Emittebant flores. *Venti protervi nocuêre*] Nam eos ex arboribus decuſsêre.

323. *Vitis erat in ſpe*] Amiſſis intempeſtive ſegetibus, & oleis, ſupererat ſpes vinearum. *Auſtris*] Meridionalibus ventis & pluviam inferentibus.

325. *Subita aqua*] Subitis nimbis. *Nec volui fieri*] Licet irata eſſem, tamen meopte ingenio neque crudelis ſum, neque eſſe volui.

326. *Nulla fuit cura repellendi*] Non adhibebam curam in repellendis noxiis, ſed patiebar ita fieri. P. *Sed nulla*] Sivi grandini, ventis, tempeſtatibus ſuum curſum: hoc verum non averti, quod potuit.

327. *Convenêre patres*] Anno Urbis DXXC. L. Poſthumio Albino & M. Popilio Læna Conſulibus: horum juſſu quotannis incœpta exhiberi Floralia, cumque cura ludorum pertineret ad Ædiles plebeios, ſpectaculum edidit Ædilis unus ejuſdem anni C. Servilius C. filius Caſca. *Neap. Patres*] Senatores.

328. *Et vovent facta annua*] Voverunt ludos mihi, qui à meo nomine Florales dicerentur.

329. *Annuimus voto*] Quaſi nutu promiſimus fore, ut agri bene floreſcerent.

330. *Perſoluêre mihi ludos*] Edidêre ipſos Florales ludos 516. anno Urbis.

331. *Conabar*] Igitur, inquit. *Quærere, quare, &c*] Quam in cæteris ludis, nam celebrant cum omni laſcivia uſque ad ſatietatem impudicorum luminum. *Paul. Quare laſcivia major*] Nudatæ tunc in ſcenâ mimæ. Et quid non actum impudentius ſub Floræ clypeo. Adegêre ea feſta, ut è theatro ſemel aufugeret Cato, nec denuo exinde viſeret. Valerius Maximus lib. 2. cap. 10. *Neap.*

333. *Sed mihi ſuccurrit*] In mentem venit. *Et deam*] Floram.

334. *Ferre*

Aptaque deliciis munera ferre deam.
Tempora ſutilibus pinguntur tota coronis,
Et latet injecta ſplendida menſa roſa.
Ebrius incinctis philyra conviva capillis
Saltat, & imprudens utitur arte meri.
Ebrius ad durum formoſæ limen amicæ
Cantat. habent unctæ mollia ſerta comæ.
Nulla coronata peraguntur ſeria fronte,
Nec liquidæ vinctis flore bibuntur aquæ.
Donec eras miſtus nullis Acheloë racemis;
Gratia ſumendæ non erat ulla roſæ.
Bacchus amat flores: Baccho placuiſſe coronam
Ex Ariadnæo ſidere noſſe potes.
Scena levis decet hanc: non eſt, mihi credite, non eſt
Illa cothurnatas inter habenda deas.

Turbæ

334. *Ferre munera*] Ipſos flores & coronas. *Apta deliciis*] Jocis Cupidineis, & Bacchicis.

335. *Tempora*] Frontes, & ipſa tempora. *Tota pinguntur*] Quia variis floribus coronata picturam imitari videntur. *Coronis ſutilibus*] Ex ſutis floribus. Adeo luxuria proceſſit, ut ſutiles coronæ non fierent niſi ex mero folio roſarum, & mox ex herbis & floribus Indicis petitæ: laudatiſſimæque ex nardi folio dabantur. *Paul. Sutilibus coronis*] A ſuendo ſic dictæ. Hæ ſunt Heſychio ῥάμματα ἀνθινά. *Pinguntur tecta*] Scriptus, *cinguntur tota. Neap.*

336. *Et menſa ſplendida*] Lauta & luxurioſa. *Latet injecta roſa*] Fuſis roſis in ipſis conviviis.

337. *Saltat capillis incinctis*] Innexis: hoc eſt, coronatis. *Paul. Ebrius incinctis*] Scribe, *incinctus philyra conviva capillos. Philyra*] Delirant qui philyram dicunt hîc eſſe fœminæ corollariæ nomen; *Philyris* antiqui utebantur pro lemniſcis in coronarum plexione. *Neap.*

338. *Utitur arte meri*] Cum ebrietate incompoſite ſaltat. *Paul.*

339. *Ad durum limen amicæ*] *Durum limen* alibi dixit *inimica clauſtra*; quæ peſſulo clauſa noctu amatores excludebant: ipſi tunc ea ſoliti unguentis ungere.

340. *Cantat*] Ejuſmodi cantilena Latinis *occentatio*: unde, *oſtium occentare. N. Coma uncta*] Unguento fuſæ. *Habent mollia ſerta*] Nam unguentati coronabantur.

341. *Peraguntur fronte*] Sed jocoſa omnia, nec modo nec ordine ſervato.

342. *Bibuntur vinctis*] Ab his qui caput habent floribus coronatum. *Paul. Nec liquida vinctis*] *Vinctis*, hoc eſt coronatis.

343. *Scena levis decet hanc*] Uno verbo, argumenta tragœdiæ, & mimica vilitas. *Neap. Donec tu Acheloë eras mixtus nullis racemis*] Hoc eſt, nullo vino, id eſt, dum aqua pura bibebatur.

344. *Non erat ulla gratia roſæ ſumendæ*] Non erat gratus ullus coronarum uſus. Nam aquam haurientes non coronantur. *Paul. Illa cothurnatas*] Κόθορνος calceus erat tragicus; ut ſoccus, comicus. *Neap.*

345. *Bacchus amat flores*] Eo argumento, quòd poſt epotum vinum corona accipitur.

346. *Ex ſidere Ariadnæo*] Ex corona Ariadnes, de qua diximus in tertio.

347. *Scena levis*] Leve theatrum, ubi levia & laſciva referuntur. *Decet hanc*] Floram.

348. *Habenda inter cothurnatas deas*] Non eſt exiſtimanda nympha ex his quæ Dianam ſequuntur, nam impudica eſt. & tacite oſtendit meretricem fuiſſe. Vel

Turba quidem cur hos celebrent meretricia ludos,
Non ex difficili cauſſa petenda ſubeſt.
Non eſt de tetricis, non eſt de magna profeſſis:
Vult ſua plebeio ſacra patere choro.
Et monet ætatis ſpecie, dum floreat, uti:
Contemni ſpinam, cum cecidêre roſæ.
Cur tamen, ut dantur veſtes Cerealibus albæ;
Sic hæc eſt cultu verſicolore decens?
An quia maturis albeſcit meſſis ariſtis,
Et color & ſpecies floribus omnis ineſt?
Annuit: & motis flores cecidêre capillis;
Accidere in menſas ut roſa miſſa ſolet.
Lumina reſtabant: quorum me cauſſa latebat.
Cum ſic errores abſtulit illa meos.
Vel quia purpureis collucent floribus agri;

Lumina

cum cothurnus tragicorum gravia ſcribentium ſit, ita intelligas non eſſe illam habendam inter ſeveriores Muſas: Sed habendam inter meretriculas, ſic leviſſima & impudica in theatro fiunt.

349. *Cum turba meretricia*] Cur in ludis meretricis fungantur officio mimorum?

351. *Non eſt de tetricis*] Gravibus & ſeveris. *Non eſt de profeſſis magna*] De illis deabus quæ magna profitentur: ut, Pallas lanificio, & alii bonis artibus: Themis vaticiniis. *Paul. Non eſt de tetricis*] Non eſt, inquit, ex illis ſeveræ & caperatæ frontis. *Neap.*

352. *Vult patere*] Quaſi ſpectari ludos à plebeiis, non à gravibus ſenatorii ordinis viris.

353. *Et monet*] Flora. *Uti ſpecie ætatis*] Vel decore & pulchritudine juvenilis ævi. *Dum floreat*] Antequam inſtet gravior ætas. *Paul. Dum floreat, uti*] Hoc idem pluribus eléganter, ut ſolet, expreſſit primo Amorum Elegia V. I. *Neap.*

354. *Contemnunt ſpinam cum cecidêre roſæ*] Non habentur in pretio ſpinæ, cum roſæ ceciderint.

355. *Cur tamen*] In Cerealibus ludis, albæ veſtes adhibentur, ab ariſtarum colore: ſic in Floralibus pictæ & variæ, ab ipſa florum varietate. *Paul. Sic eſt hæc cultu verſicolore decens?*] Gloſſis *verſicoloria* ſunt ποικιλόχροα, Veſtis verſicolor Græcis ἐσθὴς ποικίλη, ut ποικίλη. Sed cur in Floralibus hæc geſtari ſolita? ipſemet inquit paulo poſt eſſe in causâ, quia flores varii etiam coloris. Luxuriosis olim proprius hic habitus. Unde forte in his feſtis receptum puto, quia ad meretrices celebritas pertinebat. *Neap.*

356. *Cultu verſicolore*] Ornatu diverſorum colorum.

360. *Ut roſa miſſa ſolet*] Menſas olim floribus ornatas, in deliciis fuiſſe, notum. Sed mentiar, ni noſter adludit ad ſparſionem, quæ de tecto & deſuper fiebat. *Neap.*

361. *Lumina reſtabant*] Et luminum quoque uſus erat in Floralibus. *Reſtabant*] Supererat ratio luminum, quæ nondum erat expoſita. *Latebat me*] Ignorabam cauſam. *Sic illa*] Flora. *Abſtulit errores meos*] Nam docuit quod neſciebam *Paul. Lumina reſtabant*] Hoc monitum vult ſub finem, ludos diurnos etiam per noctem continuaſſe veteres, & faſcibus accenſis: Quod voluptatum illecebris aptiſſima videatur licentia nocturna. *Neap.*

363. *Vel quia agri*] Floridi ſcilicet. *ignibus purpureis*] Purpureo ſole. *Lumina ſunt viſa decere noſtros*] Decora & convenientia Floralibus ludis. *Eſt hebetè colore*] Nec ſunt coloris obtuſi, ſed puri

&

Lumina ſunt noſtros viſa decêre dies:
Vel quia nec flos eſt hebeti nec flamma colore,
Atque oculos in ſe ſplendor uterque trahit
Vel quia deliciis nocturna licentia noſtris
Convenit. à vero tertia cauſſa venit.
Eſt breve præterea, de quo mihi quærere reſtat,
Si liceat, dixi: dixit & illa, Licet.
Cur tibi pro Lybicis clauduntur rete leænis
Imbelles capreæ, ſollicituſque lepus?
Non ſibi, reſpondit, ſylvas ceſſiſſe; ſed hortos,
Arvaque pugnaci non adeunda feræ.
Omnia finierat: tenues receſſit in auras.
Manſit odor. poſſes ſcire fuiſſe deam.
Floreat ut toto carmen Naſonis in ævo;
Sparge precor donis pectora noſtra tuis.
NOcte minus quarta promet ſua ſidera Chiron
Semivir, & flavi corpore miſtus equi.
Pelion Hæmoniæ mons eſt obverſus in auſtros:
Summa virent pinu: cætera quercus habet.
Phillyrides tenuit: ſaxo ſtant antra vetuſto,

Quæ

& nitidi. *Uterque ſplendor*] Et floris & facis. *Trahit in ſe oculos*] Facit ut oculi ſtatim in eos convertantur.

367. *Convenit noſtris deliciis*] Jocis & laſciviæ noſtræ.

368. *Venit à vero*] Quia verum illud eſt, plura licere per noctem, & joci impudici decentius per noctem, quam per diem exercendi: & nox lumina exigit.

371. *Cur capreæ imbelles*] Capræ ſylveſtres. *Et lepus ſollicitus*] Timidus. *Clauduntur rete*] Et ſic incluſi ferebantur in theatrum, & fiebat venatio. *Pro Lybicis leænis*] Quod animal ferox & pugnax.

373. *Reſpondit ſibi non, &c.*] Sed hortos: ſe ſylvarum non eſſe dominam, ſed hortorum.

374. *Arva non adeunda feræ pugnaci*] Agros ceſſiſſe ſibi, quo leones, & urſi, & ſimilia animalia non accedunt, ſed capræ, & lepores imbelles.

375. *Succeſſit in tenues auras*] Ut dii & umbræ ſolent, nam evanuit illa ab oculis poetæ.

379. *Nocte minus quarta*] Tertia nocte poſt. Cal. Maj. oritur Chiron Centaurus Saturni & Philyræ filius. Qui Æſculapium & Achillem nutriſſe exiſtimatur. Pietate igitur & diligentia effecit, ut inter deos annumeraretur. *Promet*] Aperiet. *Sua ſidera*] Quia ea nocte videntur omnes ejus ſtellæ. *Paul. Nocte minus quarta*] V. nonas Centaurus fertur in ortum. *Neap.*

380. *Semivir*] Centaurus: nam ex parte homo, ex parte equus.

381. *Pelion mons Æmoniæ*] Theſſaliæ. *Obverſus in auſtros*] In meridiem. P. *Pelion Æmoniæ*] Deſcribit ubi, & quales erant Chironis ædes. *Neap.*

382. *Summa virent pinu*] In ſummitate ipſius montis ſunt pineta, in cæteris partibus ſunt querceta.

383. *Phillyrides*] Chiron: à Philyra nympha, Oceani & Tethyos filia: ex qua Saturnus in equum verſus, Chironem genuit, à qua *Phillyrides* nominatus eſt. *Tenuit eum*] Scilicet montem. *Stant antra ſaxo vetuſto*] Quaſi, adhuc ſuperſunt antra in rupe ipſius montis.

384. Quæ

Quæ juſtum memorant incoluiſſe ſenem.
Ille manus olim miſſuras Hectora letho
Creditur in lyricis detinuiſſe modis.
Venerat Alcides exhauſta parte laborum,
Juſſaque reſtabant ultima pœne viro.
Stare ſimul caſu Trojæ duo fata videres:
Hinc puer Æacides, hinc Jove natus erat.
Excipit hoſpitio juvenem Philyreïus heros:
Et cauſſam adventus hic rogat; ille docet.
Reſpicit interea clavam ſpoliumque leonis:
Virque ait hic armis, armaque digna viro.
Nec ſe, quin horrens auderent tangere ſetis
Vellus, Achilleæ continuêre manus.
Dumque ſenex tractat ſqualentia tela venenis;
Excidit & lævo fixa ſagitta pede eſt.
Ingemuit Chiron, traxitque è corpore ferrum:
Et gemit Alcides, Hæmoniuſque puer.
Ipſe tamen lectas Pagaſæis collibus herbas
Temperat,

384. *Quæ memorant*] In quibus dicunt Chironem habitaſſe, juſtitiæ laude inſignem.

385. *Manus miſſuras Hectora letho*] Manus Achillis pueri, qui interfecturus poſtea erat Hectorem.

387. *Venerat*] Ad Chironem. *Alcides*] Hercules. *Exhauſta parte laborum*] Quaſi jam magna ex parte abſolutis laboribus. *Reſtabant*] Supererant adhuc Herculi. *Ultima juſſa*] Ultima quæ ab Euryſtheo eſſent nutu Junonis impoſita: volunt ultimum laborem fuiſſe Cerberum, quem ab inferis traxit. *Paul. Venerat Alcides*] Vide Hyginum lib. II. Poët. Aſtronomicon. *Neap.*

389. *Tu videres caſu*] Forte fortuna. *Stare ſimul duo fata Trojæ*] Duos viros, qui diverſis temporibus Trojam exciderunt: Herculem, qui ſub Laomedonte Trojam diruit: & Achillem, qui poſtea Hectorem interemit. *Æacides*] Achilles Æaci nepos. *Hinc natus*] Hercules.

391. *Heros Philyreïus*] Chiron natus. *Excipit hoſpitio juvenem*] Suſcepit Herculem hoſpitem.

393. *Interea reſpicit clavam*] Qua Hercules monſtra domitabat. *Et ſpolium leonis*] Pellem leonis Nemei ab ipſo Hercule interfecti.

395. *Nec manus Achillea*] Continere non potuit manus. *Quin auderent tangere vellus*] Pellem illam hirſutam & villoſam. Cum ſoleant pueri ſimilibus expaveſcere, ipſe non expavit. *Paul. Auderent tangere ſetis vellus*] Leonis ſpolium. *Traxitque è corpore ferrum*] Veteres omnes libri, *traxitque è vulnere ferrum.* Neap.

397. *Tractat tela ſqualentia venenis*] Sagittas Herculis infectas veneno hydræ lernææ.

399. *Ingemuit Chiron*] Cum eſſet ſanctus. *Paul. Lectas Pagaſæis collibus herbas Temperat*] Jam notaſti ſupra, hunc Medicinæ etiam operam dediſſe; imo fertur magni illius Archiatri præceptor. *Neap.*

400. *Et gemit Alcides*] Hercules. *Et puer Æmonius*] Theſſalus Achilles.

401. *Ipſe tamen*] Chiron. *Temperat herbas*] Volebat ſibi ipſi is adhibere medicamentum, quoniam & peritiam habebat artis medicæ. *Lectas*] Quas ipſe collegerat. *Montibus Pagaſæis*] Theſſalicis, à Pagaſis. Pagaſæ in Theſſalia ſunt, Pherarum emporium.

Temperat, & varia vulnera mulcet ope.
Virus edax ſuperabat opem: penituſque recepta
Oſſibus, & toto corpore peſtis erat.
Sanguine Centauri Lernææ ſanguinis echidnæ
Miſtus, ad auxilium tempora nulla dabat.
Stabat ut ante patrem lacrymis perfuſus Achilles:
Sic flendus Peleus, ſi moreretur, erat.
Sæpe manus ægras manibus fingebat amicis:
Morum, quos fecit, præmia doctor habet.
Oſcula ſæpe dedit: dixit quoque ſæpe jacenti;
Vive, precor: nec me chare relinque pater.
Nona dies aderat, cum tu, juſtiſſime Chiron,
Bis ſeptem ſtellis tempora cinctus eras.
HUnc lyra curva ſequi cuperet; ſed idonea nondum
Eſt via. nox aptum tertia tempus erit.
SCorpius in cœlo, cum cras luceſcere Nonas
Dicimus à media parte notandus erit.
HInc ubi protulerit formoſa ter Heſperus ora,
Ter dederint Phœbo ſidera victa locum;

Ritus

402. *Vulnera*] Leuire & ſedare conatur dolorem vulneris. *Vana ope*] Non profecturo medicamento.

403. *Virus edax*] Venenum abrodens. *Superabat opem*] Medicinam omnem. *Peſtis erat penitus recepta*] Lethale venenum interius penetraverat.

405. *Centauri*] Chironis. *Nulla*] Adeo vehemens illud virus erat. Ἔχιδνα vipera eſt. hic pro *hydra* ponitur. *Lernææ*] A Lerna palude in ſinu Argolico in Peloponneſo. *Paul.*

407. *Stabat ut ante patrem*] Hæc, & quæ ſequuntur, edocent quantus debeatur magiſtris amor, & honor. *Neap.*

408. *Erat flendus Peleus*] Pater à filio, quaſi dicat, non aliter ille fleviſſet morientem patrem.

409. *Sæpe fingebat*] Componebat & tractabat. *Manus ægras*] Invalidas & jam morientes. *Doctor*] Ipſe Chiron, qui Achilleum puerum bonis moribus inſtituit. *Morum quos fecit*] Quibus puerum informavit. *Præmia*] Officioſam illius pietatem. *Paul.*

414. *Bis ſeptem ſtellis*] Hygino ſunt 24. præter ſtellas hoſtiæ, quam ſupra Aram tenens immolare videtur. *Neap.*

415. *Lyra curva cuperet ſequi hunc*] Chironem, quaſi, ſtatim poſt eum oriri. *Sed nondum eſt via idonea*] Nondum patet Lyræ aditus, quia non poteſt ſtatim poſt illum apparere. *Tertia nox*] Ab ortu Chironis. *Eſt aptum*] Congruum Lyræ tempus. *Paul.*

416. *Nox aptum tertia tempus erit*] 3. Nonas Lyra oritur ortu acronicho. *Neap.*

418. *Scorpius erit notandus*] Quia media pars tantum inſpicietur. *Paul. Media parte videndus erit*] Pridie Nonas altera pars Scorpii occidit coſmice. Columella: *Pridie nonas Maias Nepa medius occidit.* Nepam pro ſcorpione uſurpat. *Neap.*

419. *Heſperus*] Heſperum pro Lucifero poſuit. *Ter protulerit*] Erit ortus, aut ab ortu ſurrexerit. *Paul. Hinc ubi protulerit*] 7 Idus Maias ſacris Lemuralibus triduum impendebatur. *Neap.*

420. *Et ter dederint locum Phœbo*] Cedent ſoli. *Sidera victa*] Quæ vincuntur à majore lumine.

421. *Erit*

MVSEVM BRITANNICVM

Ritus erit veteris nocturna Lemuria ſacri:
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.
Annus erat brevior: nec adhuc pia Februa norant.
Nec tu dux menſum, Jane, biformis eras.
Jam tamen exſtincto cineri ſua dona ferebant,
Compoſitique nepos buſta piabat avi.
Menſis erat Majus majorum nomine dictus:
Quî partem priſci nunc quoque moris habet.
Nox ubi jam media eſt, ſomnoque ſilentia præbet,
Et canis & variæ conticuiſtis aves;
Ille memor veteris ritus, timiduſque deorum
Surgit. habent gemini vincula nulla pedes:
Signaque dat digitis medio cum pollice junctis;

Occurrat

421. *Erit ritus veteris ſacri*] A veteribus inſtituti. *Lemuria nocturna*] Sacra ipſa Lemuria, quæ nocte fiunt. *Inferias tacitis Manibus*] Solvunt juſta umbris extinctorum. *Inferiæ*] Sacrificia quæ pro inferis fiunt. *Paul. Nocturna Lemuria*] Gloſſæ, *Lemuralia, ἑορτὴ τῶν ἐνέρων.* Vide Zoſim. lib. 4. de Valentiniano: Cui Larum, niſi Lemuralibus nocturna ſacra factitata? ſane hoc nomine certum eſt comprehendi & bonos & noxios genios. *Neap.*

424. *Annus erat brevior*] Quando hæc inſtituta ſunt, annus erat decem menſium. *Pia Februa*] Luſtrationes poſtea Februario menſe inſtitutas. *Jane biformis*] Jane biceps. *Eras dux menſum*] Pro *menſium*. Non erat adhuc tibi dicatus primus anni menſis. *Paul. Annus erat brevior*] Proponit hic veterem hunc ritum à Romulo inſtitutum numquam omiſſum; licet Numa additum anno Februarium, totum placandis defunctis & luſtrationibus addixerit. *Neap.*

425. *Ferebant*] Offerebant. *Sua dona*] Convenientia munera & libationes. *Cineri extincto*] Nam ſolvebant juſta extinctis. *Piabat*] Sacrificio luſtrabat. *Buſta*] Sepulchra. *Avi compoſiti*] Humati. *Paul. Sua dona ferebant*] Unde Feralia dicta illa menſe Februario. *Neap.*

427. *Menſis erat Maius*] Quo fiebant hæ luſtrationes & ſacrificia. *Dictus nomine majorum*] A majoribus Majus.

428. *Partem priſci moris*] Quia nunc etiam ſervatur ex parte priſcorum illa conſuetudo.

429. *Nox ubi jam media eſt*] Surgit nocte intempeſta, qui umbras placaturus eſt, nudis incedens pedibus: aqua ſe fontana perluit: *fabas* quas ore verſaverit, à tergo jacit, dicitque ſe illis redimere: pulſatque æra, & orat ut abeant umbræ: quod ſi novies fecerit, perfeciſſe putat ſacrificium. *Et præbet ſilentia ſomno*] Cum omnes quieti & ſilentio ſe dederint. *Paul. Nox ubi jam media eſt*] Addit qua noctis hora hæc *τραγίσματα* fiebant. Μάγων quoque νύκτα lib. 3. Apollonius obſervat. ad Magica; ſed quartam ſuſpicatur aptiſſimam Auctor anonymus, nec temere: Invenio tamen paſſim apud veteres, quovis tempore noctis magos ſimilia ſacra operatos; de die etiam, dummodo locus, in quo illa agenda, fuiſſet tenebris obſitus. *Neap.*

431. *Ille*] Nepos qui vult avo libare. *Et timidus deorum*] Qui timent deos inferos, ne per noctem occurrant ſibi.

432. *Surgit*] E ſtrato. *Nulla habent vincula*] Non habet ille calceos, aut crepidulas in pedibus. *Paul. Vincula nulla pedes*] Forte, ne hypodema quidem in tacitis ſacris vel tantillum rumoris excitaret; an quia, quod verius, moris erat magis nudo pede ſacra ſua peragere, ut apud Senecam Medea:

Secreta nudo nemora luſtravi pede. N.

433. *Et dat ſigna digitis junctis cum medio pollice*] Ponit pollicem in medio

quatuor

Occurrat tacito ne levis umbra ſibi.
Terque manus puras fontana perluit unda;
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Averſuſque jacit: ſed dum jacit, Hæc ego mitto,
His, inquit, redimo meque meoſque fabis.
Hoc novies dicit, nec reſpicit. umbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente ſequi.
Rurſus aquam tangit, Temeſæaque concrepat æra,
Et rogat ut tectis exeat umbra ſuis.
Cum dixit novies, Manes exite paterni;
Reſpicit, & pure ſacra peracta putat.
Dicta ſit unde dies, quæ nominis exſtet origo,
Me fugit, ex aliquo eſt invenienda deo.

Pleiade

quatuor digitorum. Duos ultimos digitos cogit in manum, alios duos erectos habet, & illis dat ſigna. *Paul. Signaque dat digitis*] Sed cum ſtrepitu, non enim vult, qui ſacra facit, ut umbra ſibi penitus tacito occurrat: clare hoc ſenſus innuit. *Neap.*

434. *Ne levis umbra*] Anima extinctorum. *Occurrat ſibi tacito*] Per ſilentia nocturna. *Paul. Medio cum pollice junctis*] Eſt crepitus ille qui fit manibus noſtro ævo in quavis ſaltatione, ſive comica, ſive ruſtica, digito ſcilicet medio adeo preſſe junctо cum pollice, ut lapſus in palmam ſtrepitum edat. Hunc vero ſuperſtitioſum ritum, ne umbra accedat ante jactum fabarum, præter noſtrum, non habeo qui mihi aſtruat. *Neap.*

435. *Fontana perluit unda*] Ante quodvis ſacrum præcedebat χέρνιψ: quem hæc latent? *Neap.*

436. *Nigras fabas*] Quia nigris Lemuribus ſacra fiunt, aſſumebatur autem hoc legumen parentando, quia mortuorum animas in fabis eſſe quidam tradiderunt: in quarum floribus, autore Feſto, luctus literæ apparere videntur. *Averſuſque jacit*] Poſt tergum. *Paul. Vertitur*] Quia omne purgamentum trans caput jaci ſolitum; nam reſpicere illud vetitum. *Accipit ore fabas*] Fallor; an purior è Vaticanis petita lectio, *accepit ante fabas*. *Neap.*

437. *Hæc ego mitto*] Illas fabas jacio.

438. *Et redimo me, & meos*] Quaſi, ſi quid mali immineret mihi & meis ab ipſis umbris ſalutem noſtram his ego redemerim.

439. *Umbra putatur colligere*] Ipſas fabas. *Sequi terga nullo vidente*] Sequi illum qui eas fecerit, nemine umbra inſpiciente, aut ſentiente. *Paul. Hæc novies dicit*] Forte quia hic numerus in magico iſto ſacro neceſſarius. *Neap.*

441. *Rurſus aquam tangit*] Abluit manus aqua fontana. *Et concrepat*] Pulſat. *Æra Temeſæa*] A Temaſe urbe Brutiorum, quam Auſonii condiderunt. Erat ibi ærarium, & æriſodinarum locus. *Paul. Temeſæa æra*] Non quod hæc vis inſita huic Tempſeo metallo; ſed quia nobile illud Tempſæ apud ſcriptores. Dixit vero *Temeſæa* Græcatius; Latinis eſt Tempſa, quæ Græcis Τεμψα. Strabo lib. 6. *Concrepat æra*] Æris tinnitum aptum ad ſpectra ſolvenda credidit vetuſtas. Vide Theocriti Scholiaſtem. *Neap.*

443. *Manes paterni*] Umbra parentum & avorum.

444. *Sacra pure peracta*] Se caſte perfeciſſe ſacrificium.

445. *Dicta ſit, &c*] Neſcire videtur poëta, quare *Lemuria* dicta ſint; pergit igitur ad inquirendam nominis originem. Mercurium invocat: à quo cauſa ipſa aperitur.

446. *Fugit me*] Hoc eſt, latet me: id eſt, neſcio.

Pleiade nate mone virga venerande potenti:
Sæpe tibi Stygii regia viſa Jovis.
Venit adoratus Caducifer. Accipe cauſſam
Nominis. ex ipſo cognita cauſſa deo.
Romulus ut tumulo fraternas condidit umbras,
Et male veloci juſta ſoluta Remo;
Fauſtulus infelix & paſſis Acca capillis
Spargebant lacrymis oſſa peruſta ſuis.
Inde domum redeunt, ſub prima crepuſcula mœſti,
Utque erat in duro procubuêre toro.
Umbra cruenta Remi viſa eſt aſſiſtere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui:
En ego dimidium veſtri parſque altera voti
Cernite ſim qualis: qui modo qualis eram!
Qui modo ſi volucres habuiſſem regna jubentes;
In populo potui maximus eſſe meo:
Nunc elapſa rogi flammis & inanis imago.

Hæc

447. *Nate Pleiade*] Mercurius, ex Maia una Pleiadum natus. *Virga potenti*] Caduceo. P. *Pleiade nate mone*] Ἀπὸ κοινοῦ ad Mercurium, ut ſibi pandat Lemuralii nominis originem. *Neap.*

448. *Sæpe eſt tibi viſa regia Jovis Stygii*] Sæpe tu ad inferos in Plutonis regiam deſcendiſti, cum nuncius ſis utrorumque deorum, ſupernorum & inferorum.

449. *Venit adoratus Caducifer*] Mercurius cum caduceo, quem ego adoravi, ſtatim affuit. *Accipe cauſſam*] Hoc eſt, originem.

450. *Eſt cognita ex ipſo deo*] Ex ipſo Mercurio & eo inſpirante omnia cognovit.

451. *Romulus ut, &c.*] Remum extinctum, frater magnificentiſſime humavit in Remoria. Noctu per quietem viſa eſt imago Remi aſtare lecto Fauſtuli, & Laurentiæ nutricis, querique de miſeranda ſua morte, & crudelitate Celeris, qui eum interemerat: orareque, ut à Romulo illud precibus impetrarent, quo ſuo nomine diem ſignaret. Romulus ea cauſſa inſtituit diem illi feſtum, appellavitque *Remuria*: mutata deinde eſt prima litera, & *Lemuria* dicta: poſtea ab illo umbræ, *Lemures* appellatæ ſunt.

452. *Et ſunt ſoluta juſta*] Celebratæ exequiæ. *Remo male*] Nam fuit illi infauſta velocitas, quæ mortem illi peperit.

453. *Et Acca*] Laurentia nutrix.

454. *Spargebant*] Lacrymabantur ad ſepulchrum, & Remi oſſa triſti rore rigabant.

455. *Sub prima crepuſcula*] Jam cum adveſperaſſet. *Procubuere in duro toro, ut erat*] Dedêre ſeſe quieti, non in molli, ſed in duro toro recumbentes. P. *Viſa eſt aſſiſtere lecto*] Ut indicet, non quidem apparuiſſe Remi umbram, ſed viſam ex ſomni eluſione: licet vere vivis mortalibus apparere animæ poſſint. His paria illa Maronis:

In ſomnis ecce ante oculos mœſtiſſimus Hector
Viſus adeſſe mihi. Neap.

458. *Atque loqui hæc verba exiguo*] Et viſa eſt dicere ea exigua voce.

460. *Qualis ego ſim*] Quo in ſtatu ſim, dimidium animæ veſtræ, & una pars veſtri deſiderii, cum duo eſſemus. Altera pars Romul. altera ego: altera ſoſpes, altera periit.

461. *Qui ſi modo habuiſſem volucres*] Si habuiſſem auguria fœliciora, quæ mihi regna portendiſſet.

463. *Nunc ſim imago lapſa rogi, &c.*] Sum

Hæc eſt ex illo forma relicta Remo.
Heu ubi Mars pater eſt? ſi vos modo vera locuti,
Uberaque expoſitis ille ferina dedit.
Quem lupa ſervavit, manus hunc temeraria civis
Perdidit. ô quanto mitior illa fuit!
Sæve Celer crudelem animam per vulnera reddas:
Utque ego, ſub terras ſanguinolentus eas.
Noluit hoc frater. pietas æqualis in illo eſt.
Quod potuit, lacrymas in mea fata dedit.
Hunc vos per lacrymas, per veſtra alimenta rogate,
Ut celebrem noſtro ſignet honore diem.
Mandantem amplecti cupiunt, & brachia tendunt.
Lubrica prenſantes effugit umbra manus.
Ut ſecum fugiens ſomnos abduxit imago;
Ad regem voces fratris uterque ferunt.
Romulus obſequitur, lucemque Remuria dixit
Illam, qua poſitis juſta feruntur avis.
Aſpera mutata eſt in lenem tempore longo
Littera,

Sum nunc umbra, quæ ſe eripere potuit ex igne rogali. *Et inanis*] Vacua: cum careat corpore.

465. *Heu ubi Mars, &c.*] Movetur à genere miſericordia: Ubi etiam qui me genuit deus? cur opem filio non præſtitit?

466. *Dedit ubera ferina expoſitis*] Pavit nos infantes lacte lupæ, cum eſſemus expoſiti.

467. *Civis*] Celeris.

468. *Perdidit*] Interemit. P. *Perdidit*] Mitior nempe fuit ferinus animus humano: huic par dictum Bianoris, quo concluſit celebre Epigramma ſuper Arionis fabula:

Κτεινόμεθ' ἀνθρώποις, ἰχθυσι σωζόμεθα. N.

469. *Sæve Celer reddas animam*] Luas crudelitatem tuam morte, ut pro vita mea, quam extinxiſti, vitam tuam perſolvas. *Paul. Animam per vulnera reddat*] Precatur interfectori ſimile mortis genus. Fuit ethnicorum ſententia, animæ à corpore ſejunctæ remanere poteſtates ſenſitivas. *Neap.*

471. *Pietas æqualis in illo eſt*] Id eſt, amabat me mutuo amore.

72. *Quod potuit*] Dedit illo lacrymas manibus, & juſta ſolvit.

473. *Per veſtra alimenta*] Quibus & illum, & me aluiſtis.

474. *Ut ſignet diem celebrem noſtro honore*] Ut inſtituat ſub meo nomine diem feſtum.

475. *Cupiunt amplecti mandantem*] Volunt Fauſtulus & Acca amplecti Remum, qui talia mandabat.

476. *Umbra lubrica*] Quæ facile elabitur. *Prenſantes*] Apprendere eam volentes.

477. *Abduxit ſomnos*] Nam illos excitavit.

478. *Uterque*] Fauſtulus & Acca. *Voces fratris*] Mandata Remi. *Ad regem*] Romulum. *Paul. Uterque ferunt*] Fauſtulus, & Acca. *Neap.*

479. *Romulus obſequitur*] Ceſſit illi morem: nam ſignavit diem honore fratris. *Et dixit lucem Remuria*] Appellavit à nomine fratris diem parentationis *Remuria.*

480. *Avis poſitis*] Sepulchro conditis.

481. *Aſpera littera*] R. quæ litera eſt paulo aſperior, eſt mutata in literam L. quæ eſt lenior & ſuavior pronunciatu. *Longo tempore*] Longitudine temporis. *P. Aſpera mutata eſt in lenem*] R. in L. a Remuriâ pronunciatum Lemuria *Neap.*

Littera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixêre ſilentum:
Is ſenſus verbi: vis ea vocis erat.
Fana tamen veteres illis clauſêre diebus,
Ut nunc ferali tempore operta vides,
Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora. quæ nupſit, non diuturna fuit.
Hac quoque de cauſſa, ſi te proverbia tangunt,
Menſe malas majo nubere vulgus ait.
Sed tamen hæc tria ſunt ſub eodem tempore feſta,
Inter ſe nulla continuata die.
Quorum ſi mediis Bœoton Oriona quæres;
Falſus eris. ſigni cauſſa canenda mihi.
Jupiter, & lato qui regnat in æquore frater,

Car-

482. *Fuit prima toto nomine*] Prima litera erat R. nunc eſt L. prius igitur *Remuria*, nunc *Lemuria* dicimus.

483. *Dixêre Lemures*] Appellavêre poſteri indifferenter umbras omnes extinctorum, *Lemures*. *Paul. Animas dixere ſilentum*] Gloſſæ, *Lemures*, νυκτερινοὶ δαίμονες. *Neap.*

484. *Vis vocis*] Proprietas nominis. *Erat*] Nam Remi parentationes ſignificabat.

485. *Fana*] Templa. *Illis diebus*] Lemuriorum.

486. *Tempore Ferali*] In Feralibus menſe Februario.

487. *Nec eadem apta tadis virginis*] Illis diebus neque viduam, neque virginem bonum eſt nubere.

488. *Non fuit diuturna*] Cum viro ſcilicet: nam aut repudiata, aut mortua cito.

489. *Hac quoque de cauſſa*] Quia aut repudiatur, aut moritur.

490. *Malas*] Mulieres. *Menſe Maio*] Quæ futuræ non eſſent diuturnæ. Quoniam id erat in proverbio, eo menſe tradi viris malas: quoniam bonæ non nuberent.

491. *Sed tamen hæc tria feſta*] Lemuria, & continentia à nuptiis, & templa clauſa. *Sed eodem tempore*] Quia iiſdem diebus.

492. *Sed continuata inter*] Non ſunt continuata, ut aliud poſt aliud fiat: ſed ut iiſdem diebus ſunt hæc omnia. Nam ut in Februario pluribus diebus fiunt Parentalia, & eſt idem fere ritus: ita hoc menſe plures ſunt dies, quibus parentatur, & clauſa ſunt templa, & non nubunt. *Paul. Inter ſe nulla continuata die*] Nam hi ſex continuis diebus. Primus, tertius, quintus ſacri ſunt Lemuralibus. hinc capies vetus Kalendarium, in quo ſic illa notantur.

A. LEM. N.
B C.
C. LEM. N.
D. NP. LUDMARTIN CIRC.
E. LEM. N.

493. *Quorum ſi mediis, &c.*] Incidebant media Lemuralia in V. Idus Majas, ergo in idem tempus occaſus Orionis. *Bœoton Oriona*] Ex patriâ. *Neap. Quorum ſi mediis*] Si medio ſpacio eorum. *Quaris Oriona Bœoton*] A Bœotia: ſi vis videre ſtellas Orionis.

494. *Falſus*] Deceptus eris: quoniam videre non poteris; nam jam occidit. *Cauſſa ſigni eſt mihi canenda*] Canam quis fuerit Orion & qua cauſa cœlo locatus ſit. Poeta fabulam hanc refert, Jovem, Mercurium hoſpitio receptos ab Hyreo: qui cognitis diis bovem immolat. Cum ab his, ſobolem concedi peteret, minxiſſe in corium bovis, & juſſiſſe humari. Decimo menſe natum puerum: *Vriona* ab urina appellatum, deinde *Oriona*.

496. *Car-*

Carpebant ſocias Mercuriuſque vias.
Tempus erat, quo verſa jugo referuntur aratra,
Et pronus ſaturæ lac bibit agnus ovis.
Forte ſenex Hyrieus anguſti cultor agelli
Hos videt, exiguam ſtabat ut ante caſam.
Atque ita, longa via eſt, nec tempora longa ſuperſunt,
Dixit: & hoſpitibus janua noſtra patet.
Addidit & vultum verbis: iterumque rogavit,
Parent promiſſis: diſſimulantque deos.
Tecta ſenis ſubeunt nigro deformia fumo:
Ignis in heſterno ſtipite parvus erat.
Ipſe genu poſito flammas exſuſcitat aura,
Et promit quaſſas comminuitque faces.
Stant calices. minor inde fabas, olus alter habebat:
Et fumant teſtu preſſus uterque ſuo.
Dumque mora eſt, tremula dat vina rubentia dextra,
Accipit æquoreus pocula prima deus.

Quæ

496. *Carpebant vias ſocias*] Quia ſimul per vias, velut peregre incedebant. *Paul. Mercuriuſque vias*] Tres etiam Varino ſunt; ſed hîc prò Mercurio ponit Ἀπόλλωνα Palæphatus, Servius, Homeri Scholiaſtes, ut Naſo. *Neap.*

497. *Tempus, quo aratra*] Erat veſpertinum tempus, cum ſol occiderat, & verſa domum aratra referebantur.

498. *Et agnus*] Inclinans ſe ad ubera, hac duplici periphraſi oſtendit veſperam.

501. *Nec tempora longa ſuperſunt*] Quia jam ſol occidit. *Paul. Nec tempora longa ſuperſunt*] Jam nox, inquit, adventat. *Neap.*

503 *Addidit & vultum verbis*] Nam læta verba læto quoque vultu proferebat. *Parent promiſſis*] Morem gerunt illi. *Paul. Addidit & vultum verbis*]

----*Super omnia vultus*
Acceſſere boni.

Dixit in Metamorphoſi de Baucide, & Philemone, apud quos Jupiter & Mercurius diverterant. *Neap.*

503. *Diſſimulant deos*] Nolunt prò diis cognoſci.

504. *Subeunt tecta ſenis*] Ingrediuntur caſam Hyriei. *Paul. Nigro deformia fumo*] Oſtendit pauperem & unam boni ſenecionis caſulam; & forſan aliud, nondum cognita fumi emiſſaria.

506. *In heſterno ſtipite parvus erat*] Sic explicat; quod Græci uno verbo Ζώπυρον. Neap. *Parvus ignis erat*] Quem pridie ſuccenderat, cum eo die nondum ſuccendiſſet ignem.

507. *Ipſe*] Hyrieus. *Excuſſit flammas ab aura*] Quaſi flans flammam exuſcitavit.

508. *Et promit*] Profert. *Faces quaſſas*] Ligna arida contuſa, quas pro facibus ſuccendendis paravit. *Et comminuit*] Dividit, ſeu diſcidit in particulas minutas, ut facilius ſuccendantur.

509. *Stant calices*] Calicem pro poculo plerunque accipimus: hoc loco poſuit pro vaſis, in quibus legumina & olera decoquuntur. P. *Minor inde fabas*] Quid ponat præter legumina? Hæc apud veteres invenies in victu pauperum, aut Philoſophorum. *Neapol.*

510. *Preſſus*] Tectus. *Suo teſtu*] Tecti enim calices, ſpumam circa ipſas teſtas emittebant, quoniam teſtis tegebantur.

511. *Dumque mora eſt*] Dum immorantur, uſque quo parentur epulæ. *Tremula*] Quoniam ſenex erat.

513. *Da-*

Quæ ſimul exhauſit ; Da, nunc bibat ordine, dixit,
Jupiter. audito palluit ille Jove.
Ut rediit animus ; cultorem pauperis agri
Immolat, & magno torret in igne bovem :
Quæque puer quondam primis diffuderat annis,
Prodit fumoſo condita vina cado.
Nec mora : flumineam lino celantibus ulvam
Sic quoque non altis incubuêre toris,
Nunc dape, nunc poſito menſæ nituêre Lyæo.
Terra rubens crater, pocula fagus erant.
Verba fuêre Jovis, ſi quid fert impetus opta :
Omne feres. placidi verba fuêre ſenis :
Chara fuit conjux, chara mihi prima juventa
Cognita : nunc ubi ſit quæritis ? urna tegit.
Huic ego juratus, vobis in verba vocatis,
Conjugio dixi ſola fruêre meo.
Et dixi, & ſervo. ſed enim diverſa voluntas
Eſt mihi : nec conjux, ſed pater eſſe volo.
Annuerant omnes : omnes ad terga juvenci

Con-

513. *Da, nunc ordine*] Sequere ordinem, & da vina Jovi bibenda : & hac voce deos eſſe prodidit.

514. *Palluit audito Jove*] Expavit cum videret coram, & domi haberet deos hoſpites, Jovem præſertim, deorum omnium maximum.

515. *Immolat cultorem pauperis agri*] Mactat bovem, quo exiguum colebat agrum.

517. *Quæ*] Vina. *Puer*] Quondam Hyreus. *Primis annis*] Ab ipſa pueritia. *Paul. Primis diffuderat annis*] Juvenalis : *Capillato diffuſum Conſule potat.* Vinum veteres ætate æſtimabant, quis ignorat ? hinc optimi amariores calices Seneca Epiſtola LXIV. *Quomodo in vino nimis vetere ipſa nos amaritudo delectat Diffuderat annis*] Diffuſum vinum eſt κατεσαμυσμένον. Neap.

518. *Et promit vina*] Haurit vina vetuſtiora : ſic & meliora, quæ olim in doliis condiderat.

519. *Celantibus*] Tegentibus. *Lino*] Lineis linteis. *Flumineam ulvam*] Fluvialem aut paluſtrem herbam. Ex hac ergo ſtrati erant tori, & linteis poſtea tecti.

520. *Non aliis toris*] In toris enim diſcumbebant.

521. *Nituêre nunc dape*] Jam allatis dapibus, & à ſplendidis dapibus nituêre, dixit. *Nunc poſito Lyæo*] Mero illo veteri.

522. *Erat terra rubens*] Erat crater fictilis ex creta rubra. *Paul. Terra rubens crater*] Vas vinarium erat, figulinum. *Pocula fagus erant*] Ex poculo oſtendit curtam etiam Hyriei ſupellectilem. *N.*

523. *Ora*] Orando à nobis poſces. *Si quid fert impetus*] Si quid cupis.

525. *Cura mihi prima juventa*] Amor mihi in ætate juvenili. In multis codicibus eſt. *Prima mihi chara juventa*, tunc ſic intelligas : Chara quidem mihi, & cognita à principio juvenilis ætatis.

526. *Tegit urna*] Extincta & condita eſt in urna.

527. *Ego juratus dixi huic*] Jurejurando id promiſi. *Vocatis vobis*] Cum juramento vos in teſtes vocaſſem.

528. *Fruere conjuge meo*] Tu unica eris mihi conjux.

530. *Sed volo eſſe pater*] Nolo conjugem, & filium volo.

531. *Annuerant omnes*] Nutu promiſere

Conſtiterant. pudor eſt ulteriora loqui.
Tum ſuperinjecta texêre madentia terra,
Jamque decem menſes: & puer ortus erat.
Hunc Hyrieus, quia ſic genitus, vocat Uriona,
Perdidit antiquum littera prima ſonum.
Creverat immenſum. comitem ſibi Delia ſumpſit.
Ille deæ cuſtos, ille ſatelles erat.
Verba movent iras non circumſpecta deorum:
Quam nequeam, dixit, vincere, nulla fera eſt.
Scorpion immiſit Tellus: fuit impetus illi
Curva gemelliparæ ſpicula ferre deæ.
Obſtitit Orion. Latona nitentibus aſtris
Addidit: &, Meriti præmia, dixit, habe.
Sed quid & Orion, & cætera ſidera mundo

Cede-

ſere ſe facturos quod ille volebat, ut & pater eſſet & non conjux. *Ad terga juvenci*] Ad corium bovis.

532. *Pudor eſt ulteriora*] Non vult exprimere quid fecerint: minxerunt tamen in eo corio. *Paul. Pudor eſt ulteriora loqui*] Corium juvenci minxêre. *Neap.*

533. *Tum texêre madentia*] Terga ſcilicet: hoc eſt, corium madidum urina. *Terra injecta*] Nam humaverunt utrem cum urina.

534. *Jamque decem*] Præterierant.

535. *Quia ſic genitus*] Eo modo natus. *Vocat Uriona*] Ab urina. *Paul. Quia ſic genitus*] Ἐκ τοῦ οὖρου.

536. *Littera prima ſonum*] Ου ſcilicet verterunt in o: diverſe tamen ſentit Strabo, qui de Oreo monte ſcribit lib. 10. Δοκεῖ δὲ καὶ ὁ Ὠρίων ἐνταῦθα τραφείς, ἔνθεν ὀνομασθῆναι. Neap.

336. *Littera prima*] Quæ erat *V. Perdidit antiquum ſonum*] Nam mutata in *O*, & dictus eſt *Orion.*

537. *Creverat immenſum*] Quia jam magnus erat, & re & nomine. *Delia*] Diana. *Sumpſit enim ſibi comitem*] Immo & plus quam comitem: nam diligebat mirum in modum, & nubere volebat illi.

538. *Erat cuſtos deæ*] Ille erat comes, miniſter, & cuſtos illius.

539. *Verba non circumſpecta*] Non examinata antequam proferantur, ſed temere prolata. *Movent iras deorum*] Nam indignantur dii, cum homines aliquid cum inſolentia dicunt.

541. *Tellus immiſit ſcorpion*] Peperit terra ſcorpionem, & in Orionem miſit. *Fuit illi*] Scorpioni. *Impetus*] Cupido.

542. *Ferre*] Pro auferre. *Spicula curva*] Sagittas. *Deæ gemellipare*] Dianæ, quæ uno eodem partu cum Phœbo nata eſt.

543. *Orion obſtitit*] Scorpioni, & tamen ab eo interemptus eſt. *Addidit aſtris nitentibus*] Cœlo locavit, & ſideribus intulit.

544. *Et dixit, habe præmia meriti*] Quia de me bene meritus es, habeas cœlum in mercedem laborum tuorum, & virtutis tuæ.

545. *Sed quid & Orion*] Poſt occaſum Orionis, & Urialem, feſtum Martis Ultoris: quod Poëta videtur ſtatim ſubdere occaſui Orionis. *Cedere mundo*] Cœlo: ut diem reddant. *P. Sed quid & Orion*] Fictio poëtica de cita Orionis & ſiderum immerſione, ut dies illa illuceſcat quâ Cæſar Octavianus in foro à ſe ſtructo templum Martis Ultoris conſecravit. Hanc eſſe ſuſpicor, quæ notatur in veteri Kalendario 4. Idus Maias. NP. LUDI MARTI IN CIRC. *Neapol.*

546. *Et*

Cedere feſtinant, noxque coarctat iter?
Quid ſolito citius liquido jubar æquore tollit
Candida Lucifero præveniente dies?
Fallor? an arma ſonant? non fallimur: arma ſonabant;
Mars venit; & veniens bellica ſigna dedit:
Ultor ad ipſe ſuos cœlo deſcendit honores,
Templaque in auguſto conſpicienda foro.
Et deus eſt ingens, & opus. debebat in urbe
Non aliter nati Mars habitare ſui.
Digna giganteis hæc ſunt delubra trophæis:
Hinc fera Gradivum bella movere decet:
Seu quis ab Eoo nos impius orbe laceſſet:
Seu quis ab occiduo Sole domandus erit.
Proſpicit armipotens operis faſtigia ſummi:

Et

546. *Et nox coarctat iter*] Contrahit ſpacium, & ſe præcipitem agit, ut diei cedat.

547. *Tollit*] Attollit. *Liquido æquore*] Vitreo, claro. *Jubar*] Solis ſplendorem. *Citius ſolito*] Quaſi cur ita accelerat dies.

548. *Præveniente lucifero*] Stella Veneris, quæ prænunciat diem.

549. *An ſonant arma*] Propter feſtum Martis, & ludos qui illi exhibentur. *Sonabant arma*] Adveniente armorum præſide.

550. *Venit Mars*] Ad feſtum & ludos ſuos.

551. *Ipſe ultor*] Sub cognomine & titulo ultoris. *Ad ſuos honores*] Ad ſacrificia quæ ſibi fiunt.

552. *Conſpicienda*] Admiranda. *In foro Auguſto*] Quod Auguſtus ipſe extruxit prope viam ſacram. *Paul. In Auguſto conſpicienda foro*] Ipſemet Princeps in ſuo monumento Ancyrano: ULTORIS TEMPLUM, FORUM AUGUSTUM, ET TEMPLUM APOLLINIS, &c. FECI. Suetonius in eodem: ubi & votum, & quæ in cauſa, & annum etiam habes, cap. 29.

553. *Et opus*] Docta ſane ſequens cauſa. Sed forſan & adeo magnifice ſtruxit, ut parentis etiam mortui deſiderium aliqua in parte adimpleret: de quo Suetonius Jul. cap. 44. *Neap. Et opus*] Eſt etiam ingens. Nam magnum illi templum erectum, magnumque erat illud forum.

554. *Non aliter*] Quam in maximo ædificio. *In urbe ſui nati*] In urbe Roma, quam Romulus Martis filius condidit.

555. *Hæc delubra*] Templa. *Sunt digna trophæis giganteis*] Spoliis gigantum: quaſi Jovis & cæterorum deorum victoria de gigantibus parta.

556. *Movere fera bella hinc*] Ex hoc templo educere exercitum in aciem, ad inferenda hoſtibus bella. *Paul. Bella movere decet*] Et quid, niſi hoc illa ſuperius præfati Hiſtorici adſignificant? *ut de bellis triumphiſque hic conſuleretur Senatus.* Idem antea in Capitolio agi ſolitum.

557. *Ab orbe Eoo*] Ab Oriente.

559. *Armipotens*] Mars. *Faſtigia ſummi operis*] Summitatem excelſi templi. *Paul. Operis faſtigia ſummi*] Ergo Martis ſignum poſitum etiam in templi trichoro. Vitruvius: *Ornantque ſignis fictilibus, aut æreis inauratis earum faſtigia*: imo hodiernis ſtatuam illius, cui templum conſecratum in ipſo faſtigio, conlocare: hinc, inquit, videt operis ſummi faſtigia, fores cum ſpoliis hoſticis, ſtatuas, quæ in utraque fori porticu erant. Faſtigium Græcis ἀέτὸς, ἀέτωμα, τρίχωρον, πτερὸν, πλευρύγιον. Inde δίπτερος ναὸς, ædes, quæ uno & altero erat faſtigio. *Neap.*

560. *Et*

Et probat invictas ſumma tenere deas.
Proſpicit in foribus diverſæ tela figuræ,
Armaque terrarum milite victa ſuo.
Hinc videt Æneam oneratum pondere ſacro,
Et tot Iuleæ nobilitatis avos:
Hinc videt Iliaden humeris ducis arma ferentem:
Claraque diſpoſitis acta ſubeſſe viris.
Spectat & Auguſto prætextum nomine templum,
Et viſum lecto Cæſare majus opus.
Voverat hoc juvenis tunc cum pia ſuſtulit arma.
A tantis princeps incipiendus erat.
Ille manus tendens hinc ſtanti milite juſto,
Hinc conjuratis, talia dicta dedit:
Si mihi bellandi pater eſt, Veſtæque ſacerdos
Autor; & ulciſci nomen utrumque paro;

Mars

560. *Et probat deas tenere ſumma*] Illud laudat, magna & invicta numina habere ſumma templa & in illis coli. P.

561. *Diverſa tela figuræ*] Hoſtium ſpolia, arma ſcilicet fabricata ex more devictarum gentium.

563. *Hinc videt Æneam*] Idem auctor imaginum nomina non recenſet: *Statuas*, inquit, *omnium triumphali effigie in utraque fori ſui porticu dicavit.* Adde his inſignes Apellis tabulas, de quibus Plinius. *Neap. Oneratum ſacro pondere*] Ferentem humeris patrem.

564. *Et tot avos nobilitatis Iuleæ*] Videt etiam in pictura tot claros viros de domo Iulea, Iulii pronepotes.

565. *Hinc videt Iliaden*] Romulum ex Ilia natum. *Ferentem humeris arma ducis*] Arma Acronis ducis Ceninenſium, quem Romulus obtruncaverat, & ſpoliaverat. *Paul. Hinc videt Iliaden*] Deſcribit qualis erat Romuli ſtatua, gerens ſcilicet ſuper humeros Acronis ſpolia, Ceninenſium Ducis.

566. *Alta ſubeſſe viris*] Oſtendit quamque imaginem ſuum ἔλεγχον habuiſſe rerum geſtarum, indicem, vocat Tibullus Hiſtorici plerumque titulum. *Neap. Subeſſe viris diſpoſitis*] In ordine poſitis. Erant enim in eo templo effigies clari ſtimorum conſulum & virorum fortium, cum inſcriptione rerum quas fœliciſſime geſſiſſent.

567. *Spectat & templum prætextum Auguſto nomine*] Inſcriptum & ſignatum ſub titulo Cæſaris Auguſti. *Paul. Prætextum nomine*] Id eſt inſignitum, & bene: nam templo etiam ornamento erat inſcriptum nomen tanti Principis. *Prætextum* eſt Latinis quidquid adſutum ad ornamentum: unde ſic dicti veſtium limbi, clavi, faſciæ. *Neap.*

568. *Et lecto Cæſare*] Nomine Cæſaris. *Viſum majus opus*] Quam fuerit cæterorum omnium.

569. *Voverat hoc juvenis*] Octavius princeps cum juvenis eſſet, hoc templum bello Philippenſi vovit.

570. *Princeps à tantis*] Quaſi, ab his maximis rebus auſpicari debeat principatum. *Paul.*

571. *Aſtanti milite juſto*] Lege ex antiquis, *inſtanti milite juſto.* Neap.

573. *Pater*] Cæſar, qui in filium me adoptavit. *Et Veſta ſacerdos*] Nam pontifex max. ſic & ſacerdos Veſtæ. *Eſt autor mihi bellandi*] Eſt cauſa, ut hæc ego bella geram.

574. *Ulciſci utrumque nomen*] Et patris, & pontificis. *Paul. Nomen utrumque paro*] Patris & Pontificis maximi. *Neap.*

Mars ades: & ſatia ſcelerato ſanguine ferrum:
Stetque favor cauſſa pro meliore tuus.
Templa feres, & me victore vocaberis Ultor.
Voverat: & fuſo lætus ab hoſte redit.
Nec ſatis eſt meruiſſe ſemel cognomina Marti:
Perſequitur Parthi ſigna retenta manu.
Gens fuit & campis, & equis, & tuta ſagittis,
Et circumfuſis invia fluminibus.
Addiderant animos Craſſorum funera genti,
Cum periit miles, ſignaque, duxque ſimul.
Signa decus belli Parthus Romana tenebat,
Romanæque aquilæ ſignifer hoſtis erat.
Iſque pudor manſiſſet adhuc, niſi fortibus armis
Cæſaris Auſoniæ protegerentur opes.
Ille notas veteres, & longi dedecus ævi
Suſtulit. agnôrunt ſigna recepta ſuos.
Quid tibi nunc ſolitæ mitti poſt terga ſagittæ,
Quid loca, quid rapidi, profuit uſus equi?

Parthe,

575. *Ades Mars*] Et faveas mihi.

577. *Feres templa*] Voveo ego tibi templum. *Vocaberis Ultor*] Nam ſtatuam tibi templum ſub titulo Martis Ultoris. *Paul.*

579. *Nec ſatis eſt meruiſſe*] Ex prædictis ſumit anſam dicendi de alio templo ejuſdem cognominis ab Auguſto in Capitolio extructo, ob recepta ſigna Romana à Parthis jam cum dedecore Imperii retenta. Nec dubium, duo Romæ fuiſſe templa Martis Ultoris, cum & in nummis totidem diverſæ ichnographiæ appareant.

580. *Signa retenta manu*] Quæ M. Craſſo ademerant. *Neap. Proſequitur ſigna retenta manu Parthi*] Signa Romana Craſſiana clade à Parthis ſublata. P.

581. *Et campis & equis*] Nolo ad hæc alium habeas interpretem præter Dionem Caſſium lib. 40. *Neap.*

582. *Fluminibus circumfuſis*] Ut difficilis eſſet ad eos tranſitus, propter Euphratem, Tigrim, & alia ingentia flumina.

583. *Funera Craſſorum*] M. Craſſi patris, & Publii Craſſi filii, & legionum quæ cum his fuere. *Paul. Craſſorum funera genti*] Hoc etiam noſter tetigit peregregiè in Arte.

Parthe dabis pœnas, Craſſi gaudete ſepulti;
Signaque barbarica non bene paſſa manus, &c. Neap.

584. *Et ſigna*] Vexilla quæ fuere ſublata.

586. *Et hoſtis erat ſignifer Romanæ aquilæ*] Parthus erat qui aquilam ferebat.

587. *Et is pudor*] Quaſi hæc ignominia, quæ Romanis ruborem injiciebat. *Manſiſſet adhuc*] In hunc uſque diem.

588. *Armis Cæſaris*] Niſi Cæſar Auguſtus Romanum imperium tuerctur.

589. *Ille*] Auguſtus. *Suſtulit veteres notas*] Veterem illam ignominiam. *Et dedicus longi ævi*] Infamiam longi temporis; nam coegit Parthos reddere ſigna. *Paul. Ille notas veteres*] Nam per 32. annos ſolidos poliri non valuit hæc macula in armis Romanis. *Neap.*

590. *Agnôrunt ſuos*] Romanos ſcilicet milites. Aut per hypallagen intelliges, Romani agnorunt ſua ſigna recuperata.

591. *Quid tibi*] O Parthe.

592. *Quid profuêre tibi*] Quid profuit peritia jaculationis ſagittarum, quas eques

Parthe, refers aquilas: victos quoque porrigis arcus.
Pignora jam noſtri nulla pudoris habes.
Rite deo templumque datum, nomenque Biſulto:
Et meritus voti debita ſolvit honos.
Sollemnes ludos Circum celebrate Quirites:
Non viſa eſt fortem ſcena decere deum,
PLeiadas adſpicies omnes, totumque ſororum
Agmen; ubi ante Idus nox erit una ſuper.
Tum mihi non dubiis autoribus incipit æſtas,
Et tepidi finem tempora veris habent.
IDibus ora prior ſtellantia tollere taurum
Indicat: huic ſigno fabula nota ſubeſt.
Præbuit, ut Tyriæ taurus, ſua terga puellæ
Jupiter, & falſa cornua fronte tulit.
Illa jubam dextra, læva retinebat amictus,

Et

eques fugiens à tergo mittit. *Quid loca*] Profuêre ſcilicet, quæ erant inacceſſa.

593. *Parthe refers aquilas*] Romana ad Auguſtum ſigna. *Et porrigis victos arcus*] Jam tu victus, ſupplex tua arma Cæſari Auguſto porrigis.

594. *Pignora noſtri pudoris*] Non habes jam ſigna, aut aliud, quo erubeſcere poſſimus.

595. *Rite eſt datum templum deo*] Rite & merito ædes eſt Marti conſecrata. *Et nomen biſulto*] Merito quoque bis eſt Ultor cognominatus: nam Auguſtum juvit in ultione paterna, & Parthorum injuria ulciſcenda.

596. *Et meritus honor*] Qui ab Auguſto Marti benemerito debebatur. *Solvit debita voti*] Nam quod voverat Cæſar, templum Marti conſecravit.

597. *Celebrate ludos ſolennes*] Qui quotannis Marti exhibentur. *Circo*] In Circo maximo. P. *Solemnes ludos Circi*] Ergo eodem die ludi in Circo Marti fiebant: nec aliud ſibi volunt notæ illæ, quas ſupra citavi è Kalendario veteri. Jurarim Jovem lapidem, illos quos olim vovere Conſules in bello contra Cæſaris percuſſores, quotannis poſtea exhibitos. Dio lib. 48. ſub finem anni Dcclxxiv. *Neap.*

598. *Scena non eſt viſa decere fortem deum*] Scena, ubi levia referuntur, non convenit rebus Martiis: ſed in Circo opus eſt nunc & equorum curſu certare, & Martios ludos exhibere.

599. *Pleiadas*] Quæ & Virgiliæ dictæ. *Et totum agmen ſororum*] Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent.

600. *Ubi una nox erat ſuper*] Id eſt, ſupererit. P. *Ubi ante Idus.*] III. Idus Maias Πλειάδες oriuntur heliacé.

601. *Non dubiis auctoribus*] Agit de his quos ipſemet videt: nam Columellæ incipit æſtas die nonâ menſis, Ptolemæo decimaquintâ.

603. *Taurum tollere*] Attollere altius à ſole in ortu. *Ora ſtellantia*] Stellas oris; quas ſupra explicuimus. P. *Idibus ora prior*] Pride Idus Tauri caput oritur ante ſolis ortum. *Neap.*

604. *Subeſt huic ſigno*] Ipſi Tauro.

605. *Taurus*] Jupiter in taurum demutatus. *Puella Tyria*] Europæ, à Tyro Phœniciæ: nam filia regis Agenoris. P. *Præbuit, ut taurus*] Feſtus: *Alii eam à prædonibus raptam, & nave, qua Jovis tutelam, effigiem tauri, habuerit. Tutela* eſt pictura aliqua numinis in puppe, à quâ nomen naves accipiebant: *tauri effigies* paraſemon, quod in prorâ, *Neap.*

606. *Falſa*] Non vera; nam taurum ſe ſimulaverat.

607. *Retinebat dextra jubam*] Crines tauri, quo firmius inhæreret. *Læva retinebat amictus*] Veſtes, ne aquis maderent. P. *Læva retinebat amictus*] Iiſdem

Et timor ipſe novi cauſſa decoris erat.
Aura ſinus implet: flavos movet aura capillos.
Sidoni ſic fueras accipienda Jovi.
Sæpe puellares ſubduxit ab æquore plantas,
Et metuit tactus aſſilientis aquæ:
Sæpe deus prudens tergum dimittit in undas;
Hæreat ut collo fortius illa ſuo.
Littoribus tactis ſtabat ſine cornibus ullis
Jupiter: inque deum de bove verſus erat.
Taurus init cœlum: te Sidoni Jupiter implet:
Parſque tuum terræ tertia nomen habet.
Hoc alii ſignum Phariam dixêre juvencam;
Quæ bos ex homine eſt, ex bove facta dea.
Tum quoque priſcorum vulgo ſimulacra virorum
Mitti roboreo ſcirpea ponte ſolent.

Cor-

pæne verbis Lucianus in Dialogo Ζεφύρου καὶ Νότου. Apud Græcos πίναξ & uſum præbuit pallii, & tunicæ. Varro lib. 4. de L. L. *Neap.*

608. *Erat cauſa novi decoris*] Augebat enim timor ipſius decorem.

609. *Sinus*] Veſtes. *Aura movet*] Hoc quidem decorem illius augebat, cum flavi crines vento agerentur.

610. *Sidoni*] O Europa, à Sidone urbe Phœniciæ. *Sic*] Hoc ¡modo. *Fueras aſpicienda Jovi*] Cum formoſior videreris, & ob id illi gratior.

611. *Subduxit*] Removit.

612. *Et metuit tactus aquæ aſſilientis*] Metuit ne ab unda ſalienti tangeretur, hoc eſt, ne aquis ſpargeretur.

614. *Hæreat illa ſuo collo*] Quo arctius eum puella amplecteretur.

615. *Littoribus tactis*] Poſtquam in Cretam pervenit. *Stabat Jupiter ſine ullis cornibus*] Nam exuerat formam tauri.

617. *Taurus*] Figura tauri. *Init cœlum*] Quia cœlo locata. *Sidoni*] Europa. *Implet te Jupiter*] Gravidam fecit, & de te Minoëm genuit.

618. *Et tertia*] Diviſus enim orbis in tres partes, quarum una *Europa* vocata eſt.

619. *Hoc cœli ſignum Phariam juvencam*] Eſſe Io Inachi regis Argivorum filiam. P. *Phariam dixere juvencam*] Ifidem, illam Inachi filiam. *Neap. Phariam*] Ægyptiam à Pharo inſula parva in Nilo.

620. *Ex bove facta dea*] Cum rediit in priſtinam formam, & in Ægypto meruit divinos honores.

621. *Tunc quoque priſcorum virgo*] Idibus Maiis ſcripea ſimulacra jaciuntur in Tybrim è roboreo ponte, unde prius ſolebant emitti homines. Cujus rei meminerunt Dionyſius lib. 1. de Antiquit. Italic. Lactant. in 1. Divinarum inſtitutionum, Macrob. in Saturnalibus. P. *Tunc quoque priſcorum*] Iiſdem Idibus ſcirpea ſimulacra in Tyberim è ponte jacta. Vide Dionyſium. *Virgo ſimulacra virorum*] Intellige Veſtalem: non tamen una aderat, ſed omnes, & cum his Pontifices, & Prætores aliique myſtæ. N. *Virgo*] Veſtalis ſcilicet. *Simulacra ſcirpea*] Effigies antiquorum ex ſcirpis compoſitas.

622. *Roboreo ponte*] Hic, ut vidiſti, eſt *ſublicius*: ſic dictus à ſublicis. His tantum fine ære aut ferro ſtetit diutius ſuffultus: inde ξυλίνην γέφυραν nominat Plutarchus. Scio etiam Græcos vocaſſe ἱερὰν: forte *quod eo*, inquit Varro, *ſacra & uls & cis Tyberim non mediocri ritu fiebat*. An ipſe vere ſacer habitus à populo? N. *Ponte roboreo*] Ligneo: hoc eſt, è ponte ſublicio. P.

623. *Poſt*

Corpora poſt decies ſenos qui credidit annos
Miſſa neci; ſceleris crimine damnat avos.
Fama vetus, tunc cum Saturnia terra vocata eſt;
Talia Fatidici dicta fuêre ſenis:
Falcifero libata ſeni duo corpora gentes
Mittite, quæ Tuſcis excipiantur aquis.
Donec in hæc venit Tirynthius arva; quotannis
Triſtia Leucadio ſacra peracta modo.
Illum ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites.
Herculis exemplo corpora falſa jaci
Pars putat, ut ferrent juvenes ſuffragia ſoli,
Pontibus infirmos præcipitaſſe ſenes.
Tybri doce verum: tua ripa vetuſtior urbe:

Prin-

623. *Poſt decies*] Sexagenarios; antiqua & propria vocula *caſnares*. *Caſnar* eſt Feſto ſenex, ſed Oſcorum lingua. *Neap.*

624. *Corpora miſſa neci*] Qui putat necatos homines. *Poſt decies ſenos*] Hos eſt, poſt ſexaginta annos. *Damnat avos crimine ſceleris*] Arguit majores ſceleratæ cædis, & ſummæ immanitatis, quaſi dicat: Non ita ſunt majores tanti ſceleris arguendi. Et hoc ideo, inquit, quia putabant aliqui eundem morem in Italia fuiſſe, qui apud pleroſque Scytharum populos ſervatur, ubi ſexagenarii necantur: ut ea ratione inſtitutum arbitrarentur in Latio, ſexagenarios è ponte in fluvium mitti ſolitos; quod poëta negat, cum majores non ſint tanti ſceleris accuſandi. P.

626. *Fatidici dicta fuiſſe ſenis*] Illa ipſamet verba:

ΣΤΕΙΧΕΤΕ ΜΑΙΟΜΕΝΟΙ ΣΙΚΕΛΩΝ ΣΑΤΟΥΡΝΙΑΝΑΙΑΝ
Η Α' ΑΒΟΡΙΓΕΝΕΩΝ ΚΟΤΥΛΗΝΟΥ ΝΑΣΟΣ ΟΧΕΙΤΑΙ
ΑΙΣ ΑΝΑΜΙΧΘΕΝΤΕΣ ΔΕΚΑΤΗΝ ΕΚΠΕΜΨΑΤΕ ΦΟΙΒΩ
ΚΑΙ ΚΕΦΑΛΑΣ ΑΛΗ ΚΑΙ ΤΩ ΠΑΤΡΙ ΠΕΜΠΕΤΕ ΦΩΤΑ. Neap.

627. *Duo corpora libata*] Duos homines litatos. *Falcifero ſeni*] Saturno ferenti falcem.

628. *Excipiantur aquis Tuſcis*] Tyberinis. Hoc igitur reſponſum fuit, ut duo dejicerentur in fluvium, & ſic Saturno litarentur.

629. *Donec Tirinthius*] Hercules à Tyrintho oppido Bœotiæ. *Venit in hæc arva*] Latina: victo in Hiſpania Geryone, ut diximus in primo. P. *Donec in hæc venit*] Hic mutius oraculi mentem interpretatus, omnemque ἀνθρωποθυσίαν ab Italia rejecit.

630. *Leucadio ſacra peracta deo*] In meo, qui vix legi poteſt, adeo tineis adroſus, *Leucadio ut ſacra peracta Deo*] ad verum. Vide Strabonem lib. 10. *Neap. Sacra triſtia*] Ob humanam victimam. *Leucadio modo*] Sacra quæ parantur eo modo quo ſacrificatur Apollini ad Æcium in mari Leucadio: nam immolatur humana victima.

631. *Illum*] Herculem. *Quirites ſtramineos*] Stramineas effigies.

632. *Corpora falſa*] Corporum effigies. *Exemplo Herculis*] Ut Herculem imitentur.

633. *Pars putat*] Alii ſunt qui exiſtimant. *Soli ferrent ſuffragia*] Ut in comitiis darent, cui vellent ſuffragia, ſine ſenum repugnantia.

635. *Tybri doce verum, tua ripa vetuſtior*] Numen Tyberinum invocat, ut veram cauſam referat. Quæ quidem ab illo ad Herculis comites refertur, qui in illis collibus, ubi poſtea urbs eſt condita, remanſerunt. At cum amore patriæ tangerentur, aliqui ex his in morte mandabant, ut mitterentur in Tybrim, quo ab undis in patriam reportarentur. Hæredes vero non parebant, ſed humabant extinctos, & ſcirpeas imagines in fluvium dejiciebant. 636. *Prin-*

Principium ritus tu bene poſſe potes.
Tybris arundiferum medio caput extulit alveo,
Raucaque dimovit talibus ora ſonis:
Hæc loca deſertas vidi ſine mœnibus herbas:
Paſcebat ſparſos utraque ripa boves.
Et, quem nunc gentes Tyberim nôruntque timentque:
Tunc etiam pecori deſpiciendus eram.
Arcadis Evandri nomen tibi ſæpe refertur:
Ille meas remis advena torſit aquas.
Venit & Alcides turba comitatus Achiva:
Albula, ſi memini, tunc mihi nomen erat:
Excipit hoſpitio juvenem Pallantius heros:
Et tandem Caco debita pœna venit.
Victor abit, ſecumque boves Erytheïda prædam
Abſtrahit, & comites longius ire negant:
Magnaque pars horum deſertis venerat Argis:
Montibus his ponunt ſpemque Laremque ſuum:
Sæpe tamen patriæ dulci tanguntur amore;
Atque aliquis moriens hoc breve mandat opus:
Mittite me Tyberi, Tyberinis vectus ut undis,
Littus

636. *Principium ritus*] Originem hujus moris.

637. *Tybris*] Deus ipſe Tyberinus. *Caput arundiferum*] Arundine coronatum. *Medio alveo*] Per quem fluit.

638. *Et dimovit ora rauca*] A rauco aquarum murmure. *Talibus ſonis*] His dictis.

639. *Herbas deſertas*] Quaſi paſcua in ſolitudine jacentia. *Sine mœnibus*] Cum nondum eſſet urbs. P. *Hæc loca deſertas*] Multa hujus narratiunculæ extant apud Feſtum in voce *ſexagenarios*, ſub initium loci; cujus partem tempus edax abſumpſit. *Neap.*

640. *Utraque ripa*] Et Latina & Hetruſca. *Gentes nôrunt*] Propter magnitudinem Romani imperii. *Et timent*] Romanæ vires timent quoque numen meum.

642. *Deſpiciendus pecori*] Quaſi pro vili & abjecto, quem pecora ipſa contemnerent.

643. *Sæpe refertur tibi nomen Arcadis Evandri*] Quaſi dicat: Tu debes ſcire, qui fuerit Evander Arcas.

644. *Torſit aquas*] Ille claſſes adverſo amne meo, in hæc loca egit.

645. *Alcides*] Hercules. *Turba Achiva*] Quaſi habens ſecum Græcos comites. P.

646. *Tunc mihi*] Nondum in meas aquas immerſus Rex Tyberinus. *Neap.*

647. *Heros Pallantius*] Evander. *Juvenem*] Herculem.

648. *Debita pœna fuit Caco*] Nam ob raptos boves ab Hercule mactatus eſt.

649. *Victor*] Hercules qui Cacum interemerat. *Prædam Erythreïda*] Armenta, quæ fuere Geryonis, qui regnavit in Erythra inſula, ad dextram faucium freti Atlantici in Hiſpania.

650. *Negant longius ire*] Nolunt ſequi Herculem, ſed volunt in Latio remanere. P. *Et comites*] Herculis ſcilicet. Vetus habet, *at comites*. Si attendis, verius: nam Herculi animus erat ulterius progredi, non vero comitibus. *Neap.*

654. *Mandat hoc breve opus*] Quod hæres exequatur: hoc exiguum illi officium mandat.

655. *Vectus ab undis Tyberinis*] Quem Tybrio

Littus ad Inachium pulvis inanis eam.
Diſplicet hæredi mandati cura ſepulchri:
Mortuus Auſonia conditur hoſpes humo.
Scirpea pro domino Tyberi jactatur imago,
Ut repetat Graias per freta longa domos.
Hactenus: ut vivo ſubiit rorantia ſaxo
Antra: leves curſum ſuſtinuiſtis aquæ.
CLare nepos Atlantis ades: quem montibus olim
Edidit Arcadiis Pleïas una Jovi:
Pacis & armorum ſuperis imiſque deorum
Arbiter, alato qui pede carpis iter:
Læte lyræ pulſu, nitida quoque læte palæſtra,
Quo didicit culte lingua favente loqui.
Templa tibi poſuêre patres, ſpectantia circum
Idibus

Tybris devehet in maria, & uſque in Græciam. *Paul. Mitte me in Tyberim*] Nam κακῶς mortuus putabatur apud Græcos in alienâ terrâ ſitus.

656. *Pulvis inanis eam*] Prius cremari volebant: non mirum: mandabant ex more ſuæ gentis. *Neap.*

657. *Diſplicet hæredi*] Tanquam illud impium eſſet, non humare corpora, ſed in aquas jacere.

658. *Hoſpes mortuus*] Argivus ille extinctus. *Conditur humo Auſonia*] Tellure Latina humatur.

659. *Scirpea imago*] Effigies è ſcirpis. *Jactatur Tyberi*] Mittitur in fluvium pro corpore illius. *Paul. Tyberi jactatur imago*]Ex manuſcriptis, & meis omnibus antiquis legas, *in Tyberim.* Neap.

660. *Ut repetat*] Ut redeat in Græciam. *Per freta*] Per ipſa maria, longo ſpacio in Græciam uſque tendentia.

661. *Hactenus*] Hucuſque locutus eſt deus amnis Tyberini. *Et ſubiit antra*] Quæ erant ſua palatia. *Rorantia*] Aquis madentia. *Vivo ſaxo*] Quaſi antrum ab ipſa natura in ſaxo excitum.

663. *Clare nepos Atlantis*] Invocat nunc Mercurium: quoniam idibus Maiis eſt ejus feſtum, quo die fuit illi à ſenatu ædes apud Circum maximum conſecrata. *Atlantis nepos*] *Mercuri facunde nepos Atlantis*: ut Horat. inquit: nam ex Maja illius filia natus. *Paul. Clare nepos Atlantis*] Apoſtrophe ad Mercurium, cum de æde eidem ſacra & ſacrificio ſit acturus, *Neap.*

664. *Una Pleias*] Maja ex Pleiadum numero. *Edidit Jovi*] Peperit Jovi filium. *Montibus Arcadiæ*] In Cyllene monte Arcadiæ: unde *Cyllenius* dictus.

665. *Arbiter pacis & armorum*] Pro caduceo dictum, quo pacem ſerit, & bella indicit. *Superis imiſque deorum*] Vel arbiter utriſque diis. *Paul. Superis imiſque deorum*] Parliſſime Horatius Odâ 10. libro primo.

---*Superis Deorum*
Gratus, & imis. Neap.

666. *Qui carpis iter alato pede*] Quique volas. quoties *pedibus talaria nectis Aurea.*

667. *Læte pulſu lyræ*] Quam tu ipſe reperiſti. *Læte quoque nitida palæſtra*] Quoniam certamen palæſtræ primus tradidit. *Nitida*] Quia oleo peruncti palæſtra certabant.

668. *Culte loqui*] Quia Mercurius eſt, qui loqui doceat. *Culte*] Ornate.

669. *Tibi templa ſpectantia Circum*] Quæ prope Circum maximum ſunt, qui eſt inter Palatium & Aventinum. Nec ſolum ibi templum Mercurii, ſed aliorum & plurium numinum ſacella conſecrata. *Paul. Templa tibi poſuêre patres*] Iiſdemmet idibus, ſub annum poſt Romam conditam CCLVIII. Per id tempus etiam collegium mercatorum inſti-

Idibus. ex illo eſt hæc tibi feſta dies.
Te, quicunque ſuas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut ſibi lucra, rogant.
Eſt aqua Mercurii portæ vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunicam mercator; & urna
Purus ſuffuſa, quam ferat haurit aquam.
Uda fit hinc laurus: lauro ſparguntur ab uda
Omnia, quæ dominos ſunt habitura novos,
Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos:
Et peragit ſolita fallere voce preces:
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit:
Ablue præterita perfida verba fide.
Sive ego te feci teſtem, falſove citavi
Non audituri numina vana Jovis.
Sive deum prudens alium divamque fefelli;
Abſtulerint celeres improba dicta Noti.
Et pateant venientę die perjuria nobis:
Nec curent ſuperi, ſi qua locutus ero.

Da

inſtitutum. *Spectantia Circum*] Sed maximum ibi locant priſci Topographi, Mercurii unum, de quo noſter. Ædiculas, aras, & alia ille habuit per urbem loca ſibi conſecrata. *Neap.*

670. *Idibus*] Maiis ſcilicet, conſecratum fuit tibi templum. *Hac dies*] Iduum Majarum.

671. *Eſt tibi ſacra*] Quoniam appellatur Mercurii feſtum.

672. *Rogant te dato thure*] Poſtquam aris tuis thura obtulerunt, precantur. *Tribuas ſibi lucra*] Ut lucrari poſſint de mercibus.

673. *Eſt aqua Mercurii*] Quæ quidem ita appellatur, quod Mercurio ſacrificaturi, ibi ſe prius abluebant. *Vicina portæ Capenæ*] Paulo extra portam Capenam: qua itur ad ædem divi Sebaſtiani. *Paul. Eſt aqua Mercurii*] Hoc ſolum teſtimonio probant viri docti, extrà portam Capenam viâ Appiâ aquam fuiſſe ita nuncupatam; quâ populus, qui negotio & quæſtui operam dabat, his idibus luſtrari ſolitus. *Neap.*

674. *Habet numen*] Ineſt aliquid numinis illi aquæ.

675. *Mercator incinctus tunica*] Habens incinctam tunicam. *Paul. Huc venit incinctus tunica*] Cingulo, è quo marſupium auri monetalis propendebat. Hic verus mercatorum habitus. *Neap.*

676. *Suffuſam*] In urnam ſcilicet, aut *ſuffuſam*, pro ſuffundendam in ſeipſam. *Purus*] Quaſi ſuffuſione expiandus.

677. *Hinc*] Ex hac aqua. *Laurus ſit uda*] Madida ipſa aqua.

678. *Quæ ſunt habitura novos dominos*] Omnia quæ habent venalia pretio commutanda. *Sparguntur ab uda lauro*] Ut ea primum luſtret, deinde ſeipſum.

679. *Lauro rorante*] Aquis madente.

680. *Et peragit preces*] Precatur Mercurium, ut ab omni perjurio & fallacia eum expiatum eſſe velit. *Voce ſolita fallere*] Quæ ſemper ſolet alios decipere.

681. *Fide præterita*] Non ſervata: expurga me ab eo, quod fidem violaverim. *P. Præterita*] Non ſervatâ, temeratâ.

682. *Sive deum prudens*] Nam id majus crimen.

689. *Da*

Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro;
Et face ut emptori verba dediſſe juvet.
Talia Mercurius poſcentem ridet ab alto;
Se memor Ortygias ſurripuiſſe boves.
AT mihi pande precor tanto meliora petenti
In Geminos ex quo tempore Phœbus eat,
Cum totidem de menſe dies ſupereſſe videbis;
Quot ſunt Herculei facta laboris, ait.
Dic ego reſpondi cauſſam mihi ſideris hujus.
Cauſſam facundo prodidit ore deus:
Abſtulerant raptas, Phœben Phœbeſque ſororem,
Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.
Bella parant, repetuntque ſuas & frater & Idas;
Leucippo fieri pactus uterque gener.

His

689. *Da modo lucra mihi*] Hinc apte Agoraſtocli apud Plautum reſpondet Milphio ſervus in Pœnulo: *Ecquid amare videor?* Mi. *damnum, quod Mercurius minime amat? Namque Aedepol, lucrum amare nullum amatorem addecet.* Neap. *Da facto gaudia lucro*]. Ut læte fruar his quæ lucratus fuero.

690. *Ut juvet dediſſe*] ut proſit, & utile mihi ſit, emptorem fefelliſſe.

691. *Ridet*] Quia perjuriis abſolvi poſcunt, & licere alios fallere, nam & ipſe aliquando alios fallebat.

692. *Memor ſe ſurripuiſſe boves Ortygias*] Memor ſe furto ſubtraxiſſe Pheræas vaccas regis Admeti, quæ ſub cuſtodia Phœbi erant. *Ortygias*] A Delo inſula, quæ Ortygia dicta eſt. *Paul. Se memor Ortygias*] Obſerva ſales mei Naſonis. Furti vero crebra mentio fit à Græcis, unde Homerus jure hunc vocat in hymnis ἀρχέκλεπτα Φιλλυτῶν: quippe fraudes primus commentus, & lucra illicita. *Neapol.*

693. *At precor pande mihi*] Aperias oro id mihi. *Petenti longe*] Nam illi ut alios fallant, ego ut alios inſtruam.

694. *Tempore*] Quo die hujus menſis. *Sol eat Geminos*] Relicto Tauri ſigno, Geminorum ſignum ingrediatur. *Neap.*

695. *Cum totidem de menſe dies*] Quot facta Herculis: ergo 15. Kalendas noſtro Sol in Geminis, in eandem conjicitur à Columella. *Neap.*

696. *Ait*] Ibit tunc cum videbis ſupereſſe totidem dies de menſe, quot ſunt facta Herculei laboris: cum tot dies reſtant adhuc de Majo, quot fuere labores Herculis. Duodecim illi fuere, ergo cum ſuperſunt duodecim dies, & ſic indicat tertium decimum diem calendarum, tunc ſol init Geminos.

698. *Prodidit cauſa facundo*] Quoniam & eloquentiæ præeſſe dicitur, ideo *Facundo ore* dixit.

699. *Abſtulerant raptas*] Quas rapuerant. *Phœben & ſororem Phœbes*] Elairam ergo & Phœben Leucippi Ætoli filias. *Paul. Phœben Phœbeſque ſororem*] Phœben, & Elairam Harum proci antiqui, Idas, & Lynceus frater: cum quibus poſtea certamen initum.

700. *Ille pugil*] Hac arte callebat Pollux. *Neap. Fratres Tyndaridæ*] Caſtor & Pollux Tyndari privigni: Nam Jovis ex Ledæ Tyndari conjuge filii. *Hic*] Caſtor ſcilicet, eques *Ille*] Pollux. *Pugil*] Qui pugnis & cæſtu pollet.

701. *Et frater & Idas*] Lynceus, & ipſe Idas. *Parant bella*] Contra Caſtorem & Pollucem. *Et repetunt ſuas*] Virgines ſibi nupras.

702. *Pactus uterque fieri gener Leucippo*] Qui promiſerant ſe eas velle in conjuges.

His amor, ut repetant; illis, ut reddere nolint,
Suader: & ex cauſſa pugnat uterque pari.
Effugere Oebalidæ curſu potuêre ſequentes:
Sed viſum celeri vincere turpe fuga.
Liber ab arboribus locus eſt, apta area pugnæ;
Conſtiterant illo nomina fida loco.
Pectora trajectus Lynceo Caſtor ab enſe,
Non exſpectato vulnere preſſit humum.
Ultor adeſt Pollux: & Lyncea perforat haſta,
Qua cervix humeros continuata premit.
Ibat in hunc Idas, vixque eſt Jovis igne repulſus:
Tela tamen dextræ fulmine rapta negant.
Jamque tibi Pollux cœlum ſublime patebat,
Cum, Mea dixiſti percipe verba pater:
Quod mihi das uni cœlum, partire duobus:
Dimidium toto munere majus erit.
Dixit, & alterna fratrem ſtatione redemit:

Utile

703. *Amor ſuadet his*] Idæ & Lynceo. *Ut repetant*] Raptas. *Illis*] Caſtori & Polluci.

704. *Ex cauſa pari*] Amore.

705. *Oebalidæ*] Caſtor & Pollux Oebalii, hoc eſt, Laconici. *Potuêre curſu effugere ſequentes*] Potuêre ſe fuga eripere ab Ida & Lynceo, qui inſequebantur.

706. *Sed eſt viſum turpe*] Dignum reprehenſione. *Vincere celeri fuga*] Subterfugere prælium, & fuga ſe facere voti compotem.

707. *Eſt locus liber ab arboribus*] Locus quidam apertus. *Area apta pugnæ*] Ubi tam equo quam pugnis contendi poſſit.

708. *Conſtiterant nomina fida*] Caſtor & Pollux, qui mutuæ fidei clarum nomen habent.

709. *Caſtor trajectus pectora*] Habens transfoſſum pectus. P. *Trajectus Lynceo Caſtor ab enſe*] Theocritus in Dioſcoris ait, Lynceum à Caſtore interfectum: Apollodorus lib. 3. Βιάσασθαι, Caſtorem ab Ida, à Polluce, Lynceum. *Lynceo*] Pro Lynceio: ut Cepheia, & paria. *Neap.*

710. *Preſſit humum*] Decidit extinctus vulnere ab illo infixo quem non timebat.

711. *Pollux ultor*] Fraternæ mortis. *Perforat Lyncea*] Percuſſorem Caſtoris.

712. *Qua cervix continuata*] Hoc eſt, inter collum & humeros. Nam ſub ipſo jugulo haſtam Infixit & tranſacta eſt ex altera parte ſupra humeros.

713. *Idas ibat in hunc*] Pollucem. *Et vix eſt repulſus igne Jovis*] Vix fulmine repelli potuit, ſed repulſus tamen.

714. *Tamen negant tela rapta dextra*] E manu illius; nam moriens telum non reliquit.

715. *O Pollux, jam patebat tibi cœlum*] Quia jam Jupiter te in cœlum ſuſtulerat.

716. *Pater*] O Jupiter.

717. *Quod das mihi uni*] Quod obtuliſti mihi cœli munus, effice ut illud commune ſit mihi & fratri: pari portione diviſo inter utrumque munere.

718. *Dimidium*] Muneris ſciiſcet. *Erit majus toto*] Diſtributum mihi longe majus, quam ſi ſolus habeam.

719. *Alterna ſtatione*] Ut alternis vicibus eſſent in cœlo.

Utruma-

Utile ſollicitæ ſidus utrumque rati.
Ad Janum redeat, qui quærit Agonia quid ſint:
Quæ tamen in faſtis hoc quoque tempus habent.
Nocte ſequente diem canis Erigoneïus exit.
Eſt alio ſigni reddita cauſſa loco.
PRoxima Vulcani lux eſt: Tubiluſtria dicunt.
Luſtrantur puræ, quas facit ille, tubæ.
QUatuor inde notis locus eſt; quibus ordine lectis
Vel mos ſacrorum; vel fuga regis ineſt.
NEc te prætereo populi fortuna potentis
Publica; cui templum luce ſequente datum.

Hanc

720. *Utrumque ſidus*] Caſtoris & Pollucis. *Utile erat ſollicitæ*] Cum in procella verſatur.

721. *Ad Janum redeat*] Hoc etiam die fiunt certamina Agonalia, in honorem Jani. De his diximus in primo libro. Inde accipiant, qui quæ ſint, noſſe cupiunt. *Redeat ad Janum, &c.*] Ad Januarium menſem *Paul. Ad Janum redeat*] 12. Kalendas Junias Agonalia urbs iterabat. Hoc die notantur hæc feſta in veteri Kalendario: De etymo ad Januarium te Naſo meus rejicit. Vide & ibi noſtri laboris plura, *Neap.*

722. *Hoc quoque tem.*] Hunc etiam diem decimum tertium Cal. Jun.

723. *Nocte ſequente canis*] Nocte vero quæ præcedit diem duodecimum. Calen. Jan. Erigonius canis oritur. *Canis Erigoneius*] Ab Erigone Icarii filia. *Exit nocte ſequente*] Quæ ſequitur Agonalia. *Paul Nocte ſequente*] 11. Kalendas Canis noſtro oritur.

725. *Proxima Vulcani*] X Kalend. Tubiluſtrium erat. de quo Varro lib. 5. de Linguâ Latinâ: *Tubiluſtrium appellatur, quod eo die in atrio ſutorio ſacrorum tubæ luſtrantur. Quam luſtria dicunt*] Mavult Θαυμάσιος ἀνὴρ, *Tubiluſtria dicunt*. Aſſentior libens. *Neap. Proxima Vulcani*, &c.] Undecimo Calendas Junias feſtum eſt Vulcani, ad luſtrationem tubarum. *Luſtria*] Ab ipſa luſtratione.

726. *Luſtrantur tubæ puræ*] Ab ipſis tubicinibus moturis aciem claſſicis, antequam abeant. *Quas ille*] Vulcanus. *Facit*] Quæ conflantur ab opificibus, quibus ille præeſt.

727. *Lectis ordine*] Poſtquam quatuor ipſas dierum notas legeris. *Paul. Quatuor inde notis locus eſt*] Quatuor ſignis, quibus dies notantur in Faſtis. *Ant. Quatuor inde notis*] Sequens Maii dies, id eſt, 9. Kalendas, ſic notatur in Kalendariis, Q. R. C. F. Anceps Poëta de interpretatione, hinc ait: *Vel mos ſacrorum, vel fuga Regis ineſt.* Sciendum, Regi ſacrorum neque Magiſtratum gerere, neque verba ad populum habere fas illi fuiſſe: propterea in Comitium ire non licebat niſi hoc die, qui notatus eſt in Kalendariis. Itabat enim in Comitium ſacrificii cauſſâ: quo properanter patrato, fugâ ſe è Comitio cripiebat. Hinc per breves quatuor litteras. Q. R. C. F. interpretantur QUANDO REX COMITIO FUGIT. De more Plutarchus in libello τῶν Κεφαλαίων. *Neap.*

728. *Vel eſt mos ſacrorum*] Quod ſervetur conſuetudo ſacrorum, & immolationis victimarum. *Vel eſt fuga regis*] Tarquinii, nunc vero pro eodem ſacrificia fiunt, etiam quod tandem victus, Poſtea fugerit omni ſpe deſtitutus.

729. *Nec prætereo*] Silentio ſcilicet. *Populi Potentis*] Populi Rom.

730. *Luce ſequenti*] Quæ ſequitur fugam regis. *Datum tibi templum*] Conſecrata tibi ædes. Sed hæc in fine ſubſequentis libri repetemus. *Paul. Cui templum luce ſequente datum*] Hoc eſt, 8. Kalendas. Jam liquidum, hunc publicam eſſe Primigeniam. Vo-

Hanc ubi dives aquis acceperit Amphitrite;
Grata Jovi fulvæ roſtra videbis avis.
AUferet ex oculis veniens aurora Booten:
Continuaque die ſidus Hyantis erit.

vit hanc Primigeniæ ædem ſe Conſule P. Sempronius anno Urbis conditæ DXLIX. Vide Livium lib. XXIX. & lib. XXXIV.

731. *Hanc ubi dives aquis*] Eodem 8. Kalendas Aquila oritur veſperi. *Neap. Uti Amphitrite*] Uxor Neptuni. *Dives aquis*] Cum mari præſit. *Accepit hanc diem*] Qua oritur Aquila: quaſi poſt occaſum illius diei, in ipſa nocte, quæ præcedit diem quintum Calendarum Juniarum.

732. *Videbis roſtra avis*] Aquilæ. *Grata roſtra Jovi*] Ob Ganymedem raptum.

733. *Auferet ex oculis Booten*] Nam occidit. *Paul. Auferet ex oculis veniens*] 7. Arctophylax heliace fertur in occaſum; & 6. heliacus Hyadum ortus. *N.*

734. *Et die continua*] Quæ illa proxima erit: hoc eſt, trigeſimo die Maii. *Erit ſidus Hyantis*] Hyas apparebit, qui fuit Atlantis ex Æthra filius. *Paul.*

P. OVIDII NASONIS FASTORUM

LIBER VI.

HIc quoq; menſis habet dubias in nomine cauſſas:
Quæ placeant, poſitis omnibus, ipſe legas.
Facta canã: ſed erunt qui me finxiſſe loquantur:
Nullaque mortali numina viſa putent.
Eſt deus in nobis: agitante caleſcimus illo:
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.
Fas mihi præcipue vultus vidiſſe deorum:
Vel quia ſum vates; vel quia ſacra cano.

Eſt

Hic quoq; menſis] Junius Majum ſequitur. Poëta triplicem menſis cauſſam affert. Aut quod à Junone *Junonius*. Aut ab Hebe, quæ in perpetua juventa eſt, Junius propter ipſos juvenes. Aut à Romanorum Sabinorumque concordia *Unius* dictus. *Habet dubias cauſſas in nomine*] Dubia origines nominis.

2. *Poſitis omnibus*] Cum expoſuero omnes quæ afferuntur.

4. *Et qui putent nulla numina viſa mortali*] Qui perſuadere ſibi non poſſint, deos ab hominibus viſos.

5. *Eſt deus in nobis*] Quaſi divinus quidam ſpiritus eſt in pectoribus poëtarum. *Agitante*] Commovente.

6. *Hic impetus*] Hic furor poëticus. *Sacræ*] Hoc eſt, divinæ mentis.

8. *Vel quia ſum vates*] Et ob id aliquid numinis mihi ineſt.

9. *Vel*

Eſt nemus arboribus denſum; ſecretus ab omni
Voce locus, ſi non obſtreperetur aquis,
Hic ego quærebam cœpti quæ menſis origo
Eſſet, & in cura nominis hujus eram.
Ecce deas vidi: non quas præceptor arandi
Viderat; Aſcræas cum ſequeretur oves.
Nec quas Priamides in aquoſæ vallibus Idæ
Contulit. ex illis ſed tamen una fuit.
Ex illis fuit una, ſui germana mariti.
Hæc erat (agnovi) quæ ſtat in arce Jovis.
Horrueram, tacitoque animum pallore fatebar.
Cum dea, quos fecit, ſuſtulit ipſa metus:
Namque ait, ô vates Romani conditor anni,
Auſe per exiguos magna referre modos,
Jus tibi feciſti numen cœleſte videndi,
Cum placuit numeris condere feſta tuis.
Ne tamen ignores, vulgique errore traharis:
Junius à noſtro nomine nomen habet.

Eſt

9. *Vel quia ſacra cano*] Ea quæ ad deos pertinent. *Eſt nemus denſum arboribus*] Locum indicat, quo ſeceſſerat, vel in ſacrum locum ſacra ſcripturus, & ab omni frequentia remotum.

11. *Niſi obſtreperetur aquis*] Nullus eſt illic ſtrepitus, niſi aquarum tantum. *Eſſet menſis origo*] Unde hic menſis originem duceret. *Hujus nominis*] Junii.

13. *Præceptor arandi*] Heſiodus: qui fatetur ſe vidiſſe Muſas. At ego vidi reginam Junonem. *Præceptor arandi*] Ob illud opus quod inſcribitur, *Opera & dies*: ubi de Re ruſtica præcepta tradidit. P. *Præceptor arandi*] Non Muſas, quas vidit Heſiodus. Docuit hic agrorum culturam.

14. *Aſcræas cum ſequeretur oves*] Aſcra, hujus patria. Ibi fuit vati ovium cura. *Neap. Aſcræas*] Ab Aſcra, quæ eſt in Bœotia, juxta Heliconis partem.

15. *Nec quas Priamides*] Nec vidi eas deas quas Paris Priami filius. *In valle aquoſæ Idæ*] In Ida monte; nota eſt fabula. P. *Nec quas, &c.*] Notum, de quibus fuit Paridis judicium in Idâ monte.

16. *Ex illis fuit una*] Juno videlicet, & ſoror & ſimul mariti conjux. *Neapol. Contulit*] Conferre voluit. *Una fuit ex illis*] Ex tribus illis quæ ſeſe Paridi obtulerunt, & Junonem oſtendit. P.

17. *Quæ ſtat in arce Jovis*] In maximo templo Capitolino: in quo tria delubra, medium Jovis, dextrum Minervæ, lævum Junonis. *Neap.*

18. *Quæ ſtat in arce Jovis*] Agnovi illam, cujus ſtatua erecta eſt in arce Capitolina.

19. *Horrueram*] Adventu tanti numinis. *Et fatebar animum*] Animi metum.

20. *Suſtulit metus*] Cum à me repulit metum, quem incuſſerat.

21. *Conditor Romani anni*] O Naſo, qui ſcribis annum à Romulo prius conſtitutum, à Numa emendatum, à Cæſaribus in certiorem ordinem redactum.

22. *Per exiguos modos*] Qui auſus es elegis verſibus ſcribere feſta, & ſacras ceremonias, & ortum occaſumque ſignorum.

23. *Jus*] Poteſtatem.

24. *Cum placuit condere*] Cum voluiſti feſtorum rationem tuo verſu canere.

26. *Junius habet nomen*] Sacer hic menſis mihi, à Junone *Junonius* eſt appellatus.

Eſt aliquid nupſiſſe Jovi, Jovis eſſe ſororem,
Fratre magis dubito glorier, anne viro.
Si genus adſpicitur; Saturnum prima parentem
Feci. Saturni ſors ego prima fui.
A patre dicta meo quondam Saturnia Roma eſt:
Hæc illi à cœlo proxima terra fuit.
Si torus in pretio; dicor matrona Tonantis:
Junctaque Tarpejo ſunt mea templa Jovi.
An potuit Majo pellex dare nomina menſi.
Hic honor in nobis invidioſus erit?
Cur igitur regina vocor, princepſque dearum?
Aurea cur dextræ ſceptra dedêre meæ?
An faciant menſem luces, Lucinaque ab illis
Dicar, & à nullo nomina menſe traham?
Tum me pœniteat poſuiſſe fideliter iras
In genus Electræ, Dardaniamque domum.
Cauſſa duplex iræ. rapto Ganymede dolebam:
Forma quoque Idæo judice victa mea eſt.

Pœ-

pellatus. P. *Nomine nomen habet*] Macrobius primo Saturnalium. *Neap.*

29. *Si aſpicitur genus*] Quaſi, ſi ratio generis eſt habenda. *Prima feci parentem*] Prima ego ex illo genita ſum. Verum ut in 4. lib. diximus, Jupiter & Juno, ſimul nati ſunt.

31. *Eſt dicta Saturnia*] Nam erat urbs Saturnia in eo colle, ubi poſtea fuit arx Roman. P. *Quondam Saturnia Roma eſt*] Vide Terentium Varronem de colle Capitolino. *Neap.*

32. *Proxima à cœlo*] Nam poſt relictum cœlum, hanc ille terram incoluit.

33. *Si thorus in pretio*] Quaſi ſi conjugalis thalamus dabit aliquid autoritatis.

34. *Templa ſunt juncta*] Capitolio. in arce enim tria erant templa ſimul juncta, Jovis, Junonis & Minervæ.

35. *An potuit Majo*] Arguit à minore ad majus. *Potuit pellex*] Maja, quæ Jovi ſuccubuit, & ex eo ſtupro Mercur. peperit. P. *Pellex dare nomina menſis?*] Pellicem vocat Majam Atlantis filiam, quæ ſuo Jovi concubuit; & jure. *Neap.*

36. *Erit in nomina invidioſus hic honor*] Erunt qui invideant nobis hunc honorem menſis.

39. *An facient menſem*] Quinto arguit à jure officii, quod lucibus præſit (unde *Lucina* dicta eſt.) *An luces facient menſem*] Cum menſis ex lucibus, hoc eſt, ex diebus conſtet. *Ab illis*] Lucibus ſcilicet, dicar ego *Lucina.* Neap.

40. *A nullo menſe*] Quaſi & nullius menſis aſſequar honorem.

41. *Tum pœniteat*] Sexto arguit à meritis, & oſtendit ſe remiſiſſe omne odium in Trojanos, cum juſta eſſet iræ cauſa.

42. *In genus Electræ*] In Trojanos, qui ab Electra matre Dardani progeniti ſunt.

43. *Rapto Ganymede*] Quod rapuerat Jupiter ad menſæ miniſterium, Troſilium. P. *Cauſſa duplex iræ*] Ganymedis raptus, adeo toro noſtro exitialis; formæ vero, judicium Paridis. Hi homines uterque Trojani: à quibus Romani originem deducunt. *Neap.*

44. *Forma quoque*] Paridis judicio.

Pœni-

Pœniteat quod non foveo Carthaginis arces;
Cum mea ſint illo currus & arma loco.
Pœniteat, Sparten, Argoſque, meaſque Mycenas,
Et veterem Latio ſuppoſuiſſe Samon.
Adde ſenem Tatium, Junonicolaſque Faliſcos,
Quos ego Romanis ſuccubuiſſe tuli.
Sed neque pœniteat: nec gens mihi charior ulla:
Hic colar, hic teneam cum Jove templa meo.
Ipſe mihi Mavors, Commendo mœnia, dixit,
Hæc tibi: tu pollens urbe nepotis eris.
Dicta fides ſequitur: centum celebramur in aris,
Nec levior quovis eſt mihi menſis honor.
Nec tamen hunc nobis tantummodo præſtat honorem
Roma: ſuburbani dant mihi munus idem.

Inſpice

45. *Pœniteat, quod non*] Doleam ego non perſtitiſſe in ſententia, ut Carthaginenſes magis, quam Romanos foverem. P.

46. *Currus*] Notum hoc ex Marone.

47. *Pœniteat Sparten*] Tres ſibi cariores urbes. Iliad. δ. Ἄργός τε Σπάρτη τε, καὶ εὐρυάγυια Μυκήνη. N. *Suppoſuiſſe Latio*] Hoc eſt, Romano imperio. *Sparten*] Quæ Lacedæmon. *Et Mycenas*] His in urbibus Juno ſumma religione colebatur.

48. *Veterem Samon*] De Samo Ionica intelligit, quæ inſula eſt in mari Icario, ubi nata putatur Juno.

49. *Adde ſenem Tatium*] Regem Sabinorum; quaſi adde Sabinos omnes, qui me pie colebant.

50. *Ego tuli ſuccubuiſſe*] Paſſa ego ſum ut omnes illi Romanis ſuccumberent.

51. *Sed neque pœniteat*] Non doleam ea feciſſe. *Nec ulla gens eſt mihi charior*] Quam ſit Romanus populus.

52. *Hic*] In urbe Roma. *Color.*] Ego: quia Romani, & celebrant mea feſta, & omni veneratione proſequuntur.

53. *Ipſe mihi Mavors*] Septimo arguit à Jure tutelæ, quoniam Mars filius eam urbem maternæ fidei commendarit. *Hæc mœnia*] Hanc urbem à filio meo conditam.

54. *Tu eris pollens*] Effulgens, & in maxima veneratione & celebritate. *Urbe nepotis*] Romuli. P.

55. *Centum celebramur in aris, &c.*] Τπερβολικῶς. Revera multa erant in Urbe Junonis fana, luci, delubra, aræ, ædes, ædiculæ ſub cognomine Caprotinæ, Jugæ, Juliæ, Lucinæ, Matutæ, Martialis, Monetæ, Sororiæ, Soſpitæ, Reginæ: & adhuc aliquot me fugiunt. *Neap. Fides ſequitur dicta*] Factum eſt quod Mars ipſe promiſit. *Centum aris*] Quaſi dicat: In centum urbis locis ſunt aræ mihi dedicatæ.

56. *Nec honor menſis eſt mihi levior*] Gravior, & non pluris id facio quam honorem menſis.

57. *Nec tamen hunc*] Suburbani habent menſem à meo nomine nuncupatum. *Idem munus*] Honorem menſis. P. *Suburbani dant mihi munus idem*] Qui ſunt in oppidis agri Romani, ſeu ut melius dicam, qui in urbicariâ degunt regione; quæ ad centeſimum uſque lapidem extendebatur. Urbicaria igitur & ſuburbicaria regio, eſt ille tractus qui urbi circumjacebat, & ab Italiâ ſeparabatur: nam inter annonariam regionem nullo modo urbicaria includebatur. Hæc etiam *Romana* nuncupatur in veteri inſcriptione, nec certe diverſa.

59. *In-*

Inſpice quos habeat nemoralis Aricia faſtos,
Et populus Laurens, Lanuviumque meum:
Eſt illic menſis Junonius, inſpice Tibur
Et Prænestinæ mœnia ſacra deæ.
Junonale leges tempus: nec Romulus illas
Condidit: at noſtri Roma nepotis erat.
Finierat Juno. reſpeximus. Herculis uxor
Stabat: & in vultu ſigna vigoris erant.
Non ego, ſi toto mater me cedere cœlo
Juſſerit, invita matre morabor, ait.
Nunc quoque non luctor de nomine temporis hujus
Blandior; & partes pœne rogantis ago.
Remque mei juris malim tenuiſſe precando,
Et faveas cauſſæ forſitan ipſe meæ.
Aurea poſſedit ſocio Capitolia templo
Mater, & ut debet, cum Jove ſumma tenet.
At decus omne mihi contingit origine menſis.
Unicus eſt, de quo ſollicitemur, honor.
Quid grave, ſi titulum menſis, Romane, dediſtis
Herculis uxori, poſteritaſque memor?
Hæc quoque terra aliquid debet mihi nomine magni
Conjugis, huc captas appulit ille boves.

Hic

59. *Inſpice quos habeat*] Leges, inquit, menſem Junonium in Faſtis municipalibus, Aricinis, Laurentinis, Lanuvinis, Tiburtinis, Prænestinis, nec cum harum urbium auctoribus ullum mihi ſanguinis vinculum. De Faſtis Prænestinis non ſilebo illud, publicatos olim ab inſigni libertino Verrio Flacco. *Neap. Aricia nemoralis*] A nemore Cynthiæ. Sed de Aricia & myſteriis ejus loci, diximus in tertio.

60. *Laurens*] A Laurento oppido, ubi fuit Latini regia. *Lanuviumque meum*] Ubi & ædes eſt Junonis. P. *Lanuviumque meum*] Ibi illi fuit ædes lucuſque ſummæ religionis: Illuc Romani, Republicâ afflictâ, confugiebant. Vide Livium lib. 22. *Neap.*

62. *Dea Prænestina*] Prænesteoppidum, ubi & templum Fortunæ, & ædes Junonis.

63. *Tempus Junonale*] Menſem Junonium. *Nec Romulus condidit*] Illos populos: quaſi ſi in his oppidis habeo menſem, quæ à Romulo condita non ſunt, multo magis debet eſſe mihi in urbe mei nepotis.

65. *Uxor Herculis*] Hebe Junonis filia, Herculi nupta. P.

67. *Non ego, ſi toto*] Inſurgit primo pro ſe Hebe, ſive Juventas; & memorat antiqua officia conjugis in urbem collata: ſecundo, juvenum cauſam tuetur.

77. *Quid grave*] Cur eſt alicui moleſtum? aut quid magni momenti eſt? *Si tu Romane & poſteritas memor*] Quæ memoria tenuiſti beneficia à viro meo collata. *Dediſti titulum menſis uxori Herculis*] Ornaſti me honore menſis, quæ Herculi nupta ſum.

79. *Hac quoque terra*] Hæc regio ubi Roma eſt. *Nomine magni conjugis*] Ob Herculis viri noſtri beneficia.

80. *Ille*] Hercules. *Appulit captas boves*] Quas ex Hiſpania abduxerat.

81. *Cæcus*

Hic male defenſus flammis & dote paterna
Cacus Aventinam ſanguine tinxit humum:
Ad propiora vocor: populum digeſſit ab annis
Romulus, in partes diſtribuitque duas:
Hæc dare conſilium, pugnare paratior illa eſt:
Hæc ætas bellum ſuader, at illa gerit.
Sic ſtatuit, menſeſque nota ſecrevit eadem.
Junius eſt juvenum, qui fuit ante ſenum.
Dixit, & in litem ſtudio certaminis iſſent,
Atque ira pietas diſſimulata foret;
Venit Apollinea longas Concordia lauro
Nexa coma, placidi numen opuſque ducis.
Hæc ubi narravit Tatium, fortemque Quirinum,
Binaque

81. *Cacus*] Qui eam latrociniis & cædibus aſſiduis urgebat. *Flammis*] Quas evomebat. *Arte paterna*] Quoniam Vulcani ſcil. fil. P. *Et dote paterna*] Ipſe de eodem Caco in primo operis. *Neap.*

82. *Aventinam humum*] Nam erat in ſpelunca montis Aventini, ubi ab Hercule interemptus eſt.

83. *Ad propiora vocor*] Quaſi, venio nunc ad ea quæ magis propria ſunt, & noſtri juris. *Digeſſit populum ab annis*] Diviſit multitudinem ab ætate, inter ſeniores & juniores. P. *Populum digeſſit ab annis*] In ſeniores, & juniores. N.

84. *In duas partes*] Senatum & plebeios, ſeu ſenectutem & juventutem.

85. *Hæc pars*] Seniorum. *Paratior dare conſilium*] Propter prudentiam, quæ in juvene eſſe non poteſt. *Illa*] Juventus. *Parat. Pugnare*] Propter vires & juvenile robur. P. *Pugnare paratior illa eſt*] Ratio apud Plutarchum in libello, An ſeni ſit gerenda Reſpublica.

86. *Bellum ſuadet*] Bonum hoc, ſed an germanum: negat meus liber, qui præfert, *bellum ſuadeat, illa gerat.* Neap. *Hæc ætas*] Senilis. *Suadet bellum*] Conſilio & rationibus. *Illa*] Juvenilis.

87. *Sic ſtatuit*] Romulus ipſe. *Et ſecrevit*] Diſtribuit. *Eâdem notâ*] Eodem titulo & appellatione.

88. *Junius eſt juvenum*] Nam à junioribus Junius dictus. *Qui fuit ante*] Menſis qui anteceſſit. *Eſt ſenum*] Nam à ſenioribus, hoc eſt, à majoribus *Majus* denominatus.

89. *Dixit*] Hebe. *Et iſſent in litem*] Juno & filia contendiſſent de honore menſis. *Studio certaminis*] Contentionis.

90. *Atque pietas*] Filiæ in patrem, & amor matris in filiam. *Ira*] Quia contentione utraque jam ira percita erat.

91. *Venit Apollinea*] Certantibus his de nomine menſis, venit Concordia, & aliam cauſam nominis attulit, à Concordia Romanorum & Sabinorum, menſem hunc *Unium* appellatum eſſe Junium. *Nexa longas comas*] Habens crines nexos, hoc eſt, coronatos. *Lauro Apollinea*] Quæ Apollini ſacra. P. *Longas Concordia lauro*] Hæc repulsâ utrâque Deâ, neſcio an docte, & ſcite, probat à junctis, Romulo, & Tatio Sabinorum Rege, menſem Junium ſic dictum, quaſi Unium, ſive Jungium.

92. *Placidi numen opuſque*] Auguſtus hic, an Tiberius? malim Tiberium; cum & ſcribat noſter in primo ſub finem, templum huic Divæ poſuiſſe. *Neap.*

93. *Hæc*] Concordia. *Ubi narravit Tatium*] Bella Tatii, regis Sabinorum, in Romulum geſta, & inita poſtea fœdera.

Binaque cum populis regna coïſſe ſuis;
Et lare communi ſoceros generoſque receptos;
His nomen junctis Junius, inquit, habet.
Dicta triplex cauſſa eſt, at vos ignoſcite divæ.
Res eſt arbitrio non dirimenda meo.
Ite pares à me. perierunt judice formæ
Pergama: plus lædunt, quam juvet una, duæ.
PRima dies tibi Carna datur. dea cardinis hæc eſt:
Numine clauſa aperit, claudit aperta ſuo.
Unde datas habeat vires, obſcurior ævo
Fama: ſed è noſtro carmine certus eris.
Adjacet antiquus Tiberino lucus Helerni:
Pontifices illuc nunc quoque ſacra ferunt.
Inde ſata eſt Nymphę (Granen dixêre priores)
Nequic-

94. *Et bina regna*] Sabinum & Romanum. *Coïſſe in unum*] Nam facta eſt utriſque populis urbs communis.

95. *Receptos*] Nam in communi urbe.

96. *His junxit*] A conjunctione & unione horum populorum. *Unius habet nomen*] Menſis *Unius* vocatus eſt.

97. *Triplex cauſa dicta eſt*] A Junone, Hebe, Concordia.

98. *Res non eſt*] Non eſt mei judici, dirimere veſtram contentionem.

99. *Ite pares à me*] Pari modo omnes laudatæ. *Perierunt judice formæ*] Periit Troja ob judi ium Paridis.

100. *Pergama*] Trojana mœnia. *Duæ plus lædunt, quam una juvet*] Veluti plus potuere Trojanos lædere Juno & Pallas, quam juvare potuerit Venus. P. *Pergama*] Troja ſcilicet, ruinam paſſa ob judicium Paridis.

101. *Dea Cardinis hæc eſt*] Hinc cuidam ex antiquis *Cardinea* hæc dicta, ſive *Cardea*: prius, inquit noſter, nominata *Crane*; quaſi dicas, ni fallor κραναίη. Hujus feſtum, ut vides, erat Calend. Junii: eandem diem in ſequentibus dat templo Junonis Monetæ, templum Martis extra portam Capenam, templo Tempeſtatis, quibus vetus Kalendarium IV. nonas his notis A. F. MART. CAR MONET. *N. Prima dies tibi*] Aggreditur nunc feſtorum rationem, & Calend. Jun. feſtum eſſe Carnæ deæ inquit. Sacrum enim illi in Cœlio monte, Calend. Junii Junius Brutus voti reus fecit. Et poëta *Carnam* quaſi cardinam dicit, quod cardinibus præſit: & fuiſſe nympham quandam quæ Crane appellata ſit, & Jano placuerit. *Datur tibi*] Nam in ea feſtum tuum celebratur. *Dea Cardinis*] Quod præeſt cardinibus januarum.

102. *Claudit aperta*] Ut clauſa pateant, & patentia claudantur.

103. *Obſcurior ævo*] Quaſi vetuſtate certior fama non habetur. *Habeat datas vires*] Quis Carnæ dederit vim vertendi cardinis, claudendi & aperiendi.

104. *Sed eris certus*] Ego te meis verſibus certiorem reddam.

105. *Helerni*] Helernum & locum, vocant, & loci Genium. *Adjacet Tiberino*] Fluvio. P. *Tiberino*] Tres apud me veteres habent, *Tiberina lucus Hilernæ*: ac ſi ſenſus, prope lucum Hilernæ adſidet alius, quo Pontifices ſacra ferunt. *N.*

106. *Ferunt ſacra illuc*] Ad eum lucum: nam eunt illuc ſacrificatum.

107. *Inde*] Ab Helerno. *Eſt ſata nymphe*] Nata Carna. *Dixere Cranem*] Prius enim *Crane*, deinde *Carna* appellata.

109. Si-

Nequicquam multis ſæpe petita procis.
Rura ſequi, jaculiſque feras agitare ſolebat,
Nodoſaſque cava tendere valle plagas.
Non habuit pharetram: Phœbi tamen eſſe ſororem
Credebant. nec erat Phœbe pudenda tibi.
Huic aliquis juvenum dixiſſet amantia verba;
Reddebat tales protinus illa ſonos:
Hæc loca lucis habent nimis, & cum luce pudoris:
Si ſecreta magis ducis in antra, ſequor.
Credulus antra ſubit: frutices hæc nacta reſiſtit:
Et latet, & nullo eſt invenienda modo.
Viderat hanc Janus: viſæque cupidine captus
Ad duram verbis mollibus uſus erat.
Nympha jubet quæri de more remotius antrum:
Utque comes ſequitur, deſtituitque ducem.
Stulta (videt Janus quæ poſt ſua terga gerantur)
Nil agis: en latebras reſpicit ille tuas.
Nil agis en, dixit: nam te ſub rupe latentem
Occupat amplexu: ſpeque potitus, ait:
Jus pro concubitu noſtro tibi Cardinis eſto.
Hoc pretium poſitæ virginitatis habe.
Sic fatus, ſpinam, qua triſtes pellere poſſet

130 A

109. *Solebat illa ſequi rura*] Non enim urbes incolebat, ſed modo rura, modo montes & nemora perertabat.

110. *Tendere*] Nodis contexta retia. *Valle cava*] In concavitate vallium.

112. *Pudenda tibi*] Tum præſtantia formæ, tum etiam ſpectatis moribus. P.

113. *Huic aliquis juvenum dixiſſet*] Deeſt particula: pro, ſi dixiſſet. *Neap.*

115. *Hæc loca lucis habent*] Deſpiciebat amantes illa hoc dolo, annuebat votis, dummodo in loca ſecretiora duceretur. *Habent nimis lucis*] Sunt nimis aperta, ergo pudor vetat hic coïre.

117. *Subit ante*] Præcedit illam.

120. *Ad duram*] Ad illam inexorabilem.

122. *Utque comes ſequitur*] Antecedentem Janum ſequebatur, veluti eum comitatura. *Et deſtituit*] Reliquit Janum.

123. *Poſt ſua terga*] Quoniam biceps eſt, videt antericra & poſteriora.

126. *Occupat te amplexu*] Invenit, & tenet te comprehenſam in compl'exu, cum ſub rupe lateres. P. *Occupat amplexu*] Hui, hui, tu ille Janus, de quo Auguſtinus VII. Civitatis Divinæ? *De Jano non mihi facile quidquam occurrit quod ad probrum pertineat.*

127. *Jus pro concubitu*] Erat illud, ut à foribus & omni limine noxia & infauſta omnia depellerer, tum nocturna ſpectra, tum alia infeſta: ea vis inſita erat ſpinæ albæ, quam Janus ei dederat: hinc introducit ſtriges quondam illam abegiſſe, quæ procæ infantis faciem in canis laniarant. N.

128. *Poſitæ virginitatis*] Quam ego violavi.

129. *Sic fatus*] Janus. *Qua*] Virga Janali, ex alba ſpina. *Poſſet pellere*] Dedit nymphæ ſpinam albam, qua freta illa repelleret è domibus ſtriges perniciosis infantibus.

A laribus noxas (hæc erat alba) dedit.
Sunt avidæ volucres; non quæ Phineïa menſis
Guttura fraudabant: ſed genus inde trahunt.
Grande caput, ſtantes oculi, roſtra apta rapinæ:
Canities pennis, unguibus hamus ineſt.
Nocte volant, pueroſque petunt nutricis egentes,
Et vitiant cunis corpora rapta ſuis.
Carpere dicuntur lactentia viſcera roſtris,
Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Eſt illis Strigibus nomen: ſed nominis hujus
Cauſſa; quod horrenda ſtridere nocte ſolent,
Sive igitur naſcuntur aves; ſeu carmine fiunt,
Næniaque in volucres Marſa figurat anus;

In

130. *Erat alba*] Plura enim ſunt ſpinarum genera, quæ à Plinio referuntur. *Paul. A ſoribus noxas*] Dioſcordes de Rhamno: Λέγεται ὑ ϗ κλῶνας αὐτῆς, δύρσις ἢ δυρίσι ωερεστῶντας, ἀποκρέμν τὰς ἐ φαρμάκων κακουργίας. Rhamnus & alba ſpina ſynonyma. Quod obſervandum duxi, omnibus ſpinarum generibus veteres noxarum pellendi vim ingenitam credidiſſe.

131. *Non quæ Phineïa menſis*] Tangit hîc Harpyias, quæ cibos & menſas Phinei fraudarunt. His, inquit, ſunt ſtriges haud multo diſſimiles, *Neap. Sunt avidæ volucres*] Striges aves eſſe dicunt nocturnas, magno capite, roſtro & unguibus aduncis, & quæ noctu infantium cunas adoriuntur, fodiuntque roſtro corpuſculum, & ſanguinem hauriunt. Multi putant non aves, ſed mulierculas eſſe, quæ ſe veneficio quodam, cum volunt, in ſtriges vertunt. *Non quæ Phineia menſis*] Non ſunt harpyiæ, quæ rapiebant epulas è menſa Phinei. Vide Valer. Flac.

132. *Trahunt inde genus*] Sed ab ipſis Harpyis originem ducunt.

133. *Stantes oculi*] Quos non movent, ut cætera animalia.

134. *Hamus ineſt unguibus*] Habent ungues hamatos, aduncos. P. *Canities pennis*] Vere neſcitur quæ ſit hæc avis; & incerta, ut fatentur omnes.

135. *Pueroſque petunt*] Huc pertinent illa Iſidori: *Hæc avis vulgo amma dicitur, ab amando parvulos: unde & lac præbere dicitur naſcentibus. Nocte volant*] Cum lucem pati non poſſint. *Nutricis*] Eunt ad infantes, unde abierit nutrix.

136. *Rapta ſuis cunis*] Quæ è cunis rapuerint.

137. *Viſcera lactentia*] Lacte plena, aut lac potantia.

140. *Quod ſolent ſtridere*] A ſtridendo igitur, quod noctu ſtrident, *ſtriges* dicuntur. P.

141. *Seu carmine fiunt, &c.*] An detur lycanthropia, haud noſtrum inquirere: ſed paſſim legitur apud Ethnicos, de quadam vetula. Iſidorus: *Striges, mulieres volaticæ.* Gloſſarium, *Striga*, λαοτρυγὼν ϗ γυνὴ Φαρμακίς. Sed *volaticæ* dictæ, ob metamorphoſin in animal volatile. N. *Sive igitur naſcuntur aves*] Quod à natura ſint volucres. *Seu fiunt carmine*] Incantatione & veneficio. P.

142. *Næniaque in volucres*] Nænia hîc non carmen lugubre, ſed verba quæ concipiebantur ad lycanthropiam. *Figurat*] Horat. Epodon libro ad Canidiam. *Caputque Marſa diſſilire nænia.* Neapol. *Nænia*] Incantatio, vel querimonia ſimilior voci flentium. *Figurat*] Tranſmutat. *In volucres*] In ipſas ſtriges. *Falſa*] Pro falſo: quia non vere tranſmutat, ſed veneficio fit, & reſumunt humanam formam, cum volunt.

143. *In*

In thalamos venêre Procæ. Proca natus in illis
Præda recens avium quinque diebus erat:
Pectoraque exſorbent avidis infantia linguis:
At puer infelix vagit, opemque petit.
Territa voce ſui nutrix accurrit alumni,
Et rigido ſectas invenit ungue genas.
Quid faceret? color oris erat, qui frondibus olim
Eſſe ſolet ſeris, quas nova læſit hyems.
Pervenit ad Granen, & rem docet. illa, Timorem
Pone, tuus ſoſpes, dixit, alumnus erit.
Venerat ad cunas. flebant materque paterque.
Siſtite vos lacrymas, ipſa medebor, ait.
Protinus arbutea poſtes ter in ordine tangit
Fronde: ter arbutea limina fronde notat.
Spargit aquis aditus, ſed quæ medicamen habebant:
Extaque de porca cruda bimeſtre tenet.
Atque ita, Noctis aves extis puerilibus, inquit,
Parcite: pro parvo victima parva cadit.

Cor

143. *In thalamos Procæ*] Venêre in cubiculum regis Albani, ubi recumbebat infans regius. *Paul. In thalamos venere Procæ*] Proca ille Rex Albanus; ſed purum fictum. *Neap.*

144. *Quinque diebus*] Quia nondum præterierat quintus dies, ex quo natus erat. *Erat præda recens*] Nam à ſtrigibus devorabatur.

145. *Et exſorbent*] Exhauriunt ſanguinem pectoris infantis.

146. *Et petit opem*] Ipſo vagitu.

147. *Voce ſui alumni*] Vagitu Procæ infantis quem alebat. *Occurrit*] Ut opem puero ferat.

148. *Genas ſectas*] Genas laceratas & depaſtas. *Rigido ungue*] Duris ſtrigum unguibus *Paul.*

149. *Quid faceret*] Qua ratione opem ferret infanti tam male affecto.

150. *Solet eſſe ſeris frondibus*] Talis in vultu puerili color erat, qualis in frondibus in extremo autumno: ſeu in principio hyemis.

152. *Erit ſoſpes*] Erit ſalvus.

153. *Mater & pater*] Aventinus cum conjuge, parentes Procæ.

156. *Ter notat*] Signat. *Limina fronde*] Et limina & poſtes eo ramo ſignat.

157. *Spargit aquis aditus*] Ipſam januam ſeu ingreſſum. *Habebant medicamen*] Ubi erat vis medendi. Aut ſpargit aquis ea quæ erant veneficio notata.

158. *Exta*] Inteſtina. *De porcæ bimeſtre*] Quæ erat duorum menſium. *Paul. Cruda bimeſtre tenet*] Solita illa plerumque elixa Diis offerri. Servius: *Reddi exta dicebantur, cum probata & elixa aræ ſuperponebantur.* Vide & Arnobium lib. 7. Hoc tamen ſacro neo cruda puto poſtea aræ cremanda impoſita; quia ſub dio, ut vides, ea locat, quæ rapere volaticas illas credebat: unde jubet ne præſentes exta reſpiciant; ut præcipit ille in Lemuralibus lib. 5. poſt jactum fabarum, ut legumen, umbra ſibi ipſi, legat.

159. *Aves noctis*] O ſtriges, quæ noctu volatis.

160. *Parcite extis puerilibus*] Nolite attingere exta pueri Procæ. *Parva victima*] Bimeſtris porca. *Cadit*] Immolatur vobis. *Pro parvo*] Infante: parvam vobis ſuillam pro parvo puero mactamus: Sumite vos precor cor pro corde, &c.

161. *Pro*

Cor pro corde precor, pro fibris ſumite fibras.
Hanc animam vobis pro meliore damus.
Sic ubi libavit, proſecta ſub æthere ponit:
Quique adſint ſacris reſpicere illa vetat.
Virgaque Janalis de ſpina ſumitur alba:
Qua lumen thalamis parva feneſtra dabat.
Poſt illud nec aves cunas violaſſe feruntur:
Et rediit puero, qui fuit ante, color.
Pinguia cur illis guſtentur larda Kalendis,
Miſtaque cum calido ſit faba farre, rogas?
Priſca dea eſt: aliturque cibis, quibus ante ſolebat:
Nec petit adſcitas luxurioſa dapes.
Piſcis adhuc illi populo ſine fraude natabat:
Oſtreaque

161. *Pro fibris*] Pueri. *Fibras*] Suillæ. P. *Pro fibris ſumite fibras*] Λοιδὸς τῦ ἱπταῖου, Græci dicerent. Hujus vero divortia notat Heſychius vocaſſe aruſpices πύλας; eaque accurate ſolita ab iiſdem inſpici.

162. *Hanc animam vobis*] Alieni fati vicariam. Videtur alludere ad eos qui ſponte mortem pro alio obibant: Græcis ἀντίψυχοι dicti. *Neap. Pro meliore*] Pro anima pueri.

163. *Sic ubi libavit*] Poſtquam ſacrificium fecit. *Ponit proſecta*] Ipſa exta quæ diis proſecantur. *Sub æthere*] Sub dio. P. *Proſecta ſub æthere ponit*] Sunt, quæ noſtri aliter dixere proſicias & præſiciasſive proſicia, exta ſecta jam in exiguas miculas. Gloſſæ exponũt θυμάτων ἀπαρχάς. His oppoquæ vocat Arnobius, *ſolida animantium viſcera*. N.

164. *Et vetat illa reſpicere*] Prohibet reflectere aciem illos qui ſunt præſentes.

165. *Et ſumitur virga*] Quam à Jano dono habuerit ad abigendas ſtriges.

167. *Poſt illud*] Poſt illam luſtrationem. *Violaſſe cunas*] Vexaſſe puerum in cunis. P. *Nec aves cunas violaſſe*] Fuere & alia antidota adverſus has. Scita carmina apud Feſtum, quibus ſoliti Græci illas avertere. Juvit etiam allium puero annexum, & utrique brachio hyenæ viventis oculus exutus. N.

168. *Et rediit color*] Nam redditus eſt incolumis.

169. *Pinguia cur illis*] Huic deæ, ut ſuperius diximus, pulte fabacio & lardo ſacrificatur, quod vires his rebus maxime corporis corroborentur. Poëta aliam cauſam affert, quod antiqua dea antiquis cibis contenta ſit. *Larda vinguia*] Lardum ſuillum. *Guſtentur illis*] Calend. 1. die Junii. P. *Pinguia cur illis*] De ſacrificiis quæ Divæ Carnæ fiebant, vide Macrobium primo Saturnalium. Naſo referet ad frugales antiquorum mores & cibos.

170. *Miſtaque cum calido farre*] Hæc puls fabaria ſeu fabata. Unde *fabataria* dicta vaſa, quibus hujuſmodi cibus conditus infundebatur, pulmentarium ex fabâ & farre, Græcis ἔτνος dictũ, quod nomen genericum adſignificans quodvis pulmentarium ex leguminibus confectum. Unde Athenæus lib. 9. vocat ἑτνοῦν ἔψημα, juſculum ex iſtis paratum. N. *Cum calido farre*] Nam datur fabacium cum farre mixtum.

171. *Priſca dea eſt*] Nympha antiqua. *Quibus ſolebat ante*] Eo tempore quo non erat tanta ciborum luxuria.

172. *Aſcitas*] Aliunde advectas.

173. *Adhuc*] Uſque ad illa tempora. *Piſcis*] Illis nondum erat uſus edendorum piſcium, ut nec oſtrearum. P.

174. *Tuta*

Oſtreaque in conchis tuta fuêre ſuis:
Nec Latium nôrat, quam præbet Ionia dives:
Nec quæ Pygmæo ſanguine gaudet, avem.
Et præter pennas nihil in pavone placebat:
Nec tellus captas miſerat ante feras.
Sus erat in pretio: cæſa ſue feſta colebant:
Terra fabas tantum, duraque farra dabat.
Quæ duo miſta ſimul ſextis quicunque Kalendis
Ederit; huic lædi viſcera poſſe negant.
Arce quoque in ſumma Junoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille, tuo.
Ante domus Manli fuerat: qui Gallica quondam
A Capitolino reppulit arma Jove.
Quam bene, dî magni, pugna cecidiſſet in illa
Defenſor ſolii, Jupiter alte, tui.

Vixit,

174. *Tuta fuere ſuis*] Nihil his frequentius poſtea in cœnis priſci ſæculi, imo ante cœnam: nam ad guſtationem & προόμια, ut ita loquar, illis uſum. Vide Macrobium III. Saturnalium.

175. *Quam præbet Ionia dives*] Ignoti Latinis, inquit erant attagenes; dixit, *Ionicos*: non quod in reliquis Aſiæ provinciis rarus hic ales; ſed quia Ionicus ſapore reliquos Aſiaticos longe ſuperabat. Attagen, nos ex Græco habemus; Latinis eſt, *ruſticula ſive gallina ruſtica*.

176. *Nec quæ, &c.*] Gruibus & cygnis oculos conſuebant, & in tenebris ad victum ſaginabant. N.

177. *Nihil placebat in pavone, præter pennas*] Admirabantur tantummodo pennas pavonum, eos autem comeſſe nondum didicerant.

178. *Nec tellus miſerat ante*] Non erat uſus venationis, aut aucupii.

179. *Sus erat in pretio*] Suem cæteris præferebant. *Colebant feſta*] Quaſi diebus feſtis, diis ſuem immolabant.

180. *Fabas, & dura farra*] Hi fructus è tellure percipiebantur.

181. *Qua duo ſimul mixta*] Pultem fabaceam & farra. *Sextis Kalendis*] Primo die ſexti menſis, ipſis Kal. Jun. P. *Sextis quibuſcunque Kalendis*] Si numeres Kalendas à Januario, hæ Juniæ erunt 6. Frequens loquendi modus Juriſconſultis. Sed obſerva Junias ob hujuſmodi eſum dictas *fabarias*. In Kalendario Conſtantini magni prima dies menſis Junii ſic notatur. FABARICI. N.

182. *Negant huic poſſe ladi viſcera*] Non poſſunt corrumpi aliquo modo viſcera edentis: imo his cibis corroboratur corpus.

183. *Arce quoque in ſumma*] Kalendis Juniis ædem Junoni Monetæ conſecrarunt, in ea parte Capitolii in qua fuerat domus Marci Manlii Capitolini. *Junoni Monetæ*] Conſecrata ſub appellatione *Junonis Monetæ*. *In ſumma arce*] In ſummo Capitolio.

184. *Tuo voto*] Ex eo quod tu voveras. P. *Ex voto memorant*] Hujus nec verbum quidem in Plutarcho, ſed tantum de dirutâ Manlii domo; quaſi hanc ob cauſam in ejuſdem aream à Senatu ædem Monetæ collocatam.

185. *Ante domus Manli fuerat*] Vide Livium lib. 7. N. *Fuerat ante*] Domus Manli, in eo loco erant ædes M. Manlii Capitolini.

186. *Qui reppulit arma à Jove Capitolino*] Repulit Gallos, cum jam eſſent occupaturi aream.

187. *Quam bene cecidiſſet*] Quam glorioſe mortuus eſſet tum, cum Gallos repulit.

188. *Defenſor ſolii tui*] Qui defendit aream & templum tuum.

189. *Vixit*]

Vixit, ut occideret damnatus crimine regni.
Hunc illi titulum longa ſenecta dabat.
Lux eadem Marti feſta eſt: quem proſpicit extra
Appoſitum Tectæ porta Capena viæ.
Te quoque, Tempeſtas, meritam delubra fatemur;
Cum pene eſt Corſis obruta claſſis aquis.
Hæc hominum monumenta patent. ſi quæritis aſtra;
Tunc oritur magni præpes adunca Jovis.
POſtera lux Hyadas taurinæ cornua frontis
Evocat: & multa terra madeſcit aqua.
MAne ubi bis fuerit, Phœbuſque iteraverit ortus;
Factaque erit poſito rore bis uda ſeges;
Hac ſacrata die Tuſco Bellona duello
Dicitur:

189. *Vixit*] Manlius. *Ut occideret*] Ut interimeretur. *Damnatus crimine*] Condemnatus quod regnum affectaſſet. P. *Damnatus crimine regni*] Ob id ſaxo Tarpejo dejectus: locuſque idem in uno homine, & eximiæ gloriæ monimentum, & pœnæ ultimæ fuit. N.

190. *Dabat illi hunc titulum*] Hanc notam affectati regni.

191. *Lux eadem Marti*] Kalendis etiam Juniis feſtum eſt Martis. *Paul. Lux eadem Marti feſta eſt*] Iiſdem Kal. Juniis Marti litabant extra portam Capenam, ubi templum habebat. Id in Livio lego: *Cum omnes extra portam Capenam ad Martis ædem convenire juniores armatos juſſiſſet.* Hæc ædes à Lucio Sullâ Felice reſtituta, aucta, ac ſupra centum columnas impoſita; poſtea diruta precibus Stephani Pontificis Maximi, cum juſſu Galieni ibi cogeretur ſacrificare.

192. *Tecta porta Capena*] An Appia eſt *via tecta*, hoc eſt, lapide ſtrata, quæ à Capena porta incipiebat? an noſtro inhærebis Codici, in quo *dextra*? ac ſi bivium extra portam fuiſſet, dextrâque viâ templum iſtud poſitum.

193. *Meritam delubra fatemur*] Tempeſtatis ædem aiunt votam à M. Marcello, qui bello Punico ſecundo Syracuſas vicit, ab Oceani periculo liberato; cum in Corſicam & Sardiniam navigaret. Situs ædis fuit in Appiâ etiam extra portam Capenam, ut illa Martialis. *N.*

194. *Aquin Corſis*] In mari prope Corſicam.

195. *Hæc monumenta hominum*] Manifeſta ſunt, quæ ab hominibus facta ſunt.

196. *Tunc*] Eodem die Kalendarum. *Præpes adunca*] Oritur Aquila. *Præpes*] Præpetes aves, quæ volatu exhibent augurium. *Oſcines*, quæ ore canunt. *Adunca*] Ab aduncis unguibus. P. *Tunc oritur*] Eiſdem Kalendis oſtendit ortum totius Aquilæ veſpertinum: cui adſtipulatur Columella, & Plinius.

197. *Poſtera lux*] IV. Nonas Hyades oriuntur heliace. *Neap. Evocat*] Ab ipſo oriente. *Cornua taurinæ frontis*] Quoniam Taurus ab ortu ſurgit.

198. *Multa aqua*] Ob pluviam, quam Hyades inferunt.

199. *Fuerit bis mane*] Bis illuxerit. *Et Phœbus iteraverit ortus*] Erit in oriente ſol. P. *Mane ubi bis fuerit*] Pridie Nonas Junii Bellonæ ædes conſecrata in circo Flaminio verſus portam Carmentalem. In hac dabatur Senatus Legatis exteratum nationum, quas in urbem admittere nolebant; item Ducibus è bello revertentibus. N.

200. *Et ſeges bis erit facta*] Ubi fruges & herbæ cœleſti rore bis erunt madefactæ.

201. *Hac die dicitur ſacrata*] Hoc eſt, ædes Bellonæ bello Hetruſco conſecrata

Dicitur: & Latio proſpera ſemper adeſt.
Appius eſt autor: Pyrrho qui pace negata
Multum animo vidit; lumine caſſus erat.
Proſpicit à tergo ſummum brevis area circum,
Eſt ibi non parvæ parva columna notæ.
Hinc ſolet haſta manu belli prænuncia mitti
In regem & gentes, cum placet arma capi.
ALtera pars Circi cuſtode ſub Hercule tuta eſt:
Quod deus Euboïco carmine munus habet.
Muneris eſt tempus, qui nonas Lucifer ante eſt.
Si titulos quæris: Sylla probabit opus.

QUæ-

ſecrata fuit. P. *Tuſco Bellona duello*] In eo caſtra hoſtium ab Appio capta, imo direpta, præda ingens parta, & militi conceſſa, ſeptem millia & trecenti occiſi, duo millia & centum viginti capti. N.

202. *Et ſemper adeſt proſpera Latio*] Semper enim Romanis favet.

203. *Appius*] Claudius, qui bello Samnites, Sabinos, & Thuſcos domuit, viam uſque Brundufium lapidibus ſtravit. *Eſt autor*] Illius templi.

204. *Multum vidit animo*] Quaſi fuit ille magni conſilii, & multa quidem animo proſpiciebat, cum eſſet autor negandæ pacis Pyrrho regi Epirotarum. P. *Pyrrho qui pace negata*] Hic Pyrrhus Epirotarum Rex ſuppetias Tarentinis dedit, indicto eis à Romanis bello: ipſe in Italiam venit anno Urbis conditæ CDLXXIII. ſibique junxit Samnites, Lucanos, Brutios. Vaſtavit multam Italiæ partem; deinde à Romanis petiit pacem eo pacto ut oppida jam victa fas eſſet ei retinere: negatum hoc Appii cæci ſtimulis. *Is* poſtea victus, & ex Italiâ pulſus anno Urbis conditæ CDLXXVIII. *Multum animo vidit, &c.*] Tunc enim captus utroque oculo, imo & ſurdus id temporis eſſe cupivit; ne quoſdam in Senatu audiret ad fœdam pacem inclinantes. *Neap.* *Lumine traxit cæcus*] Nam captus oculis erat Appius.

205. *Proſpicit ſummum Circum*] Summam Circi partem. *A tergo*] A latere. Erat enim area juncta Circo, ab altiore & extrema ejus parte.

206. *Non parvæ notæ*] Sed magnæ: nam ſit magnorum bellorum [gratia] P. *Parva columna notæ*] Optime; nam vere parva, & columella. Vide Feſtum Pompejum. *Neap.*

207. *Hinc*] Ex hac columella. *Paul.* *Belli prænuncia mitti*] Idque ecce clarius è Dione de M. Antonino in Marcomannico bello. *Neap.*

208. *In regem & gentes*] Sive in aliquem regem pugnandum ſit, ſive in gentes & nationes.

209. *Altera pars Circi*] Quæ eſt oppoſita templo Bellonæ. *Eſt tuta ſub Hercule cuſtode*] Quaſi eſt ſub tutela & cuſtodia Herculis, qui illic habet templum. *Paul.* *Altera pars Circi*] In reliquâ parte Circi Flaminii erat ædes Herculis Magni Cuſtodis: Fragmentum veteris Kalendarii: HERCULI MAGNO CUSTODI IN CIRCO FLAMINIO. Auctorem hujus templi fateor me ignorare. *Neap.*

210. *Quod munus*] Quam ædem. *Deus*] Hercules. *Habet Euboico carmine*] Ex inſpectione carminis Sibyllini. *Euboico*] Cumæo.

211. *Tempus muneris*] Conſecrationis templi. *Qui lucifer eſt ante nonas*] Eo die qui præcedit nonas, id eſt, pridie nonas Junias.

212. *Si quæras titulos*] ipſius templi, quo titulo ſignetur. *Sylla probavit opus*] A ſenatu enim conditum, probatumque à Sylla dictatore, qui ex univerſis fortunis Herculi decimam ſacrificans, opipara populo fecit convivia. *Paul.* *Sylla probavit opus*] Nullus mihi nec vetus nec novus ſcriptor, qui hoc probet.

QUærebam Nonas Sancto Fidione referrem,
An tibi Semo pater: tunc mihi Sancus ait:
Cuicunque ex iſtis dederis; ego munus habebo.
Nomina trina fero: ſic voluêre Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini:
Inque Quirinali conſtituêre jugo.
EST mihi (ſitque precor noſtris diuturnior annis)
Filia: qua felix ſoſpite ſemper ero.
Hanc ego cum vellem genero dare; tempora tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent.
Tum mihi poſt ſacras monſtratus Junius Idus.
Utilis & nuptis, utilis eſſe viris.
Primaque pars hujus thalamis aliena reperta eſt.

Nam

213. *Sancto Fidione referrem*] Hic Deus præcipue cultus à Sabinis: & Fidius, & Sabus, & Sanctus, & Semipater vocatus. Sed puto diverſum Sanctum à Sabo; ex quo Sabinos nomen accepiſſe M. Cato in Originibus tradit his verbis: *Nomen eſſe impoſitum ex Sabo Divi Sanci Gentilis filio.* Mens ſane Poëtæ fuit, ut exiſtimaret à Sancto originem Sabinos, ſed à Sabo nomen traxiſſe: Sanctus enim fuit primus Sabinorum Rex. Relatus ergo in Deorum ſynodum à Sabinis, imo à Romanis. *Neap. Quærebam Nonas Sancto Fidione, &c.*] Nonis Juniis colitur Trinomius deus, Sanctus, Fidius, Semipater. *Paul.*

214. *An tibi Semo pater*] Non ſuadet Inſcriptio Reatina:
SEMIPATRI SANCO. *Neapol.*

215. *Cuicunque ex illis dederis*] Cuicunque referes ipſum diem. *Ego habebo munus*] Quaſi mihi aſſignabis, & mihi ſacrificabis.

216. *Ego fero tria nomina*] Sum trinomius. *Sic voluere Cures*] Sabini: à Curibus, quæ erat urbs oppulentiſſima. *Paul.*

217. *Donarunt æde Sabini*] Hi ergo populi templi auctores. O ſi verum! Sed vereor ne verior Dionyſius lib. 9. qui ſcribit, Spurium Poſtumium Conſulem dedicaſſe anno Urbis conditæ CCXCVIII. ultimum vero Tarquiniis exuxiſſe, gloriam tamen inſcriptionis Poſtumio ex S. C. conceſſam. Forte ob odium in Tarquinios. *Neap.*

218. *Et conſtituêre in jugo*] Hoc eſt, in monte Quirinali.

219. *Eſt mihi filia*] Habeo ego filiam, & precor ſit ſuperſtes, vitæ meæ, & longiore tempore vivat. *Paul. Noſtris diuturnior annis filia*] Hujus nomen non legi: hoc teneo, ex eâ nepotes Ovidium habuiſſe; idque ipſomet atteſtante in Triſtibus.

Filia me meaque bis primâ fecunda juventâ,
Sed non ex uno conjuge, fecit avum.
Tangit filiæ διγαμίαν. *Neap.*

220. *Qua ſoſpite ſemper ero felix*] Quæ filia dum mihi ſalva & incolumis eſt, ſemper me ego felicem exiſtimabo.

221. *Dare genero*] Cum tradere eam vellem viro. *Quæ tempora eſſent apta tædis*] Congrua facibus matrimonialibus, hoc eſt, ipſis nuptiis.

222. *Et quæ forent cavenda*] Quæ eſſent minus congrua, & ſic evitanda.

223. *Poſt ſacras idus*] Poſtquam tranſierint idus, utile eſſe tempus utriſque, & puellis & juvenibus, ad conjugium. *Sacras idus* dixit: nam & omnes idus Jovi ſacræ ſunt.

225. *Primaque pars hujus*] Menſis Junii. *Aliena thalamis*] Non conveniens nuptiis.

226. *Sum-*

Nam mihi ſic conjux ſancta Dialis ait:
Donec ab Iliaca placidus purgamina Veſta
Detulerit flavis in mare Tybris aquis;
Non mihi detonſa crinem depectere buxo,
Non ungues ferro ſubſecuiſſe licet:
Non tetigiſſe virum; quamvis Jovis ille ſacerdos,
Quamvis perpetua ſit mihi lege datus.
Tu quoque ne propera: melius tua filia nubet;
Ignea cum pura veſte nitebit humus.
Tertia poſt Nonas removere Lycaona Phœbe
Fertur: & à tergo non habet urſa metum.
Tunc ego me memini ludos in gramine campi
Adſpicere:

226. *Sancta Dialis*] *Sic* dixit uxor flaminis Dialis. *Paul.*

227. *Donec ab Iliaca*] Uſque ad 17. Junii diem.

228. *In mare Tybris aquis*] Cui credam, Feſto, Varroni, an noſtro? Illi ajunt delatum in locum certum, imo hunc portâ clauſum ad venerationem: Naſo vult jactum in Tiberim. Hæreo. *Aquis flavis*] Turbidis.

229. *Detonſo crinem depectere Buxo*] Sic legas. Detonſus eſt raſilis. His ergo diebus Flaminicæ Diali veritus concubitus, ungues ferro ſecare, capillum depectere: quod ei etiam præcipue non fas per id tempus quod Argeos itabat, ut 15. & 16. Kalendas Aprileſ; noſter menſe Martio. *Neapol. Non licet mihi depectere crinem*] Quaſi non poſſum ego ſine piaculo pectere comas. *Buxo detonſo*] Pectine buxeo. Aliqui legunt, *Crinem detonſum*. Aliqui, *Buxo detonſo*.

230. *Non licet ſubſecuiſſe ungues*] Nec ſine piaculo poſſum ungues reſecare. *Paul. Ferro ſubſecuiſſe licet*] Diebus licitis ſegmina ſubter arborem ſiliquam terrâ operiebantur. Vide leges Flamini & conjugi impoſitas ex libris Sacerdotalibus apud A. Gellium lib. 10. cap. 15. *Neap.*

231. *Non tetigiſſe virum*] Nec licet tangere conjugem.

232. *Quamvis ſit ille Jovis ſacerdos*] Licet ſit flamen Dialis. *Quamvis ſit datus mihi*] Ut divortium faceremus non poſſimus. Hæc ergo fieri non poſſunt, donec placidus Tybris detulerit purgamina in mare ab Iliaca Veſta: uſque quo purgatum erit templum Veſtæ Iliacæ, & omnia quæ ſunt in eo, munda & nitida reddita, & ſordes & ipſa purgamina jacta in Tybrim, ferenda in æquor. *Paul. Perpetua ſit mihi lege datus*] Quid iſtud eſt? ergo divortium Flaminicæ vetitum fuit. ita: nam univira & unicuba eſſe debebat. *Neap.*

233. *Tu quoque ne propera*] Noli accelerare nuptias. *Tua filia melius nubet*] Feliciore omine tradetur viro.

234. *Cum ignea humus*] Terræ globus: quæ in templo ſuſtinet ignem Veſtalem. *Nitebit pura veſte*] Cum erit jam purgata & nitida.

235. *Tertia Phœbe*] Tertia nox poſt nonas. *Fertur removere Lycaona*] Calyſto Lycaonis filiam, hoc eſt, ipſum urſum: quia tunc occidit. *Paul. Tertia poſt Nonas*] 7. Idus Arctophylax occidit nunc. *Neap.*

236. *Et urſa non habet metum a tergo*] Reſpexit ad fabulam, cum Arcas filius adultus matrem in urſam mutatam inſequeretur. Nunc cum occidat, non timet inſequentem filium.

237. *Tunc ego, &c.*] Eodem die fiebant ludi in campo Martio, qui *Tibrales* dicti ſunt ad honorem Tiberidis, & feſtum à piſcatoribus celebratur. *Tunc*] Septimo idus. *In gramine campi*] In graminoſo campo Martio.

Adſpicere: & didici lubrice Tybri tuos.
Feſta dies illis, qui lina madentia ducunt,
Quique tegunt parvis æra recurva cibis.
MEns quoque numen habet. Menti delubra vide-(mus
Vota metu belli, perfide Pœne, tui.
Pœne rebellaras: & letho conſulis omnes
Attoniti Mauras pertimuêre manus.
Spem metus expulerat; cum Menti vota Senatus
Suſcipit: & melior protinus illa venit.
Adſpicit inſtantes mediis ſex lucibus Idus
Illa dies, qua ſunt vota ſoluta Deæ.
VEſta fave: tibi nunc operata reſolvimus ora:
Ad tua ſi nobis ſacra venire licet.
In prece totus eram. cœleſtia numina ſenſi,
Lætaque purpurea luce refulſit humus.

Non

238. *Et ô Tybri lubrice*] Qui facillime laberis. *Memini didici tuos ludos*] Quod ad honorem tuum fierent.

239. *Qui ducunt lina madentia*] Eſt feſta dies piſcatoribus, qui tradunt linea retia aquis madefacta.

240. *Et qui tegunt æra recurva*] Hamos curvatos. *Parvis cibis*] Quibus piſces decipiunt. *Paul.* *Æra recurva*] Γναμπὰ ἀγκιστρα, dixit Homerus in Odyſſeâ.

241. *Mens quoque numen habet*] Poſt infelicem illam Romanorum cladem ad lacum Traſymenum. *Delubra videmus Vota*] Suaſu Decemvirûm. Poſt inſpectos libros Fatales, ædem vovit Attilius Prætor, dedicavit T. Octacilius Craſſus. Vide Livium lib. 32. & 33. *N. Mens quoque habet numen*] Quia conſecrata, & inter deos collocata.

242. *Pœne perfide*] O Hannibal, qui nunquam ſervabas fœdera cum tua bella timerent Romani, voverunt ædem Menti.

243. *Pœne rebellaras*] Et eras tu rebellis, & ad rebellandum cogebas alios populos. *Letho conſulis*] Morte Pauli Æmilii ad Cannas. *Paul. Letho Conſulis*] C. Flaminii. *Neap.*

244. *Pertimuêre manus Mauras*] Hoc eſt, vires Afrorum.

245. *Spem metus abſtulerat*] Nihil enim ſpei relictum erat, omnia metus occuparat. *Suſcipit vota*] Nuncupavit ipſe ſenatus vota.

246. *Melior protinus venit*] Perſolutis votis, ſtatim inière meliora conſilia, & præfecêre bello Scipionem adhuc adoleſcentem, qui ſemper fœliciſſime pugnavit.

247. *Aſpicit idus inſtantes*] Inſtantem diem iduum. *Sex lucibus*] Diebus mediis. ſic indicat ſeptimum iduum. *P. Mediis ſex lucibus Idus*] Oſtendit quo die conſecrata: hoc eſt, eodem 7. Idus. *Neap.*

248. *Illa dies*] Qua ſunt ſoluta vota deæ.

249. *Fave*] O Veſta, mihi tua myſteria relaturo. *Nunc reſolvimus tibi ora operata*] Officioſa: nos de te agere ex officio incipiemus. *Paul. Tibi nunc operata reſolvimus ora*] 5. Idus erant ſacra Veſtalia, ut monent Kalendaria. De feſto M. Varro lib. 5. *Dies Veſtalia, ut virgines Veſtales Veſta ſacrificent.* Neap.

250. *Si licet nobis*] Cum non liceat niſi virginibus, ideo inquit, *Si licet nobis.*

251. *Senſi*] Quaſi adeſſe cognovi. *Numina cœleſtia*] Ipſam deam.

252. *Et humus lata*] Ob præſentiam numinis. *Refulſit luce purpurea*] Splendore ignis.

253. *Valeant*

Non equidem vidi (valeant mendacia vatum)
Te dea: nec fueras adſpicienda viro.
Sed quæ neſcieram, quorumque errore tenebar,
Cognita ſunt illa præcipiente mihi.
Dena quater memorant habuiſſe Palilia Romam,
Cum flammæ cuſtos æde recepta ſua eſt.
Regis opus placidi, quo nec metuentius ullum
Numinis ingenium terra Sabina tulit.
Quæ nunc ære vides, ſtipula tunc tecta videres:
Et paries lento vimine textus erat.
Hic locus exiguus, qui ſuſtinet atria Veſtæ;
Tunc erat intonſi regia magna Numæ.
Forma tamen templi, quæ nunc manet, ante fuiſſe
Dicitur: & formæ cauſſa probanda ſubeſt.
Veſta eadem eſt, quæ Terra: ſubeſt vigil ignis utriq;
Significant ſedem terra focuſque ſuam.

Terra

253. *Valeant mendacia vatum*] Quaſi ingenuè fateor non vidiſſe te.

255. *Quorum errore trahebar*] In quibus errabam & de quibus eram dubius. *Paul.*

257. *Dena quater memorant*] Annus erat XL. Urbis conditæ.

258. *Æde recepta Dea eſt*] Recte: nam ſequitur, hanc ædem *Regis opus placidi*; id eſt, à Numâ templum conditum. *Recepta Dea eſt*] Et ubi antea ſacra hæc Veſtæ? Ilium certe habuit primitus; poſtea ab Æneâ Lavinii conſtituta: inde in Albam longam tranſtulit Aſcanius, Numa vero in Urbem. *Neap.*

259. *Metuentius numinis*] Quod magis religioſum eſſet.

261. *Quæ nunc ære nitent*] Templa Veſtæ, quæ nunc aurata ſunt, & auro effulgent. *Tunc*] Numæ tempore. *Tecta ſtipula*] His erant tecta.

262. *Textus*] Compoſitus. *Vimine lento*] Flexibili: non enim erat marmoreus paries. *Paul. Lento vimine textus erat*] Hic in ipſâ novâ æde, ni fallor, poſtea religione ſervatus eâdem quâ vetus illa Romuli caſa: & hunc puto Feſti *penum*.

263. *Qui ſuſtinet atria Veſtæ*] Atrium erat ubi illæ degebant, Plinius. *Virgines cum vi morbi atrio Veſtæ coguntur excedere, matronarum cura cuſtodiaque mandantur.* Illud igitur fuerat pars regiæ, quam *parvam* alicubi vocat, hic *magnam*. Neap. *Qui ſuſtinet atria Veſtæ*] Ubi nunc eſt Veſtæ atrium, ſive area. *Tunc erat*] Hoc erat ingens regis Numæ palatium. Ad indicandam illius moderationem.

265. *Forma tamen templi*] Quæ manet nunc. *Dicitur fuiſſe ante*] A principio forma templi erat rotunda, ut nunc etiam eſt. *Paul. Quæ nunc manet*] Rotunda ſcilicet eſt: nec alia dicitur fuiſſe antiquæ ædis forma. *Neap.*

266. *Et ſubeſt cauſſa probanda formæ*] Eſt probabilis ratio ipſius rotunditatis. *Paul. Forma templi*] Ædes Veſtæ ideo rotunda facta eſt, ad pilæ ſimilitudinem, quod eam deam crederent Terram eſſe. *Ant.*

267. *Veſta eadem eſt*] Non ſunt diverſa, ſed ſunt idem. nam Terra Veſta dicitur. *Ignis vigil*] Inextinctus. *Subeſt utrique*] Veſtæ & terræ. *Terra habet ignis elementum*] Veſta in templo habet ignem inextinctum.

268. *Significant ſedem ſuam*] Nam terra eſt in medio loco totius mundi, & focus ille eſt in medio templo: ſic oſtendunt ſuam ſedem.

269. *Terra*

Terra pilæ ſimilis nullo fulcimine nixa:
Aëre ſubjecto tam grave pendet onus.
Ipſa volubilitas libratum ſuſtinet orbem,
Quique premat partes angulus omnis abeſt.
Cumque ſit in media rerum regione locata,
Et tangat nullum pluſve minuſve latus;
Nî convexa foret, parti vicinior eſſet:
Nec medium terram mundus haberet onus.
Arce Syracuſia ſuſpenſus in aëre clauſo
Stat globus immenſi parva figura poli:
Et quantum à ſummis, tantum ſeceſſit ab imis
Terra: quod ut fiat, forma rotunda facit.
Par facies templi: nullus procurrit in illo
Angulus. à pluvio vendicat imbre tholus.
Cur ſit virgineis, quæris, dea culta miniſtris?
Inveniam cauſſas hac quoque parte ſuas.
Ex Ope Junonem memorant Cereremque creatas
Semine Saturni, tertia Veſta fuit.

Utraque

269. *Terra ſimilis pilæ*] Quæ globata & rotunda ad pilæ ſimilitudinem. *Nixa*] Firmata. *Nullo fulcimine*] Quia librata in aere pendet.

270. *Pendet in aere ſubjecto*] Suppoſito, & undique circumfuſo.

277. *In aere clauſo*] In ipſa templi concavitate. *Arte Syracuſia*] Geometria. Nam ſicut terra in aëre pendet, ita intra templum Veſtæ globus ille, quo terra referebatur, pendere videbatur. Sed id geometrica arte Archimedis, qui Syracuſis in ea floruit. Hic ſphæram commentus dicitur, qua mundi & elementorum rationem oculis ſubjecit.

278. *Parva figura immenſi poli*] Globata, & rotunda, atque exigua effigies magnæ telluris. *Paul. Stat globus*] Significat illam ſolidam Archimedis ſphæram. Solidæ opponitur κεχωσὴ, quæ intus aerem non claudit.

279. *Tantum ſeceſſit ab imis Terra*] In ejus, inquit, medio puncti inſtar hærebat tellus. Scias illam è vitro fabricatam: ut id perſpici poſſet, motus etiam ipſi cœleſtes, ſiderum ortus, & occaſus, mentitus Signifer, ſimulacra Cynthia, ut cum Claudiano loquar. *Neap. Quantum à ſummis*] A ſuperiore parte cœli. *Diſceſſit ab imis*] Ab inferiore parte.

280. *Quod ut fiat*] Ut undique ſit par diſtantia à terra ad cœlum. *Facit forma rotunda*] Ipſius terræ, & concavitatis cœli, quæ circulariter ambit terram.

281. *Par facies templi*] Nam itëdem rotundam formam habet.

282. *Tholus*] Illud faſtigium templi teſtudine. *Vindicat*] Tuetur & liberat quæ intus ſunt. *Paul. A pluvio vendicat imbre tholus*] Græci hujuſmodi templum dicerent ναὸν θολοειδῆ.

283. *Cur ſit virgineis*] Duplicem aſſignat cauſam, cur Veſtæ virgines inſerviant. Prior eſt, quod inter ſorores tantum ipſa remanſerit viri impatiens: altera, quod Veſta ſit eadem cum igne, à quo nihil generatur. *Neap. Sit culta a virginibus miniſtris*] Cur virgines præſint adminiſtrationi ſacrorum Veſtalium.

285. *Ex Ope*] Dicunt ex Rhea & Saturno natas eſſe filias plures, quarum prima Juno fuerit, ſecunda Ceres.

286. *Tertia Veſta fuit*] Ex filiabus tertio loco nata eſt Veſta.

287. *Utra-*

Utraque nupſerunt: ambæ peperiſſe feruntur:
De tribus impatiens reſtitit una viri.
Quid mirum, virgo ſi virgine læta miniſtra
Admittit caſtas in ſua ſacra manus?
Nec tu aliud Veſtam quam vivam intellige flammam.
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur virgo, quæ ſemina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis habet.
Eſſe diu ſtultus Veſtæ ſimulacra putavi:
Mox didici curvo nulla ſubeſſe tholo.
Ignis inexſtinctus templo celatur in illo.
Effigiem nullam Veſta, nec ignis habent.
Stat vi terra ſua: vi ſtando Veſta vocatur.
Cauſſaque par Graij nominis eſſe poteſt.
At focus à flammis, & quod fovet omnia dictus:
Qui tamen in primis ædibus ante fuit.
Hinc quoque veſtibulum dici reor: inde precando
Præfamur Veſtæ, quæ loca prima tenes.

Ante

287. *Utraque*] Juno & Ceres. *Una de tribus*] Veſta. *Fuit impatiens*] Cum virginitatem ſervaret, viro non ſuccubuit.

292. *De flamma nulla corpora vides*] Flamma nihil gignit, fic ex ea nulla naſcuntur corpora. *Paul. Corpora nulla vides*] Veriorem ſententiam hic noſter ſecutus. Placuit enim Sophis quibuſdam, ignem noſtrum, & elementarem ſua quoque creare animalia. *Neap.*

293. *Quæ remittit nulla ſemina*] Quaſi, quæ nec recipit ſemina, nec remittit corpora ex ſemine nata, hinc nulla eſt generatio.

294. *Nec capit ſemina*] Quia non concipit. *Et amat comites*] Virgines miniſtras.

295. *Eſſe diu ſtultus*] Putabam, inquit puera, eſſe aliquam Veſtæ effigiem, ſed nihil eſt niſi perpetuus ignis, cujus non eſt dare ſimulacrum, nec etiam Veſtæ. *Ego ſtultus*] Imprudens.

296. *Mox*] Cum nunc animo volverem. *Didici*] Inſpirante numine. *Nulla ſubeſſe curvo tholo ſimulacra*] Nulla eſſe ſimulacra ſub ipſa teſtudine templi.

299. *Terra ſtat vi ſua*] Sua mole librata, & ſua vi immobilis exiſtit. *Veſta vocatur*] Quoniam, Veſta eadem eſt & terra: eo quia vi ſtat, *Veſta* dicitur.

300. *Et pars Graii nominis*] Poteſt hoc Latinum nomen habere originem à Græco nomine: quoniam ἑστία *focus*, & *Veſta*, & *lar*, & *domus* dicitur. *Paul. Par Graii nominis*] Nam Ἑστίαν Græci dicunt ἀπὸ τῦ ἑστάναι. *Neap.*

301. *At focus*] Et quod omnia foveat, vel à *fovendo* focus derivatur.

302. *Qui tamen*] Focus. *Ante fuit in primis ædibus*] Olim in prima ædium parte erat.

303. *Hinc*] A Veſta. *Dici veſtibulum*] Propterea quod focus in veſtibulo ſit, exiſtimo à *Veſta* veſtibulum dici. P. *Hinc quoque veſtibulum dici reor*] Primorem illam domus partem à Veſtâ, hoc eſt, igni: nam in veſtibulo erat focus. *N.*

304. *Inde*] Ex veſtibulo. *Precamur quæ famur*] Precando deos alloquimur. *Quæ tenet prima loca*] Ipſa veſtibula: quoniam, ut diximus, ibi aræ & foci ſoleant haberi.

305. *Ante*

Ante focos olim longis conſidere ſcamnis
Mos erat: & menſæ credere adeſſe deos.
Nunc quoque, cum fiunt antiquæ ſacra Vacunæ,
Ante Vacunales ſtantque ſedentque focos.
Venit in hos annos aliquid de more vetuſto:
Fert miſſos Veſtæ pura patella cibos.
Ecce coronatis panis dependet aſellis,
Et velant ſcabras florida ſerta molas.
Sola prius furnis torrebant farra coloni,
Et fornacali ſunt ſtata ſacra deæ.
Suppoſitum cineri panem focus ipſe parabat,
Strataque

305. *Ante focos*] Qui in veſtibulo erant. *Paul. Olim ſcamnis conſidere*] Vide Athenæum lib. 9. & Iſidorum de vitâ Populi Romani: *Majores noſtri ſedentes epulabantur. Scamnis longis*] Hæc, ſi memini, alibi dixit *cava*. Compacta ergo tribus tabulis, aut quatuor, ſi ſubtus aliam habebant in arculæ formam. *N.*

306. *Credere, adeſſe*] Propterea quod ante aras & focos conſiderent, purabant dum accumberent, adeſſe numina.

307. *Cum fiunt ſacra, &c.*] Vacuna à vacando dicta, quæ præeſt vacantibus & otioſis: cui cum agricolæ à laboribus ruris ceſſarent, & poſt perceptos fructus requieſcerent per hyemem. vota ſolvebant & ſacrificabant. P. Sed Varroni l. 1. Rer. divin. Minerva eſt. *Quod ea maximè hi gaudent, qui ſapientia vacant.* Annua ſacra Romæ habuit ut vides, & templum, in quo illa factitata. *Neap. Belli*] Idque ecce clarius è Dione de M. Antonino in Marcomannico bello.

309. *Venit in hos annos*] Pervenit in noſtra tempora. *Aliquo de more*] Quoniam ut antiqui ſolebant, ita nunc in Vacunalibus ſedetur, & in Veſtalibus.

310. *Patella pura*] Purgata & nitida. *Fert cibos miſſos*] Qui mittuntur à piis civibus. *Veſtæ*] Ipſi numini libantibus. Junxit enim illud deos colere, & in patellam dare: pro cibis & munuſculis, quæ diis libanda mittuntur. P. *Pura patella*] Purum omne aptum ſacrificiis: ſed vere, purum hîc nihil aliud quam deterſum. Hinc verbum *purare*, pro purgare, paſſim Varroni & Catoni uſitatum.

311. *Panis dependet aſellis*] In honorem Veſtæ hoc tempore aſini molitorii coronabantur à piſtoribus. Inter cauſas recenſet fabuloſam quandam, quæ apud Lactantium exſtat, quam vide. Quod attinet ad formam panis, quæ aſinario collo imponebatur, in modum coronæ fuiſſe exiſtimo; veluti olim diſtribuit populo Romano Aurelianus Imperator, ut teſtatur Flavius Vopiſcus. *Neap. Ecce coronatis*] In his Veſtalibus ex antiqua conſuetudine à piſtoribus, aſini pane coronabantur. Cauſa eſt, quod piſtor & focum & Veſtam obſervat, cum panis decoqui ſoleret in focis, antequam pani eſſet furnorum uſus: ita & nunc panibus redimibant caput aſini, ab officio molæ vacantis.

312. *Florida*] Ex floribus. *Velant*] Tegunt ſeu coronant. *Molas*] Aſperas, ex lapide ad terendum triticum in farinam.

314. *Et Fornacali deæ ſunt ſacra*] Nam in Fornacalibus à Numa inſtitutis, deæ fornaci convenientia ſacra fiebant.

315. *Ipſe focus parabat panem*] Non enim in furno ſed in foco, & ſub cinere panis coquebatur: quonium, piſtores Romæ non fuere ad Perſicum uſque bellum, annis ab urbe condita ſuper quingentos octoginta. Ipſi panem faciebant Quirites: mulierumque id opus maxime erat. P. *Focus ipſe parabat*] Olim, inquit, furnus farr torrebat;

Strataque erat tepido tegula quaſſa ſolo.
Inde focum ſervat piſtor, dominamque focorum,
Et quæ pumiceas verſat aſella molas.
Præteream? referamne tuum rubicunde Priape
Dedecus? eſt multi fabula parva joci.
Turrigera frontem Cybele redimita corona,
Convocat æternos ad ſua feſta deos.
Convocat & Satyros, & ruſtica numina Nymphas.
Silenus, quamvis nemo vocarat, adeſt.
Nec libet, & longum eſt, epulas narrare deorum:
In multo nox eſt pervigilata mero.
Hi temere errabant in opacæ vallibus Idæ:
Pars jacet, & molli gramine membra levat.
Hi ludunt, hos ſomnus habet; pars brachia nectit,
Et viridem celeri ter pede pulſat humum.
Veſta jacet, placidamque capit ſecura quietem,
Sicut erat poſitum ceſpite fulta caput.
At ruber hortorum cuſtos, Nymphaſque, deaſque
Captat,

torrendo inſerviebat, at pani coquendo ipſi foci cineres. Merito ergo piſtores feſtum agunt Veſtæ focorum Dominæ. *Neap.*

316. *Erat ſtrata tepido foco*] Hoc eſt focus ipſe erat ſtratus tegulis & lateribus, & in his coquebatur panis.

317. *Inde*] Ex eo quod in foco panis coquebatur. *Servat focum*] Obſervat Veſtæ numina.

318. *Et aſella*] Etiam obſervat hæc numina? quia habet à verſanda mola vacationem in Veſtalibus. *Quæ verſat*] Frequenter vertit. *Molas pumiceas*] Ex lapide ſcabro & aſpero inſtar pumicis. P. *Verſat aſella*] Ipſa quoque ſertis redimita; & laboribus vacua ſignificat, quantum poteſt, debitum numini cultum. *Neap.*

319. *Prætereа referamne tuum*] Fabellam refert, unde mos coronandorum in Veſtalibus aſinorum originem habuerit, in primo libro oſtendimus tribus cauſis aſinum Priapo mactari. In Veſtalibus vero ob meritum excitatæ deæ pane coronatur.

320. *Fabula eſt plena multi joci*] Quaſi dicat, referenda eſt: quia joco ſa fabula pariet voluptatem.

321. *Redimita frontem*] Hoc eſt, habens in capite coronam turritam, propterea *quod primis turres urbibus ipſa dedit.*

322. *Convocat ad ſua feſta*] Ad Cybeleia, quæ in Phrygiæ montibus celebrantur. *Deos æternos*] Immortales.

323. *Convocat & Satyros*] Qui Bacchum comitabantur. *Neap.*

324. *Silenus*] Bacchi nutricius. *Paul. Nemo vocarat adeſt*] Silenus creditus muſca dialium conviviorum. *Neap.*

326. *Pervigilata in multo mero*] Protraxere ſympoſium in multam noctem.

327. *Hi*] Aliqui ex illis diis. *Idæ*] Phrygiæ. *Opacæ*] Nemoroſæ & umbroſæ. P. *In opacæ vallibus Idæ*] Fingit feſtum in Phrygiâ apud dilectos Cybelæ colles. *Neap.*

328. *Levat membra*] Captans in molli gramine quietem.

329. *Pars brachia nectit*] Ut certent, aut ut choreas agitent. P. *Pars brachia nectit*] Quod *implicare manus*, dixit alicubi Propertius. *Neap.*

333. *At cuſtos hortorum*] Priapus.

Captat, & errantes fertque refertque pedes.
Adſpicit & Veſtam. dubium Nymphamne putarit:
An ſcierit Veſtam: ſciſſe ſed ipſe negat.
Spem capit obſcœnam, furtimque accedere tentat.
Et fert ſuſpenſos corde micante gradus.
Forte, ſenex quo vectus erat Silenus, aſellum
Liquerat ad ripas lene ſonantis aquæ.
Ibat ut inciperet longi deus Helleſponti;
Intempeſtivo cùm rudit ille ſono.
Territa voce gravi ſurgit dea. convolat omnis
Turba. per infeſtas effugit ille manus.
Lampaſcos hoc animal ſolita eſt mactare Priapo:
Apta aſini flammis indicis exta damus.
Quem tu diva memor de pane monilibus ornas.
Ceſſat opus: vacuæ conticuêre molæ.
Nomine, quam pretio celebratior, arce Tonantis,
Dicam

334. *Captat*] Oculis ſcilicet. *Fert & refert pedes errantes*] Errabat hùc atque illùc, parans requietcentibus nymphis inſidias.

336. *An ſcierit Veſtam*] Eſſe hoc erat in dubio, an illam cognoverit, an crediderit eſſe ſemideam. Semidei autem in terris ſunt, dii in cœlo. P. *Sciſſe ſed ipſe negat*] Nam grave illi vium, turpe aliquod concepiſſe in ipſam, ſi dici poteſt, pudicitiam.

338. *Et fert gradus ſuſpenſos*] Aut quia erectus in digitos incedebat. *Micante*] Tremente.

340. *Ad ripas aquæ*] Liquerat enim illum in ripa herbida depaſcentem.

341. *Deus longi Helleſponti*] Priapus numen Lampſacenorum, qui ſunt in Helleſponto. *Ibat ut inciperet*] Ut negotium aggrederetur.

342. *Cum ille*] Aſellus Sileni. *Rudit*] Rudere enim aſinorum eſt. *Sono intempeſtivo*] Non in tempore edito.

343. *Dea*] Veſta. *Voce gravi*] Aſini clamore. *Convolat*] Ad Veſtam, & in Priapum irruebant.

345. *Lampſacus*] Priapi patria in Helleſponto. *Mactare*] Immolare. *Hoc animal*] Aſinum. P. *Solita eſt mactare*] Hinc carmen illud incerti auctoris: *Lampſacos melior non imbuet hoſtia cultros.*

346. *Apta aſini flammis*] Male, & bene vetus. *Hinc aſini flammis*] Et nota ex his, hujus exta quotannis oblata aræ Veſtali. *Neap. Damus flammis*] Adurimus Priapo ſacrificantes. *Exta*] Inteſtina.

346. *Aſini indicis*] Qui rudens illius inſidias indicarit. *Apta*] Convenientia flammis: quia non fit viſceratio de aſino mactato.

347. *Quem*] Aſinum. *Tu diva*] Veſta. *Memor*] Meriti illius, qui te excitavit. *Ornas monilibus de pane*] Redimis collum iſtius, panibus pro monili pendentibus. P. *Quem tu Diva mmor*] Riſit id Lactantius. *Neap.*

348. *Ceſſat opus*] Hoc eſt, in feſtis tuis habet ille vacationem ab opere. *Molæ vacuæ*] Quæ fruges non terunt. *Conticuere*] Quia eo die & ipſæ habent vacationem. P.

349. *Nomine quam pretio celebratior*] Silere potius hæc debuit noſter quam dictis prætexere; nam parum aut nihil ſpectant ad ritus, & ſacra Veſtalia, Romani aram in Capitolio Jovi Piſtori erigi curarunt, ſed modicam, cum ſoluti obſidione Gallicâ ob ſimulatum panis jactum in hoſtium ſtationes. *Neap. Celebratior nomine*] Quæ quidem

Dicam Piſtoris quid velit ara Jovis.
Cincta premebantur trucibus Capitolia Gallis:
Fecerat obſidio jam diuturna famem.
Jupiter ad ſolium ſuperis regale vocatis,
Incipe, ait Marti: protinus ille refert:
Scilicet ignotum eſt, quæ ſit fortuna malorum,
Et dolor hic animi voce querentis eget?
Si tamen ut referam breviter mala juncta pudori
Exigis: Alpino Roma ſub hoſte jacet.
Hæc eſt cui fuerat promiſſa potentia rerum;
Jupiter hanc terris impoſiturus eras.
Jamque ſuburbanos, Etruſcaque contudit arma:
Spes erat in curſu: nunc Lare pulſa ſuo eſt.
Vidimus ornatos ærata per atria picta
Veſte triumphales occubuiſſe ſenes.

Vidimus

quidem ara clarior eſt nomine, quam ſit ipſa re: quia vulgatiſſima. P.

350. *Dicam Piſtoris*] Docet cur Jupiter Piſtor aram habuerit in monte Tarpejo, cujus conſtituendæ hanc cauſam ferunt: Galli urbe capta, cum ſolam potiendi Capitolii ſpem in fame obſeſſorum reponerent, Romanis ex arce Jovis monitu panes jaculantibus, ad fiduciæ ſpeciem ſpectaculo ſtupefacti, ad omittendæ obſidionis fœdera deſcenderunt, exiſtimantes Romanis multam frumenti copiam ſupereſſe. Unde poſtea repulſis Gallis Jovi Piſtori ara in Capitolio conſtituta. *Ant.*

351. *Gallis trucibus*] A crudelibus Senonibus Gallis. *Premebantur*] Urgebantur jam ad deditionem.

353. *Jupiter vocatis ſuperis*] Cum vocaſſet ad concilium deos, & ante ejus ſolium omnes conſtitiſſent.

354. *Ille*] Mars. *Protinus refert*] Continuo reſpondet.

355. *Scilicet ignotum quæ ſit*] Incipit Mars cum ironia dicere contra Jovem, qui eum loqui juſſerat: quaſi ignota eſſet calamitas Romanorum. *Quæ ſit fortuna*] Qui ſtatus ſit tantæ calamitatis, & tot malorum, quæ nunc Romani patiuntur. *Paul. Quæ ſit fortuna malorum*] Lege, ſi placet, ex noſtro codice, *quæ ſit fortuna meorum*. Neap.

356. *Et hic dolor animi eget*] Ut querula voce nunc primum opus ſit ad indicandum dolorem.

357. *Tamen ſi exigis*] Si petis. *Juncta pudori*] Cum dedecore & ignominia noſtra.

360. *Impoſiturus terris*] Hanc conſtitueras terrarum dominam.

361. *Jamque contudit ſuburbanos*] Jam Roma bello vicerat Sabinos, Cenienſes, Fidenates, Latinos omnes, & Volſcos. *Et arma Etruſca*] Phaliſcos & Vejos.

362. *Spes*] Imperii propagandi. *Erat in curſu*] In proſperitate rerum bene geſtarum, & bene gerendarum. *Nunc eſt pulſa lare ſuo*] Quia pulſi cives.

363. *Vidimus occubuiſſe ſenes triumphales*] Trucidatos à Gallis eos ſenes qui olim de hoſtibus triumpha-verant, omnibus honoribus in republica functos. *Veſte picta*] Ipſa prætexta. *Per atria arata*] Quaſi in veſtibulis ædium ante æratas januas. *Paul. Picta Veſte*] Clarè ſubdit hanc fuiſſe triumphalium. Purpura in triumphali miſcetur auro; ſed antiquitus nullum in eâ.

364. *Triumphales ſenes*] Hi ſunt, quos Θριαμβικοὺς ἄνδρας appellat Plutarchus in Camillo, cum enarrat hanc Urbis calamitatem. *Neap.*

Vidimus Iliacæ transferri pignora Veſtæ
Sede. putant aliquos ſcilicet eſſe deos?
At ſi reſpicerent, qua vos habitatis in arce,
Totque domos veſtras obſidione premi;
Nil opis in cura ſcirent ſupereſſe deorum,
Et data ſollicita thura perire manu,
Atque utinam pugnæ pateat locus! arma capeſſant,
Et ſi non poterint exſuperare; cadant.
Nunc inopes victus ignavaque fata timentes
Monte ſuo clauſos barbara turba premit.
Tum Venus, & lituo pulcher trabeaque Quirinus,
Veſtaque pro Latio multa locuta ſuo.
Publica, reſpondit, cura eſt pro mœnibus iſtis,
Jupiter, & pœnas Gallia victa dabit.
Tu modo, quæ deſunt fruges, ſupereſſe putentur,
Effice: nec ſedes deſere Veſta tuas.
Quodcunque eſt Cereris ſolidæ cava machina frangat,
Mollitamque manu duret in igne focus.
Jusſerat, & fratris virgo Saturnia juſſis
Annuit:

365. *Vidimus transferri*] Tranſportari in aliena loca, è ſede ſua. *Pignora*] Sacra ipſa. *Veſtæ Iliacæ*] Trojanæ.

366. *Putant ſcilicet eſſe aliquos deos*] Quaſi dicat, non credunt; nam ſi crederent eos timerent.

367. *At ſi reſpicerent*] Galli. *In qua arce*] Quaſi ſi id ſcirent, vos habere templa in arce Capitolina.

369. *Scirent nil opis*] Nullum auxilium. *Supereſſe in cura deorum*] Quaſi, noſſent deos non curare mortalia.

370. *Et perire thura*] Hoc inquit: Noſſent irrita eſſe omnia ſacrificia.

371. *Atque utinam pateat*] Utinam egredi poſſent Romani ex arce, & conferere cum hoſte manus.

372. *Exuperare*] Hoſtem vincere. *Cadant*] Occumbant: quaſi mallem, ut in prælio occumberent, quam fame perirent. Aut intelligas, tacitè prænunciare victoriam Camilli, cum primum pugnare licebit.

373. *Premit*] Obſidione claudit. *Inopes victu*] Ita ut fame ſint perituri.

374. *Clauſos monte ſuo*] Obſeſſos in monte Tarpejo. *Paul.*

375. *Quirinus*] Romulus vaticinii, prius lituum manu gerere conſuevit, hoc eſt, baculum ſine nodo aduncum, ut Livius ſcribit: quo idem rex, urbem condituris, regionem deſcripſit. *Ant.*

376. *Et veſta*] Hi tres dii poſt Martem multa in conſilio deorum pro Romanorum cauſa dixerunt.

377. *Jupiter reſpondit*] Quaſi ad nos omnes ſpectat res Romana, & cura urbis debet omnibus eſſe.

378. *Et Gallia victa*] Quæ à Romanis vincetur. *Dabit pœnas*] Nam mox à Camillo omnes trucidabuntur.

379. *Putentur ſupereſſe*] Illud efficias, ut cum ſit ſumma frugum inopia, perſuadeatur hoſti eas in maxima copia eſſe.

381. *Frangat cava machina*] Conterat mola. *Solidæ Cereris*] Fruges ipſas nondum in farinam contritas. *Paul. Quodcunque eſt ſolidæ Cereris*] Quidquid frumenti habetis molæ ſubjicite. *Neap.*

382. *Et focus duret*] Torreat. *Mollitam aquis*] Quaſi fiat panis, & in foco decoquatur.

383. *Et virgo Saturnia*] Veſta Saturni filia.

384. *Annuit*

Annuit : & mediæ tempora noctis erant.
Jam ducibus ſomnum dederat labor. increpat illos
Jupiter, & ſacro, quid velit, ore docet :
Surgite, & in medios de ſummis arcibus hoſtes
Mittite quam minimè mittere vultis opem.
Somnus abit, quæruntque novis ambagibus acti,
Tradere quam nolint, & jubeantur opem.
Ecce Ceres viſa eſt : jaciunt Cerealia dona.
Jacta ſuper galeas, ſcutaque longa ſonant.
Poſſe fame vinci ſpes excidit. hoſte repulſo
Candida Piſtori ponitur ara Jovi.
Forte revertebar feſtis Veſtalibus illa,
Qua nova Romano nunc via juncta foro eſt :
Huc pede matronam vidi deſcendere nudo :
Obſtupui

384. *Annuit fratris juſſis*] Quaſi, promiſit ſe obſecuturam: & ita factum eſt.

387. *Et mittite in medios hoſtes*] Dejicite in media Gallorum caſtra, aut in mediam hoſtium turbam. *De ſummis arcibus*] De ſummitate arcis Capitolinæ.

388. *Opem quam minime vultis tradere*] Quaſi, illud Cereris, quod vobis ſupereſt, & tradere cuiquam nolletis.

389. *Somnus abit*] Excitati ſunt è ſomno Quirites. *Quærunt*] Inquirunt inter ſe duces. *Acti novis ambagibus*] Nova & dubia verborum circuitione, aut obſcuris Jovis monitis.

390. *Quam opem*] Quod auxilium. *Nolint tradere*] Nollent aliis dare, & jubeantur ab Jove in hoſtes mittere.

391. *Jaciunt dona Cerealia*] Emittunt panem in hoſtes. *Paul. Jaciunt Cerealia dona*] Diſce verum è Livio libro 5. Decadis primæ.

392. *Scutaque longa ſonant*] Ut ſignet Gallicana. *Neap. Jacta*] Projecta ipſa dona Cereris. *Sonant*] Nam ſupernè jacientes pulſabant pane Gallorum arma.

393. *Hoſte repulſo*] Repulſis & cæſis à Camillo Gallis.

394. *Candida*] Hoc eſt, marmorea ara. *Jovi Piſtori*] Cui in Veſtalibus quoque ſacrificatur. *Paul. Ponitur ara*] Alia tunc eidem ob hanc cauſam & in Capitolio poſita cognomento *Soteris*. Neap.

395. *Forte*] Servabatur mos vetus à matronis ad Veſtæ templum euntibus, ut nudis irent pedibus. Cauſam poeta refert, quam à matrona quadam accepiſſe fatetur. Cum olim ea parte lacunæ fuiſſent, ſicco pede adiri non poterat; ibant igitur nudis. Poſtea ſiccatæ ſunt lacunæ; in memoriam tamen vetuſtatis nudis pedibus ibant matronæ. *Revertebar feſtis*] Die Veſtaliorum.

396. *Qua via nova*] Per quam à Velabro ad Romam aſcendebant, jungebatur foro, & viæ ſacræ, tendebatque prope Palatium, ubi & nunc ædes eſt ſub appellatione divæ Mariæ in via Nova. *Juncta Romano foro*] Quod inter Capitolium & Palatium eſt. *Nunc nova juncta foro eſt*] Prope hanc novam erat ſacra illa Veſtalis ædes. Livius, lib. 5.

397. *Nudo deſcendere vidi*] Cauſam politi calcei cenſet ex antiquâ neceſſitate in eos annos perduraſſe (nam olim ad templum euntibus paludes aliquot tranſeundæ) non ex numinis reverentia: ad quam reſpexit etiam apud antiquos nudipedis inceſſus. *Neap.*

398. *Et*

Obſtupui tacitus ſuſtinuique gradum.
Senſit anus vicina loci: juſſumque ſedere
Alloquitur quatiens voce tremente caput.
Hoc ubi nunc fora ſunt, udæ tenuêre paludes:
Amne redundanti foſſa madebat aqua.
Curtius ille lacus, ſiccas qui ſuſtinet aras,
Nunc ſolida eſt tellus, ſed lacus antè fuit.
Qua Velabra ſolent in circum ducere pompas;
Nil præter ſalices craſſaque canna fuit.
Sæpe ſuburbanas rediens conviva per undas
Cantat, & ad nautas ebria verba jacit.
Nondum conveniens diverſis iſte figuris,
Nomen ab averſo ceperat amne deus.
Hic quoque lucus erat juncis & arundine denſus,
Et pede velato non adeunda palus.
Stagna receſſerunt, & aquas ſua ripa coërcet:
Siccaque nunc tellus, mos tamen inde manet.
Reddiderat cauſſam: Valeas, anus optima, dixi:
Quod

398. *Et ſuſtinui gradum*] Subſtiti ut viderem, & cauſam cognoſcerem.

399. *Vicina loco*] Ubi ego ſubſtiteram. *Senſit*] Scilicet hærentem & cupidum cognoſcere cauſam.

400. *Voce tremit*] Cum vetulis & artus tremant, & vox ipſa.

401. *Ubi nunc ſunt fora*] Romanum & boarium.

402. *Aqua redundanti amne*] Inundatione Tibridis effuſis aquis.

403. *Ille lacus Curtius*] Qui & olim & nunc quoque ita vocatur. *Suſtinet*] Quia ſine aquis & aram Vertumni fuiſſe volunt. *Paul. Siccas qui ſuſtinet aras*] Quorum erant hæ aræ in lacu Curtii? neſcio, niſi *aras* Poëta dixit pro *aram*; ut toties in hoc Opere, templa pro templum: iſtud eſt haud dubie; & illam Saturni ſignificat. P. Victor in regione 8. *Ara Saturni in lacu Curtii.* Neap.

404. *Nunc eſt tellus ſolida*] Firma & ſine aquis.

405. *Qua Velabra ſolent ducere pompas in Circum*] Qua ſolet duci pompa triumphalis armorum victriciũ. Triumphantes enim cum pompa per Velabrum tranſibant.

406. *Nil præter ſalices*] Quæ ſolo aquoſo gaudent. *Et canna craſſa*] Canna paluſtris. P. *Nil præter ſalices*] Vide Varronem de Aventini collis etymo. *Neap.*

407. *Rediens per undas ſuburbanas*] Per ſtagnantes aquas, cum inundaſſet Tibris.

408. *Cantat*] Dum ſolus vehitur. *Verba ebria*] Talia, qualia dictabat epotus Bacchus. P. *Ebria verba jacit*] Propertius: *Mutæ jace verba favillæ.* Neap.

410. *Nomen ab averſo*] Quia nondum averſus fuerat Tiberis, Vertumnus ab averſo flumine non ceperat nomen. P. *Ceperat amne Deus*] Cum non erat nomen hoc Vertumni: qui ſic dictus ab amnis curſu mutato. *Neap.*

412. *Adeunda pede velato*] Ergo opus erat nudare pedes.

413. *Sua ripa coërcet aquas*] Continentur nunc aquæ Tiberinæ ripis, ita ut hæc loca inundare magis non poſſit.

414. *Manet mos*] Conſuetudo adhuc ſervatur, ut eatur nudis pedibus.

416. *Quod*

Quod ſupereſt ævi molle ſit omne tui.
Cætera jampridem didici puerilibus annis;
Non tamen idcirco prætereunda mihi.
Mœnia Dardanides nuper nova fecerat Ilus:
(Ilus adhuc Aſiæ dives habebat opes.)
Creditur armiferæ ſignum cœleſte Minervæ
Urbis in Iliacæ deſiluiſſe juga.
Cura videre fuit. vidi templumque locumque:
Hoc ſupereſt illi: Pallada Roma tenet.
Conſulitur Smintheus: lucoque obſcurus opaco
Hos non mentito reddidit ore ſonos:
Ætheream ſervate deam: ſervabitis urbem:
Imperium ſecum, transferet illa loci.
Servat, & incluſam ſumma tenet Ilus in arce:
Curaque ad hæredem Laomedonta venit.
Sub Priamo ſervata parum. ſic ipſa volebat:
Ex quo judicio forma revicta ſua eſt.

Seu

416. *Quod ſupereſt ævi tui*] Illud ætatis quod ſupervicturа es. *Molle*] Dulce & jucundum.

417. *Cætera*] Quæ pertinent ad Veſtæ miniſteria.

419. *Mœnia Dardanides*] Quoniam in templo Veſtæ Palladium è Troja advectum ſervabatur. De eo nunc agit. *Ilus Dardanius*] Dardani pronepos. *Fecerat nuper nova mœnia*] Ilum urbem à ſe denominatam condidit.

421. *Signum Minervæ*] Palladium ipſum. *Paul. Signum cœleſte*] Τὸ ἄγαλμα. Παλλάδος. Ferunt hoc fuiſſe ligneum veteres Grammatici. *Cœleſte Minervæ*] Hoc ſignum vetuſtas credidit nullâ mortali elaboratum induſtriâ; inde dictum διοπετές. Plin. lib. 12. capite primo: Signum vero ſtantis, an ſedentis effigie conſpiceretur, res adhuc in incerto. Strabo tamen lib. 13. auctor eſt, Palladium, quod ſuâ ætate Ilienſes habebant, rectum ſtetiſſe: unde colligit, non eſſe primum illud antiquorum Ilienſium, hoc enim ſediſſe probat ex Homeri verſu Iliade ζ. *Neap.*

422. *Cœleſte*] Nam è cœlo miſſum. *Deſiliſſe*] Decidiſſe. *In jugis urbis*] In montibus Trojæ.

423. *Vidi & templum*] Ipſius Palladis. *Et locum*] Hoc eſt, aditum, ubi olim Palladium ſervabatur. Et his verbis indicat Ovidius, ſe loca Trojana vidiſſe. *Paul. Vidi templumque*] Fragmina ſcil. & templi rudera: Nam ante Ovidii natalem à Fimbriâ incenſum; ſed fortaſſis poſtea refectum. Ibi autem ſemper aſſervatum ſignum aliquod Minervæ, certo certius: nam Strabo lib. 13. ut vidiſti, agit de Palladio ſuæ ætatis. *Neap.*

424. *Hoc ſupereſt illic*] Templum, inquit, adhuc ſupereſt, ſed Palladium in urbe ſervatur. *Paul.*

425. *Conſulitur Smintheus*] Dum Palladium è cœlo cecidiſſet, Ilus conſuluit Apollinem Smintheum, cujus ſtatuæ mus pedibus ſubjacet. Eſt enim *ſmintha mus*, lingua Cretenſium.

427. *Aetheream deam*] Hoc eſt Palladium, ſive effigiem Palladis, quæ è cœlo cecidit. *Ant.*

428. *Transferet ſecum*] Quo ipſa transferetur, eo transferetur imperium. *Paul.*

430. *An hæredem Laomedonta*] Qui Ili & hæres & filius fuit, ſervavitque Palladium

431. *Sic ipſa volebat*] Voluit Pallas furto ſurripi, irata Trojanis ob judicium Paridis. *Ant.*

433. *Seu*

Seu genus Adraſti, ſeu furtis aptus Ulyſſes,
Seu pius Æneas, eripuiſſe ferunt.
Autor in incerto. res eſt Romana: tuetur
Veſta, quod aſſiduo lumine cuncta videt.
Heu quantum timuêre patres, quo tempore Veſta
Arſit, & eſt adytis obruta pænè ſuis!
Flagrabant ſancti ſceleratis ignibus ignes:
Miſtaque erat flammæ flamma profana piæ.
Attonitæ flebant demiſſo crine miniſtræ:
Abſtulerat vires corporis ipſe timor.
Provolat in medium, & magna, Succurrite, voce,
Non eſt auxilium flere, Metellus ait.
Pignora virgineis fatalia tollite palmis:
Non ea ſunt voto, ſed rapienda manu.
Me miſerum, dubitatis, ait? (dubitare videbat,
Et pavidas poſito procubuiſſe genu.)

Haurit

433. *Seu genus Adraſti*] Seu rapuit te nepos Adraſti regis Argivorum, hoc eſt, Diomedes, Tydei & Deiphyles Adraſti filiæ filius. *Paul. Seu genus Adraſti*] Et Diomedem & Ulyſſem utrumque ſimul opinatur.

435. *Auctor in incerto eſt*] Nam alii volunt, raptorem fuiſſe Demophontem, & ob furtum occiſum ab Agamemnone. Hoc vero ſcitu dignum centumvirale judicium Athenis tunc primum & ad hanc cauſſam inſtituturum. Harpocration: Ἔοικε δὲ τὸ δικαστήριον τὴν τῶν Παλλαδίων ἐπωνυμίαν, &c. *Res eſt Romana*] Non adeo certe id proferas: nam, prô, quot urbes Palladia Iliaca ſibi vindicarunt! Vide Strabonem lib. 6. *Neap. Res eſt Romana*] Nam nunc Romæ eſt. *Veſta tuetur*] Servat Palladium in ſuo templo.

436. *Quod videt cuncta*] Quæ ſunt in templo. *Lumine aſſiduo*] Propter inextinctum ignem. *Paul.*

437. *Quo tempore Veſta arſit*] Contigit incendium hoc anno Urbis DXII. Q. Lucatio & A. Manlio Conſulibus. Arſit iterum Veſtæ templum ſub Commodo Bradua ſecundum & Aproniano Conſulibus, cū fere tota urbs corruerat: tunc flammis conſumptum templum Pacis illud clarum, ædificiaque pæne innumera: de quâ ſtrage fuſe Herodianus libro primo. *Neap.*

438. *Suis tectis*] Quia parum defuit, quin rueret templum, propter incendium: & obrueret ſacra, quæ erant intus. Arſit enim Veſtæ templum bello Punico primo.

439. *Ignibus ſceleratis*] Et ob id ſceleratis, quia immixti ſanctis, ſacra adurebant. *Paul.*

441. *Demiſſo crine miniſtræ*] Hic locus luci eſt iis qui dubitant, an Veſtales comam aluerint. *Neap.*

442. *Abſtulerat vires corporis*] Præ metu enim effectæ erant debiliores, & rebus ſuccurrere non poterant. *Paul.*

443. *Provolat in medium*] Divinitus quaſi miſſus: nam pridie ei evenit quod in his ſcribit Valerius Maximus libro primo cap. 4. de Auſpiciis. *Neap.*

444. *Metellus*] Qui Pontifex erat.

445. *Tollite*] Eripite. *Flammis virgineis*] Ex ignibus Veſtalia ſacra incendentibus. *Pignora fatalia*] Quaſi ea ſacra, in quibus ineſt imperii Rom. fatum.

446. *Non ea ſunt rapienda voto*] Nam votis ab ignibus non eripientur. *Sed ſunt rapienda manu*] Manibus & viribus veſtris, non precibus.

448. *Pavidas*] Attonitas. *Procubuiſſe*] Pronas inflexiſſe ſe. *Poſito genu*] Inflexis genibus.

449. *Hauris*

Haurit aquas: tollenſque manus, Ignoſcite, dixit,
Sacra vir intrabo non adeunda viro.
Si ſcelus eſt; in me commiſſi pœna redundet:
Sit capitis damno Roma ſoluta mei.
Dixit, & irrupit: factum dea rapta probavit,
Pontificiſque ſui munere tuta fuit.
Nunc bene lucetis ſacræ ſub Cæſare flammæ:
Ignis in Iliacis nunc erit, eſtque focis.
Nullaque dicetur vittas temeraſſe ſacerdos
Hoc duce: nec viva defodietur humo.
Sic inceſta perit: quia quam violavit, in illam
Conditur: & Tellus Veſtaque numen idem.
Tum ſibi Callaïco Brutus cognomen ab hoſte
Fecit,

449. *Haurit aquas*] Quibus ſeſe aſpergens expurgaret.

450. *Ego vir intrabo non adeunda viro*] Ingrediar pace veſtra templum, quo ingredi non licet viris. *Paul. Non adeunda viro*] Nam vetitus maribus ingreſſus in adyta Veſtæ, quis hæc neſcit? Ibi erat ignis, Palladium, & alia arcana urbis præſidia, hac formulâ junctim hæc omnia invocabant. *Neap.*

451. *Pœna commiſſi*] Supplicium; quod pro hoc ſcelere deberetur. *Redundet in me*] Quaſi copioſe & abundanter redeat in caput meum.

452. *Roma ſit ſoluta*] Libera ab omni periculo. *Damno capitis mei*] Meo ſupplicio.

453. *Probavit factum*] Commendavit quod Metellus fecerat. *Paul. Factum Dea rapta probavit*] Imo & jure Senatus: nam, præter alios titulos honorum, conceſſum, ut curru veheretur ad curiam, quantivis pretii res apud Romanos. Pulchra igitur repenſa, ſed juvit uterque oculus amiſſus, quâ de cauſâ ſacerdotium illi negatum. Sic Lex jubebat, quæ ea: SACERDOS INTEGER SIT. *Neap.*

454. *Munere*] Officio. *Sui pontificis*] Metelli, qui ſacra piis manibus de templo ardente recepit.

455. *Nunc*] Hoc tempore. *Lucetis flammæ*] Vos Veſtales ignes. *Sub ſacro Cæſare*] Sub Tiberio, aut Auguſto principe. *Paul. Sacro ſub Cæſare flammæ*] Vide beneficia collata ab Auguſto in Veſtales apud Suetonium libro primo cap. 31. *Neap.*

456. *Nunc ignis erit*] Quaſi non extinguitur, nec extinguetur alicujus virginis culpa.

457. *Sacerdos*] Nulla virgo Veſtalis, *Dicetur temerare vittas*] Violare virginitatem.

458. *Hoc duce*] Quaſi imperante Tiberio. *Defodietur humo*] Quia ſi nulla peccaverit, nulla erit, quæ ſupplicio afficiatur.

459. *Sic perit inceſta*] Quæ virginitatem prodidit, vivens defoditur. *Quia conditur*] Humatur. *In illa*] Tellure ſcilicet. *Quam violavit*] Violatur enim Veſta, quæ & Tellus eſt, & in tellure defoditur. *Paul. In illa Conditur*] Sic puniebatur probrum virginis Veſtalis.

461. *Tum ſibi Callaico*] Eodem Veſtalium die, anno urbis Dcxviii. D. Junius Brutus ſexaginta Gallæcorum millia, qui Luſitanis ex Oceani montibus auxilio venerant, aſpero & difficili bello oppreſſit: unde Callaici cognomen retulit. Adi Strabonem, Florum, & alios. Sed heus! meus liber habet, *Tum ſibi Gallaco*, an male? non hercle. Velleius Paterculus lib. 2. *Gallaci cognomen meruit.* Neap. *Tum ſibi Callaico, &c.*] Eodem die, quo & Veſtalia celebrantur, hoc eſt, octavo die Junii, Junius Brutus, qui cum Cornelio Naſica conſul fuit, & fœliciter in Hiſpania pugnavit, à devictis Callecis ulterioris Hiſpaniæ populis, *Callecus* eſt cognominatus. *Tunc*] Eo die. *Brutus*] D. Junius Brutus. *Sibi cognomen*] Peperit cognomentum. *Ab hoſte Callaico*] A devictis Calleciæ populis.

Fecit, & Hiſpanam ſanguine tinxit humum.
Scilicet interdum miſcentur triſtia lætis,
Ne populum toto pectore feſta juvent.
Craſſus ad Euphraten aquilas, natumque, ſuoſque
Perdidit: & leto eſt ultimus ipſe datus.
Parthe quid exultas? dixit dea, ſigna remittes:
Quique necem Craſſi vindicet, ultor erit.
At ſimul auritis violæ demuntur aſellis,
Et Cereris fruges aſpera ſaxa terunt;
Navita puppe ſedens Delphina videbimus, inquit,
Humida cum pulſo nox erit orta die.
Jam Phryx à nupta quereris Tithone relinqui,
Et vigil Eoïs Lucifer exit aquis.
Ite bonæ matres (veſtrum Matralia feſtum)
Flavaque Thebanæ reddite liba deæ.
Pontibus & magno juncta eſt celeberrima circo
Area:

461. *Humum Hiſpanam*] Qui trucidavit multa hoſtium millia.

463. *Scilicet interdum, &c.*] Eodem die & læta evenere, & triſtia aliquando: Veſtalium enim die Brutus fuit victor, & eodem die exercitus Romanus ſub Craſſo duce trucidatus eſt, *Miſcentur lætis*] Proſpera miſcentur adverſis.

464. *Toto pectore*] Quia lætus populus omni ex parte eſſe non poteſt. Afficitur enim recordatione magnarum cladium & deſiderio extinctorum civium.

465. *Craſſus perdidit ad Euphraten*] Fluvium. *Aquilas*] Romana vexilla. *Et ſuos milites*] Omnem exercitum. *Paul. Suoſque perdidit*] Relege me in 5. ad templum Martis Ultoris: illud in Capitolio poſitum. *Neap.*

466. *Ultimus eſt datus letho*] Captus & ipſe à Surena duce Parthorum, ultimo loco extinctus eſt.

467. *Dea*] Veſta. *Quid exultas*] Quid gaudes te tot Romanos trucidaſſe, & ſigna rapuiſſe? *Remittes ſigna*] Ad Auguſtum.

468. *Erit ultor*] Octavius Auguſtus. *Qui vindicet*] Qui ulciſcatur.

469. *At ſimul*] Poſtquam. *Viola*] Serta florida. *Demuntur*] Cum coronæ removentur ab aſinis, poſt ipſum diem Veſtaliorum. *Paul. Demuntur aſellis*] Verius libri veteres, *dementur aſellis.* Neap.

470. *Et ſaxa aſpera*] Molæ aſperæ & ſcabræ. *Terent fruges Cereris*] Nunc aſini verſant molas, & illæ terunt frumenta.

471. *Videbimus Delphina*] Poſt occaſum Solis ipſius diei qui Veſtalia ſequitur, inſpiciemus Delphinum. *Delphina videbimus, inquit*] Statim poſt Veſtalia, & ante Matralia, ut vides, hoc eſt, 4. Idus, facit Delphini ortum veſpertinum, idem ſentit Columella.

473. *Jam Phryx à nupta*] 3. Idus erant Matralia, ſacra matris Matutæ: eodem die Kalendario veteri, & Conſtantiniano. *Neap. Phryx*] Trojane: nam Laomedontis filius. *Quereris relinqui*] Quereris quod te Aurora relinquat.

474. *Et Lucifer vigil*] Stella Veneris, quæ mane ſolem præcedit. *Exit aquis Eoïs*] Surgit ab Oriente. Sic indicat diem quo Matralia celebrantur. Eſt enim Matutæ deæ feſtum, quæ à Græcis Leucothea dicitur.

475. *Ite bona matres*] Ad templum ſcilicet Matutæ. *Matralia*] A matrali enim Matralia dicta.

476. *Riddite liba*] Sacrificate, & offerte liba. *Dea Thebana*] Leucotheæ Cadmi conditoris Thebarum in Bœotio filiæ. *Paul. Thebana reddite liba, Dea*] Offerebantur illa in his ſacrificiis. Vide M. Varronem. *Neap.*

Area: quæ poſito de bove nomen habet:
Hac ibi luce ferunt Matutæ ſacra parenti
Sceptriferas Servî templa dediſſe manus.
Quæ dea ſit: quare famulas à limine templi
Arceat (arcet enim) libaque toſta petat:
Bacche racemiferos hedera redimite capillos,
Si domus illa tua eſt, dirige vatis opus.
Arſerat obſequio Semele Jovis. accipit Ino
Te puer: & ſumma ſedula nutrit ope.
Intumuit Juno, rapta quod pellice natum
Educet. at ſanguis ille ſororis erat.
Hinc agitur furiis Athamas, & imagine falſa:

Tu-

477. *Area celeberrima*] Celeberrimum forum. *Eſt juncta pontibus*] Ponti Sublicio. *Et Circo magno*] Maximo: qui eſt inter Aventinum & Palatium.

478. *Quæ habet nomen*] Quod forum boarium denominatur, ab erecta in eo æneâ bovis ſtatua.

479. *Ibi*] In foro boario. *Parenti Matutæ*] Ipſi Matutæ.

480. *Sceptriferas manus Servî*] Hoc eſt, Servium ipſum regem. *Dediſſe templa*] Conſecraſſe ædem. *Paul. Servi templa dediſſe manus*] Hac ipſâ die à Servio Tullio matri Matutæ ædes ſacra dicata; poſtea captis Veiis, à M. Furio Camillo refecta, nec alia Plutarchi mens in ejus vitâ. Hanc iterum reperio reſtitutam anno DXli. Q. Fulvio Flacco, Appio Claudio Pulcro Coſſ. *Neap.*

481. *Quare arcet*] Repellit. *A limine templi*] Nam alapa pulſantur ancillæ, & depelluntur è templo.

482. *Et petit liba toſta*] Decocta ad ignem. *Paul. Arcet enim*] Imo unam admittit; quam iterum matronæ pugnis cæſam à templi limine ejiciunt. *Neap.*

483. *Bacche*] Qui habes caput hedera coronatum, in quo fers racemos.

484. *Si illa*] Matuta. *Eſt domus tua*] Si eſt de familia Thebana, & tua matertera. *Dirige opus vatis*] Dirige ingenium meum ad hæc ſcribenda.

485. *Semele*] Cujus Bacchi mater fuerat. *Arſerat*] Igne fulminis cremata eſt. *Obſequio Jovis*] Propterea quod Jupiter obſequutus eſt illi, cum acceſſit ad eam ita petentem, ea majeſtate, qua ad Junonem ire ſolebat. *Ino*] Quæ eſt ipſâ Leucothea. *Paul. Arſerat obſequio*] Hæc breviter tota fabula. Ferunt, uſtâ Jovis operâ Semele, Dionyſium ex incenſo fere utero à Mercurio ſublatum; infantulum ſtatim Ino excepit, & nutriit: id cum graviter Jovis conjux tuliſſet, quod natum ex pellice educandum accepiſſet, fecit, ut Athamas, vir Inus, furore percitus Learchum filium occideret: tum uxor, arrepto Melicertâ, ob Athamantis timorem, in mare proximum ſe cum filio projecit. Hinc poſt varios caſus in Latium adducta, ibi à Nicoſtratâ, Evandri parente, comiter accipitur; & una cum filio ab incolis Arcadibus in Deorum numerum referuntur, mutato nomine Inus in Matutam, Melicertæ in Portumnum. Græci dixere matrem Λευκοθέαν, filium Παλαίμονα, ſed poſt immortalitati donatos. *Accipit Ino Te puer*] Apollonius Argonauticôn lib 4. Bacchi nutricem facit quamdam nomine Matrin, Ariſtæi filiam: ſed aliter, & cum Naſone, Orpheus in Hymnis. *Neap.*

486. *Accipit te puer*] O Bacche, accipit illa te puerum enutriendum. *Et ſedula*] Diligens & officioſa. *Summa ope*] Quaſi ſummâ diligentia & curâ.

487. *Juno intumuit*] Indignata eſt. *Quod educet*] Quod ipſa Ino enutriat. *Natum*] Filium. *Rapta pellice*] Extincta fulmine Semele.

488. *Erat ſanguis ſororis*] Quaſi ideo educabat, quia erat filius Semeles, quæ erat ſoror Inus.

489. *Hinc*] Ex hac Junonis indignatione. *Athamas*] Vir Inus. *Agitur furiis*]

Tuque cadis patria parva Learche manu,
Mœſta Learcheas mater tumulaverat umbras,
Et dederat miſeris omnia juſta rogis.
Hæc quoque, funeſtos ut erat laniata capillos,
Proſilit: & cunis te Melicerta rapit.
Eſt ſpatio contracta brevi, freta bina repellit,
Unaque pulſatur terra duabus aquis.
Huc venit inſanis natum complexa lacertis,
Et ſecum è celſo mittit in alta jugo.
Excipit illæſos Panope centumque ſorores,
Et placido lapſu per ſua regna ferunt.
Nondum Leucothee, nondum puer ille Palæmon
Vorticibus denſi Tybridis ora tenent.
Lucus erat: dubium Semele, Stimelene vocetur:

Mæna-

riis] Juno induxit illi furiam: qua percitus ille, Learchum filium putans leænæ catulum, interemit. *Falſa imagine*] Cum leænæ catulum exiſtimaret.

490. *Learche*] Qui filius eras Athamantis & Inus.

491. *Mater mœſta*] Ino dolens, & lugens filii mortem. *Tumulaverat*] Tumulo condiderat. *Umbras Learcheas*] Learchum puerum extinctum.

492. *Et dederat omnia juſta*] Solverat juſta, exequias & inferias dederat. *Rogis*] Ubi crematum eſt cadaver. *Miſeris*] Infœlicibus.

493. *Hæc quoque, funeſtos*] Nam in funere filii.

494. *Proſilit*] Inſtigata & ipſa à furia, prorupit ex domo viri. *Et rapit*] Surripit. *Te Melicerta è cunis*] Rapuit te infantem alterum Athamantis filium, qui Melicerta vocaberis.

495. *Eſt ſpatio contracta brevi*] Per topographiam Iſthmum Achaicum oſtendit, unde ſe in mare præcipitem dederit Ino. *Terra contracta*] Anguſta. *Brevi ſpatio*] Nam ſex tantum millibus paſſuum. *Repellit bina freta*] Duo maria, Ionium & Ægeum.

496. *Una terra*] Unus Iſthmos. *Pulſatur*] Illiditur. *Duabus aquis*] Mari Ægeo, & mari Ionio.

497. *Huc*] Ad Iſthmum Ino. *Complexa natum*] Melicertam.

498. *Et mittit*] Dejicit ſecum. *In alta*] In maria. *Excelſo jugo*] Ex alta rupe. *Paul. Mittit in alta jugo*] E petrâ Moluride, vide Attica Pauſaniæ. *Neap.*

499. *Panope*] Maris nympha, ſic dicta, quod *perſpicua* ſit, à πᾶν. & ὄπτω, cerno. *Excipit illæſos*] Recipit illos incolumes. *Et centum*] Nymphæ marinæ, ſorores Panopes, excipiunt illos.

500. *Et ferunt*] Ino & Melicertam. *Placido lapſu*] Leni & tranquillo fluxu. *Per ſua regna*] Per ſua maria.

501. *Nondum Leucothee*] Illa nondum erat dea, nec appellata *Leucothea*, quod ſignificat albæ dea. *Nondum ille puer Palæmon*] Erat adhuc Melicerta: quia nec *Portumnus* à noſtris, nec *Palæmon* à Græcis erat appellatus; quia nondum deus portuum. *Paul. Nondum Leucothee*] Per mare ergo vehitur mortalis adhuc Ino, & nondum relata in Deos, verſo primo nomine in Leucothean. *Neap.*

502. *Tenent ora Tybridis*] Jam pervenerant ad oſtia Tyberina. *Denſis vorticibus*] Crebra aquarum vortigine.

503. *Lucus erat*] Pervenit in Latium Ino, ad lucum, quierat in ripa Tyberina, non longe à Palatio, quo ſolebant Baccho ſacrificantes convenire. *Erat lucus*] Prope Pallantium. *Dubium eſt Stimele*] Putant multi *Semelen* vocatum lucum, propter crebra ſacrificia, quæ in eo Baccho fiunt, à Semele matre Bacchi. Alii *Stimelem*, à ſtimulis Bacchi putant dictum *Paul. Semele, &c.*] De luco Semeles vetus memoria eſt in Sexto Rufo regione 11. & in hoc antiquo marmore.

DIIS MANIBUS
M. CÆCILIO SP. F. SUO RUFO
SOLIARIO AB LUCO SEMELES,
&c. *Neap.*

504. *Ma-*

Mænadas Auſonias incoluiſſe ferunt.
Quærit ab his unam, quæ gens foret: Arcadas eſſe
Audit, & Evandrum ſceptra tenere loci:
Diſſimulata deam Latias Saturnia Bacchas
Inſtimulat fictis infidioſa ſonis:
O nimium faciles, ô toto pectore captæ,
Non venit hæc noſtris hoſpes amica choris.
Fraude petit: ſacrique parat cognoſcere ritum,
Quo poſſit pœnas pendere, pignus habet.
Vix bene deſierat, complent ululatibus auras
Thyades effuſis per ſua colla comis:
Injiciuntque manus, puerumque revellere pugnant,
Quos ignorat adhuc, invocat ille deos:
Dîque, virique loci, miſeræ ſuccurrite matri.
Clamor Aventini ſaxa propinqua ferit.
Appulerat ripæ vaccas Oetæus Iberas:
Audit: & ad vocem concitus urget iter.
Herculis adventu, quæ vim modo ferre parabant,
Turpia fœmineæ terga dedêre fugæ.
Quid petis hinc (cognorat enim) matertera Bacchi?
An

504. *Mænadas Auſonias*] Bacchi ſacerdotes Latias, quæ Orgia celebrabant. *Incoluiſſe*] Eum lucum; ibi enim exercebant ſacra.

505. *Ino quærit ab his*] Mænadibus.

506. *Et audiit Evandrum tenere*] Regem eſſe Evandrum, qui his in locis dominetur.

507. *Diſſimulata deam*] Quæ induerat perſonam fœminæ, & occultabat deitatem. *Inſtimulat*] Inſtigat, & in furorem vertit. *Bacchas Latias*] Mænadas Latinas.

508. *Infidioſa*] Quæ inſidias illi parabat. *Fictis ſonis*] Simulatis verbis. Et ita loquebatur.

509. *O captæ toto pectore*] O deceptæ, aut ô penitus amentes. *Hæc hoſpes*] Hæc peregrina.

510. *Non venit amica*] Nam venit exploratrix rerum noſtrarum.

511. *Ritum*] Sacrorum noſtrorum morem.

512. *Habet pignus*] Filium. *Poſſit pendere*] Solvere pœnas: quaſi diripiamus illi filium, & has pœnas det nobis.

513. *Vix bene deſierat*] Loqui ſcilicet: Juno. *Complent auras*] Replent aëra. *Ululatibus*] Verſæ enim in furorem ululare cœperunt, & irruere contra matrem & puerum.

514. *Thyades effuſis, &c.*] Mænades ipſæ.

515. *Injiciuntque manus*] Impetum fecerunt in, &c. *Pugnant revellere puerum*] Contendunt & conantur eripere à matre Melicertam.

516. *Illa*] Ino. *Quos ignorat*] Nam peregrina nondum cognoverat deos Italos.

518. *Ferit ſaxa Aventini*] Vox ipſa inclamantis exaudita eſt ex Aventino, ubi erat Hercules. Eo enim tempore illuc appulerat, ex Hiſpania rediens. *Propinqua*] Quæ vicina erant.

519. *Oetæus*] Hercules: ab Oeta monte, ubi cremabatur. *Appulerat ripæ*] Tyberinæ. *Vaccas Iberas*] Boves Geryonis ex Hiſpania. *Iberas*] Ab Ibero amne.

520. *Et concitus*] Raptus. *Urget iter*] Accelerat. Ad vocem raptim enim accelerat.

523. *Matertera Bacchi*] Verba ſunt Herculis. O Ino ſoror Semeles, matris Bacchi. *Enim cognorat*] Nam illa Thebanus

An numen quod me, te quoque vexat, ait?
Illa docet partim: partim præſentia nati
Continet: & furiis in ſcelus iſſe pudet.
Rumor, ut eſt velox, agitatis pervolat alis,
Eſtque frequens Ino nomen in ore tuum.
Hoſpita Carmentæ fidos intraſſe penates
Diceris, & longam diſpoſuiſſe famem.
Liba ſua properata manu Tegeæa ſacerdos
Traditur, in ſubito cocta dediſſe foco.
Nunc quoque liba juvant feſtis Matralibus illam.
Ruſtica ſedulitas gratior arte fuit.
Nunc, ait, ô vates venientia fata reſigna,
Qua licet: hoſpitiis hoc precor adde meis.
Parva mora eſt: cœlum vates ac numina ſumit,
Fitque ſui toto pectore plena dei.
Vix illam ſubito poſſes cognoſcere; tanto

nus quoq; Hercules. *Quid patia hinc*] Ex Latio: quaſi, qua cauſa veniſti in Latium.

524. *An vexat te numen*] Vexatne te Juno, quemadmodum & me vexat. P. *Te quoque vexat? ait*] Belle: nam utergue patiuntur Junonis flagellum. *Neap.*

525. *Illa docet partim*] Quaſi explicat partem malorum. *Partim continet*] In parte autem prohibetur à puero: quia illud referre non ſuſtinet, quod cum eo in mare ſe præcipitaverit.

526. *Et pudet eſſe in ſcelus furiis*] Pudet ſe furore periſſe, iſſe ſe cum filio perditum.

527. *Rumor ut eſt velox*] Divulgatum eſt nomen Inus per Latium, & ſuſcepta ea hoſpitio à Carmenti, quæ vaticinata eſt eos, hoc eſt, Inum & filium, in deos referendos, futuraque numina ponti: alteram quoque *Leucotheam* à Graiis, à noſtris *Matutam* nuncupandam: alterum præfuturum portubus, & à noſtris *Portumnum*, à Græcis *Palæmona* nominandum. *Pervolat alis agitatis*] Quam celerrime transfertur.

528. *Ino nomen*] Quaſi, jam fama repleverat Latium, & omnes repetebant nomen Inus.

529. *Hoſpita intraſſe*] A Carmenti matre Evandri ſuſcepta hoſpitio, & intraſſe fidelem ejus domum.

530. *Et depoſuiſſe longam famem*] Ibi primum comediſſe.

531. *Sacerdos Tegeæa*] Carmentis, à Tegæa oppido Arcadiæ. *Liba properata ſua manu*] Quæ celeriter ipſa ſuis manibus fecit.

532. *Et cocta ſubito foco*] Subito extructo foco, & accenſo igne decocta.

533. *Nunc quoque*] Hoc etiam tempore. *Illam feſtis Matralibus*] Cum Matralia celebrantur, offeruntur enim liba, quorum offerendorum mos ab his libis, quæ Carmentis obtulit, originem habuit. P. *Matralibus illam*] Apponenda poſt Matralibus bipuncta, ex optimis codicibus, & *illa* legendum. Illa ſcilicet cito parata liba Ino gratiora fuere quovis nectare.

534. *Ruſtica ſedulitas*] Liba more ruſtico. *Fuit gratior arte*] Nam gratiora illa liba properata, quam ſi paraſſet illas dapes ſplendidas, & ſummo artificio conditas.

535. *Ait*] Ino. *O vates*] O Carmenti. *Reſigna nunc*] Aperias tu mihi. *Nunc*] Cum ederim. *Fata venientia*] Quaſi quid de me futurum ſit. P. *Venientia fata reſigna*] Eadem Carmentam rogat, quæ ſibi & filio ſint ventura, vaticinetur.

536. *Meis hoſpitiis*] Muneri hoſpitali: quia me hoſpitio ſuſcepiſti, etiam hoc ad hoſpitium accedas.

537. *Vates ſumit cœlum ac numina*] Afflata eſt cœleſti numine.

538. *Et fit plena*] Impletur Apolline o ſpiritu.

540. *Tanto erat ſanctior*] Auguſtior, jam plena deo. *Quam modo*] Quam paulo ante fuerat, ante conceptum numen.

541. *Late*

Sanctior, & tanto, quam modo, major erat.
Læta canam: gaude defuncta laboribus Ino.
Dixit, & huic populo dextera ſemper ades.
Numen eris pelagi: natum quoque pontus habebit:
In veſtris aliud ſumite nomen aquis.
Leucothoë Graiis, Matuta vocabere noſtris:
In portus nato jus erit omne tuo.
Quem nos Portumnum, ſua lingua Palæmona dicet:
Ite precor noſtris æquus uterque locis.
Annuerant: promiſſa fides: poſuêre labores.
Nomina mutarunt: hic Deus, illa Dea eſt.
Cur vetet ancillas accedere quæritis? odit:
Principiumque odii, ſi ſinat ipſa, canam.
Una miniſtrarum ſolita eſt, Cadmea, tuarum
Sæpe ſub amplexus conjugis ire tui.
Improbus hanc Athamas furtim dilexit: ab illa
Comperit agricolis ſemina toſta dari.
Ipſa quidem feciſſe negat, ſed fama recepit:
Hoc eſt cur odio ſit tibi ſerva manus.
Non tamen hanc pro ſtirpe ſua pia mater adoret;
Ipſa parum felix viſa fuiſſe parens.

Alterius

541. *Læta canam*] Hoc eſt, Carmentis vaticinium. *Gaude defuncta laboribus*] Lætare quæ jam ad finem laborum perveniſti.

542. *Et ades ſemper proſpera huic populo*] Semper adeſto propitia & fœlix his Arcadibus & Latinis.

543. *Eris numen pelagi*] Dea maris. *Pontus habebit quoque natum*] Et filius quoque tuus erit in mari, & deus portuum. *Sumite aliud nomen*] Non tu Ino, non ille Melicerta appellabitur: ſed alia nomina accipietis in noſtro mari.

545. *Leucothoë Graiis*] A Græcis appellabere *Leucothea*, ab albicante mari: ut *Matuta*, à matutino tempore. *Noſtris*] Latini appellabunt te *Matutam*, & præteris matutino tempori: nam *matutinus* à Matuta dicitur. *Paul.*

546. *Jus erit omne tuo*] Vide Feſtum Pompeium in *claudere*.

547. *Quem nos Portumnum*] Nos in Latio vocabimus *Portumnum*, quaſi portubus præſidentem. *Sua lingua*] Græca.

549. *Fides annuerat*] Quaſi fides comprobavit: nam in deos mutati ſunt. *Poſuere labores*] Juxta reſponſum *defuncta laboribus*.

550. *Hic deus*] Portumnus. *Illa dea*] Jam Leucothea, ſeu Matuta.

551. *Cur vetet ancillas*] Repelluntur à templo Matutæ ancillæ omnes, præter unam, quam alapis cædunt, & impellunt.

552. *Si illa*] Si Matuta ipſa permittit.

553. *O Cadmea*] O Ino Cadmi filia. *Una tuarum*] Antiphera, una ex ancillis tuis.

555. *Ab illa*] Ancilla.

557. *Sed fama recepit*] Accepit fita fuiſſe, & ſic refert.

558. *Cur ſerva manus*] Cur odio inſectetur ancillas.

559. *Adoret hanc*] Matutam, non ſacrificet huic. *Pro ſtirpe ſua*] Pro ſalute aut proſperitate filiorum. *Pia mater adoret*] Nam ipſa parum fortunata parens, felicior maneret: vidit id etiam Plutarchus in libello τῶν Κορινθιακῶν ubi habes, in matris Matutæ ſacris libertoſta offerri ſoliti, ancillas ab ejus templo repulſas; pro quibus matrona feſto precabantur. *Neap.*

560. *Ipſa parum felix viſa fuiſſe parens*] Cum alterum (extinctum à patre vidiſſet,

cum

Alterius prolem melius mandabitis illi.
Utilior Baccho quam fuit illa ſuis.
Hanc tibi, quo properas, memorant dixiſſe, Rutili?
Luce mea Marſo conſul ab hoſte cades.
Exitus acceſſit verbis: flumenque Thelonum
Purpureum miſtis ſanguine fluxit aquis.
Proximus annus erat: Pallantide cæſus eadem
Didius hoſtiles ingeminavit opes.
Lux eadem, fortuna, tua eſt, autorque locuſque.

Sed

cum altero ſe præcipitem dedit.

561. *Melius mandabitis*] Pro commendabitis illi Matutæ. *Prolem alterius*] Filios fratrum aut ſororum.

562. *Fuit utilior Baccho*] Quem ipſa educavit. *Quam fuit ſuis*] Filiis ſcilicet.

563. *Hanc*] Matutam. *Quo properas*] Quo acceleras ire in expeditionem. P. *Hanc tibi quo properas*] Fabuloſum eſt quod autor hic dicit. P. Rutilium conſulem admonitum fuiſſe à matre Matuta, ne properaret in Marſos: ſed ingenioſe à Poëta fictum eſt, ut Rutilii interitus aptius Matralibus jungeretur. *Ant. Memorant dixiſſe, Rutili?*] Eodem die feſto matris Matutæ anno urbis DCLXIII. P. Rutilius Lupus in bello Marſico occiſus. Florus falſo ſcribit, L. Cæſarem, non Rutilium in eâ pugnâ occubuiſſe.

564. *Marſo conſul ab hoſte cades*] Miror cur potius Marſo, non Lucano, non Venuſino dixerit: cum præter Marſos, Malini, Viſtini, Maruceni, Picentes, Ferentani, Hirpini, Pompeiani, Venuſini, Iapiges, Lucani, Samnites, & aliæ propinquæ gentes contra urbem Romam conſurrexerint. *Neap. Conſul*] Cum tu eris conſul. *Cades*] Occumbes. *Ab hoſte Marſo*] Interficieris à Marſis. *Luce mea*] In meis feſtis, hoc eſt, in Matralibus.

565. *Acceſſit verbis*] Nam ut illa prædixerat, ille eo die interiit. *Et flumen, &c.*] Liris amnis: ad Lirim enim pugnatum eſt, cum conſul periit. *Paul. Flumenque Tolon*] Sic ſcriptus hic amnis apud Oroſii quædam & Freculfi exemplaria, ubi de hac clade: in aliis, *Teloni*. Neap.

566. *Purpureum*] Rubicundum. *Aquis miſtis ſanguine*] Propter cædem in ejus ripis factam.

567. *Erat annus proximus*] Subſequens. *Caſus eadem Pallantide*] Interemptus eodem die. *Pallantide*] Dixit propter Auroram, quæ dicta eſt Pallantis filia. *Paul. Proximus annus erat*] Id eſt, DCLXIV. Timeo immanem procroniſmum. *Neap.*

568. *Didius*] T. Didius unus ex prætoribus. *Ingeminavit opes hoſtiles*] Id eſt, auxit vires hoſtium. *Paul. Didius hoſtiles*] De Tito Didio mentio crebra in bello Marſico. Fuit unus ex prætoribus L. Sexto Cæſari annexis. Vide Appianum libro primo: ſuſpicor loqui Naſonem de ſtrage, quam Didius accepit à Sertorio juxta Bætim in Hiſpania, cujus meminit Plutarchus. Sed hæc fuit anno DCLXXIII. totoque decennio, ni fallor, decipitur Ovidius.

569. *Lux eadem*] (Quæ Matralium.) *Fortuna tua eſt*] Non illius cognomento Sejæ, ut blaterat Fanenſis; ſed Virilis: cujus auctor etiam Servius Tullius. Vide Dionyſium lib. 4. In hac erat ſimulacrum ligneum iſtius Principis, ſed velato togâ capite: hoc quam ob cauſam, multis diſſerit. *Neap. Lux eadem Fortuna*] Eodem die Matraliorum: hoc eſt, decimo die menſis Junii, eſt feſtum Fortunæ, cui delubrum eodem in loco idem Servius dedicavit; ubi erat ejus ſimulacrum, ſed pannis velatum. Huic rei triplicem affert Poëta rationem. *Eadem lux eſt tua*] Idem dies eſt tibi quoque conſtitutus. *Et autor*] Idem Tullius, qui dedicavit ædem Matutæ, dedicavit & tibi. *Et locus*] Idem: nam boario ædes conſecrata, vel quod habeat ſacellum junctum.

570. *Sed*

Sed ſuperinjectis quis latet æde togis?
Servius eſt (id conſtat enim) ſed cauſſa latendi
Diſcrepat: & dubium me quoque mentis habet.
Dum dea furtivos timidè profitetur amores,
Cœleſtemque homini concubuiſſe pudet;
(Arſit enim magno correpta cupidine regis,
Cæcaque in hoc uno non fuit illa viro:)
Noctæ domum parva ſolita eſt intrare feneſtra:
Unde Feneſtellæ nomina porta tenet.
Nunc pudet, & vultus velamine celat amatos,
Oraque ſunt multa regia tecta toga.
An magis eſt verum, poſt Tullî funera plebem
Confuſam placidi morte fuiſſe ducis?
Nec modus ullus erat: creſcebat imagine luctus,
Donec eum poſitis occuluêre togis.
Tertia cauſſa mihi ſpatio majore canenda eſt:
Nos tamen adductos intus agemus equos.
Tullia conjugio ſceleris mercede peracto,

His

570. *Sed quis latet*] Cujus eſt illa imago, quæ ſuperpoſitis togis velata eſt in templo.

571. *Sed cauſſa*] Quare lateat. *Servius eſt*] Simulacrum Servii Tullii.

572. *Diſcrepat*] Nam varia affertur.

573. *Dum dea furtivos*] Prima cauſa, quæ ad Fortunam refertur, quod amaverit Tullium.

574. *Et pudet cœleſtem*] Erubeſcit dea. *Concubuiſſe homini*] Habuiſſe rem cum mortali.

575. *Correpta cupidine*] Quaſi ſuccenſa magno amore regis Tullii. *Arſit enim magno*] Sic vulgo creditum. *Neap.*

576. *In hoc uno viro*] In rege Tullio ſolo. *Non fuit cæca*] Effingitur enim cæca Fortuna, quia merentes deprimit, immerentes extollit: in Tullio non fuit cæca, quia ſemper illi proſpera affulſit.

577. *Et ſolita intrare*] Solebat illa ingredi ad Tullium. *Parva feneſtra*] Non per patentem portam, ſed furtim per feneſtram exiguam, & noctis tempore.

578. *Porta tenet nomine Feneſtella*] Porta appellatur feneſtra. An quia Servius rex ſecundiſſima fortuna uſus, cum Fortuna rem habuiſſe creditus eſt, cum per fenęſtram ad eum penetraret. P. *Unde Fenęſtralis nomina, &c.*] Moneo in alio legi, *Unde Feneſtella.* De hac lege quæ ſcribit idem fuſius *in Atticis*, & judicium præſtantiſſimi viri Onuphrii Panvinii in Urbe Româ *Neap.*

579. *Nunc pudet*] Fortuna facti. *Vultus amatos*] Vultus Tullii quem amavit.

580. *Et ora regia*] Vultus Servii regis. *Multa toga*] Cum habeat caput togis involutum.

581. *Poſt funera*] poſt mortem. *Tullî*] Regis.

582. *Confuſam*] Turbatam.

583. *Nec erat ullus modus*] Non poterat adhibere modum mœrori. *Luctus creſcebat imagine*] Cum videretur imago regis, creſcebat dolor, & cum dolore lacrymæ.

584. *Occuluere*] Velavere imaginem. *Togæ Compoſitis*] Superjectis.

585. *Tertia cauſſa*] Hanc tertiam cauſam refert ad ſceleratum filiæ facinus. *Majore ſpacio*] pluribus verſibus.

586. *Nos tamen agemus intus equos adductos*] Quaſi, reflectemus curſum, & non ero longior.

587. *Tullia*] Tullii regis filia. *Parato conjugio*] Poſteaquam paravit matrimonium. *Mercede ſceleris*] Præmio crudelis facinoris.

His ſolita eſt dictis exſtimulare virum:
Quid juvat eſſe pares, te noſtræ cæde ſororis
Meque tui fratris, ſi pia vita placet?
Vivere debuerant & vir meus & tua conjux,
Si nullum auſuri majus eramus opus.
Et caput & regnum facito dotale parentis.
Si vir es, indictas exige dotis opes.
Regia res ſcelus eſt. ſocero cape regna necato,
Et noſtras patrio ſanguine tinge manus.
Talibus inſtinctus ſolio privatus in alto
Sederat. attonitum vulgus in arma ruit.
Hinc cruor, hinc cædes, infirmaque vincitur ætas.
Sceptra gener ſocero rapta Superbus habet.
Ipſe ſub Eſquiliis, ubi erat ſua regia, cæſus
Concidit in dura ſanguinolentus humo.
Filia carpento patrios initura penates,
Ibat per medias alta feroxque vias.
Corpus ut adſpexit, lacrymis auriga profuſis,
Reſtitit. hunc tali corripit illa ſono:
Vadis? an exſpectas pretium pietatis amarum?

Duc,

588. *Virum*] Tarquinium.

589. *Quid juvat eſſe pares*] Verba ipſius Tulliæ ad Tarquinium: quid prodeſt, ſi in patrando ſcelere pares ſumus. *Cæde noſtræ ſororis*] Quia ſororem meam tibi nuptam veneno confeciſti. *Et me cæde tui fratris*] Quia veneno ego fratrem tuum & virum meum peremii.

590. *Si placet vita pia*] Si in ſcelere non perſeveramus: ſemper metuet, quem ſæva pudebunt.

591. *Et vir meus*] Aruns frater tuus, quem ego perdidi. *Et conjux tua*] Quæ erat ſoror mea. *Debuerant vivere*] Et non à nobis tam miſerrime necari.

593. *Et caput*] Caput Tullii patris mei. *Et regnum*] Quod poſſidet. *Dotale*] Quaſi debetur tibi jure dotis, quia ego filia ſum hæres & vitæ paternæ & regni.

594. *Si tu es vir meus*] Cui ego dotem debeam. *Exige*] Pete ex debito. *Opes dotis*] Quæ tibi indictæ & conſtitutæ ſunt.

595. *Regia res ſcelus eſt*] Ne poſſet Tarquinius illud objicere, ſummam eſſe impietatem, ſævire in ſocerum, aut velle per ſcelera regnum occupare: refellit illa à ſententia arguens, quod ad tyrannum pertinet exercere ſcelera. *Socero necato*] Occupa regnum interfecto Tullio. P. *Regia res ſcelus eſt*] Dictum impium: & fere par vulgato illi Arrei apud L. Annæum Senecam in Thyeſte. Actu 11.

-- -- *Sanctitas, pietas, fides,*
Privata bona ſunt, quæ juvat Reges eant.

597 *Sederat privatus in alto ſolio*] Antequam rex à populo declararetur, conſcendit regium ſolium.

598. *Ruit in arma*] Nam alii pro Tarquinio, alii pro Servio ſumpſere arma.

599. *Ætas infirma*] Invalida, ætas ſenilis.

600. *Superbus*] Tarquinius cognomento *Superbus*. *Gener Tullii*] Cujus filiam habebat uxorem. *Habet ſceptra*] Regnum quod ſocero vi eripuit.

601. *Ipſe*] Tullius. *Caſus ſub Eſquiliis*] Ubi erat ſua regia.

603. *Filia*] Tullia. *Initura patrios penates*] Itura in regiam patris.

606. *Reſtitit*] Hæſit & continuit equos. *Corripit*] Hoc eſt, increpat. *Hunc*] Aurigam. *Tali ſono*] His verbis.

607. *Vadis*] Pergiſne quo debes. *An expectas amarum pretium pietatis*] Qua-

Duc, inquam, invitas ipſa per ora rotas.
(Certa fides facti) dictus Sceleratus ab illa
Vicus, & æterna res ea preſſa nota.
Poſt tamen hoc auſa eſt templum monumenta parentis
Tangere: mira quidem, ſed tamen acta loquor:
Signum erat in ſolio reſidens ſub imagine Tulli:
Dicitur hoc oculis oppoſuiſſe manum.
Et vox audita eſt, Vultus abſcondite noſtros,
Ne natæ videant ora nefanda meæ.
Veſte data tegitur: vetat hanc fortuna moveri:
Et ſic è templo eſt ipſa locuta ſuo:
Ore revelato qua primum luce patebit
Servius, hæc poſiti prima pudoris erit.
Parcite matronæ vetitas attingere veſtes:
Sollemnes ſatis eſt voce movere preces.
Sitque caput ſemper Romano tectus amictu
Qui rex in noſtra ſeptimus urbe fuit.

Arſerat

ſi, expectaſne verbera, aut crucem pro hac tua in patrem meum pietate. P. *Pretium pietatis amarum?*] Habent libri priſci *iniquum*: ſed illud proprium magis, *amarum*; eſt grave, moleſtum. *Neap.*

608. *Per ipſa ora*] Patris ſcilicet. *Rotas invitas*] Currum etiam renitentem.

609. *Certa fides facti eſt*] Quaſi, certum eſt ita factum fuiſſe. *Sceleratus*] A ſcelere & impietate filiæ. P. *Sceleratus ab illa Vicus*] Vide Varronem lib 4. de L. L. Dionyſius lib. 4. ipſum vicum Κύρειον (ſeu rectius Ὄλιον, licet idem ſit: ita tamen lego, ut ſequar veteres editiones) ait nominatum. *Neap.*

610. *Vicus*] Per quem egit currum ſupra cadaver paternum. *Et ea res eſt preſſa*] Impreſſa & ſignata. *Æterna nota*] Æterna infamia.

611. *Poſt tamen eſt auſa hoc*] Scelerata Tullia aliud quoque eſt auſa nefas.

612. *Tangere monumenta*] Inire Fortunæ templum quod pater conſecrarat.

613. *Erat ſignum reſidens in ſolio*] Erat ſimulacrum quod ſedere in regio ſolio videbatur.

614. *Sub imagine Tulli*] Effigie ipſius regis: erat enim Tullii imago. *Oppoſuiſſe manum oculis*] Velaviſſe oculos oppoſita manu.

615. *Abſcondite*] Velate oculos & ora noſtra.

616. *Ora nefanda*] Sceleratos vultus. *Meæ natæ*] Tulliæ filiæ.

617. *Tegitur*] Ipſa imago. *Data veſte*] Superinjecta toga. *Fortuna*] Cujus eſt ipſa ædes. *Vetat moveri hanc*] Veſtem: non patitur detegi vultus Tullii.

619. *Qua luce primum patebit Servius ore revelato*] Qua die detecto vultu imaginis, aperte conſtabit eam eſſe Tullii.

620. *Erit prima poſiti pudoris*] Nam quoad velata erit imago, ſemper vos pudebit tanti ſceleris, cum ſuſtinueritis regem optimum trucidari. Sinite ergo tectam eſſe imaginem, ne cum velamine ejus pudorem quoque veſtrũ deponatis.

621. *Matronæ parcite attingere*] Nolite vos Romanæ matronæ, velamina hujus ſimulacri contingere.

622. *Satis eſt*] Satis eſt adorare, & ſolenniter verbis precari.

623. *Romano amictu*] Romana toga.

624. *Qui rex in noſtra*] Atqui ſeptimus rex Romanorum Tarquinius fuit Superbus. Sed Ovid. hoc loco. T. Tatium regibus connumerat, quem Romulus in ſocietatem regni recepit.

Arſerat hoc templum: ſigno tamen ille pepercit
Ignis: opem nato Mulciber ipſe tulit.
Namque pater Tullî Vulcanus, Ocriſia mater
Præſignis facie Corniculana, fuit.
Hanc ſe cum Tanaquil ſacris de more peractis
Juſſit in ornatum fundere vina focum.
Hinc inter cineres obſcœni forma virilis
Aut fuit, aut viſa eſt: ſed magis illa fuit.
Juſſat foco captiva ſedet. conceptus ab illa
Servius à cœlo ſemina gentis habet.
Signa dedit genitor tunc cum caput igne coruſco
Contigit, inque coma flammeus arſit apex.
Te quoque magnifica Concordia dedicat æde
Livia, quam charo præſtitit illa viro.
Diſce tamen veniens ætas: ubi Livia nunc eſt
Porticus immenſæ tecta fuiſſe domus.

Urbis

625. *Arſerat hoc templum*] Flagravit aliquando ea ædes. *Pepercit ſigno*] Quaſi non attigit ſimulacrum regis. P. *Signo tamen ille pepercit*] In ipſo incendio non exercit Tullii effigies: non marmorea ſed lignea, ut mireris. Vide Dionyſium lib. 5. N.

626. *Ipſe Mulciber*] Vulcanus, qui deus eſt ignis. *Opem*] Imagini ſui filii.

627. *Pater Tulli Vulcanus*] Narratur hæc etiam fabella ab Hiſtoricis: ſed olim plebeis animis credita ex ſucceſſu in illis flammis. Hujus verus pater fuit princeps quidam vir in Corniculi expugnatione occiſus *Neap.*

628. *Ocriſia Corniculana*] Ex Corniculo Latinorum oppido. *Præſignis facie*] Quaſi præſtantis formæ.

629. *Tanaquil*] Regina Tarquinii Priſci conjux.

630. *Focum*] In focum ſacrificii.

631. *Forma virilis*] Membri ſcilicet.

632. *Aut viſa eſt*] Aut ita apparuit.

633. *Captiva*] Serva Ocriſia. *Juſſa*] A Tanaquilide. *Sedet foco*] Ubi ea forma erat. *Conceptus ab illa*] Ocriſia & forma virili.

634. *Servius*] Rex. *Habet ſeminagentis à cœlo*] Trahit genus à diis cœleſtibus.

635. *Genitor*] Vulcanus. *Dedit ſigna*] Quibus conſtaret ſuum eſſe filium. *Caput*] Servii. *Coruſco igne*] Splendida flamma.

636. *Et apex flammeus*] In apicem aſſurgens. *Hæſit in coma*] Ipſius Tullii. P. *Flammeus hæſit apex*] Res nota: quod & finxit Maro Mantuanus in Aſcanio. *Neap.*

637. *Dedicat te magnifica æde*] Hoc eſt, dedicavit hoc etiam die Livia tibi magnificam ædem. P. *Te quoque magnifica*] Eodem IV. Idus Junias templum Concordiæ Virilis dedicatum à Liviâ prope ejuſdem nominis porticum, in martyrema, ſuſpicor, Concordiæ maritalis, nam ſubdit:

Quam charo præſtitit illa viro.

Auguſtû enim ſibi devinxit hac arte. *N.*

638. *Quam*] Concordiam. *Illa præſtitit charo viro*] Cæſari Auguſto, nam ſumma cum concordia cum eo ad extremum uſque diem vixit.

639. *Ubi nunc eſt porticus Livia*] A Livia Druſilla cognominata. *Paul. Ubi Livia nunc eſt Porticus*] Hanc περίπατον vocavit Strabo lib. 5 quam ſcriptores Græci fere omnes στοάν. Sane credibile, in eâ ſtatuas adaptatas toto pæne orbe ſelectas: quin antiquiſſimas tabulas habuerit, non addubito. Hic fere fuit proprius harum porticuum ornatus: Athenis fuit celebris illa, quæ prius dicta Πεισιανάκτειος; poſtea, à varietate picturarum parietibus incruſtatâ, ἡ Ποικίλη.

640. *Immenſæ tecta fuiſſe domus*] Noſter hîc agit de ſuperbâ illa domo

Vedii

Urbis opus domus una fuit: ſpatiumque tenebat,
Quo brevius muris oppida multa tenent.
Hæc æquata ſolo eſt nullo ſub crimine regni,
Sed quia luxuria viſa nocere ſua.
Suſtinuit tantas operum ſubvertere moles
Totque ſuas hæres perdere Cæſar opes.
Sic agitur cenſura, & ſic exempla parantur;
Cum judex, alios quod monet, ipſe facit.
Nulla nota eſt veniente die, quam ducere poſſis.
Idibus invicto ſunt data templa Jovi.
Et jam Quinquatrus jubeor narrare minores.

Nunc

Vedii Pollionis, quam defunctus Auguſto legavit, ut teſtatur Dio Caſſius lib. 54. Dedicata hæc Liviana anno Urbis DCCLXIV. Vide Dionem lib. LVI. *N.*

641. *Una domus*] Cæſaris. *Fuit opus urbis*] Erat magnitudinis unius urbis.

642. *Et tenebat ſpatium*] Majus ſpacium occupabat illa domus, quam in ambitu occupent multa ſimul oppida.

643. *Hæc domus*] Cæſaris. *Eſt æquata ſolo*] Ad ſolum uſque diruta. *Sub nullo crimine regni*] Non quod autor crimine affectati regni damnaretur, quemadmodum domus M. Manlii Capitolini.

644. *Sed quia eſt viſa nocere ſua luxuria*] Eſt viſa alios lædere invidia immenſæ molis.

645. *Subſtinuit ſubvertere*] Diruere tam magna & operoſa ædificia.

646. *Hæres Cæſar*] Octavius Auguſtus, qui hæres fuit Julii Cæſaris. *Et perdere tot ſuas opes*] Opulentam illam domum quæ erat ſui juris. *Paul. Totque ſuas hæres*] De Auguſto hæc legimus in Suetonio cap. 56. Quoties ei aliquid relictum ex ignoti teſtamento, capere quidquam non ſuſtinuiſſe: at legata, vel partes hæreditatum à quibuſcumque parentibus relicta ſibi, aut ſtatim liberis eorum conceſſiſſe; aut, ſi pupillari ætate eſſent, die virilis togæ vel nuptiarum cum incremento reſtituere conſueviſſe. O magnum Principem.

647. *Sic agitur cenſura*] Cenſor ergo per id tempus Auguſtus, quo domum Pollianam ſolo æquavit. Supputemus. Mors & legatum Vedii incidit in annum DCCXXXIX. M. Livio Druſo & L. Calpurnio Piſone Coſſ. Auguſto poſt reditum Syriæ qui fuit anno DCCXXXV. Præfectura morum cum Cenſoriâ poteſtate (notum, illum æque Cenſoris nomen ac Dictaturam refugiſſe) ad quinquennium decreta. Videatur & Suetonius lib. 2. cap. xxvii. *Neap. Sic agitur cenſura*] Sic recte cenſura exercetur, quandoquidem quod cenſetur à judice, exemplo quoque ab eodem oſtenditur.

649. *Nulla nota eſt veniente die*] Die ſubſequenti, hoc eſt, tertio idus Junias, nullus eſt in Faſtis feſtorum titulus.

650. *Idibus*] Idibus Juniis conſecratum eſt templum Jovi Invicto: cujus conſecrationem alii ad Auguſtum referunt, alii ad ſenatum, poſt tot Auguſti victorias, præſertim cum illum quoque *invictum* appellare conſueviſſet. *Paul. Invicto ſunt data templa Jovi*] Adeo rara memoria, imo nulla hujus templi apud patres noſtros; ut credam, *invictum* pro epitheto hîc poſitum, non pro cognomine: ſub quo ædes revera ſacrata. Fit igitur hîc mentio de templo aut Jovis Sponſoris, aut Latialis. ſed hoc divinare eſt.

651. *Et jam Quinquatrus*] De majoribus diximus in Martio ſub finem: de minuſculis Varro lib. 5. de L. L. Feſtus Pompejus: *Minuſculæ Quinquatrus appellabantur Idus Junias, quod in dies feſtus erat tibicinum qui Minervam colebant. Narrare minores*] Ita in Panathenæis apud Athenienſes lego majora & minora. *Paul. Et jam Quinquatrus*] Quinquatres minores celebrantur idibus Jun. quas minuſculas appellat Varro. Ita enim inquit: Quinquatres minuſculæ dies, Juniæ idus, ab ſimilitudine majorum, quod

Nunc ades ô cœptis flava Minerva meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in urbe?
Quid ſibi perſonæ, quid ſtola longa, volunt?
Sic ego: ſic poſita Tritonia cuſpide dixit,
Poſſim utinam doctæ verba referre deæ!
Temporibus veterum tibicinis uſus avorum
Magnus, & in magno ſemper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis:
Cantabat mœſtis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor: tempuſque ſecutum,
Quod ſubito gratæ frangeret artis opus.
Adde quod Ædilis, pompam qui funeris irent,
Arrifices ſolos juſſerit eſſe decem.
Exilio mutant urbem, Tiburque recedunt:

(Exilium

quod tibicines tum feriati per urbem vagantur, & conveniunt ad ædem Minervæ. *Quinquatrus minores*] Feſta Minervæ. Sed minores appellat, ad differentiam majorum Quinquatriorum, quæ menſe Martio celebrantur.

652. *Flava Minerva*] O Pallas. Sed *flava*, à flavis oleis dicta eſt; vel ut alii, à flavis crinibus. *Ades*] Adſis & faveas his meis incœptis.

653. *Cur vagus*] Cur tibicines vagantur per totam urbem.

654. *Quid perſonæ, quid tota longa*] Quare perſonati eunt, & muliebri ornatu cum longis veſtibus? *Paul. Quid toga longa volunt?*] Hac lectione quid melius poteſt eſſe aut certius? Stola quidem erat veſtis matronalis. Sed & toga etiam antiquitus veſtis feminea. imo *longam* addidit, ut has matronales adſignificaret. nam viriles haud erant trans crura prodigæ; muliebres ad talos uſque demiſſæ. *Neap.*

655. *Tritonia*] Pallas. *Poſita cuſpide*] Depoſita haſta.

657. *Magnus uſus fuit tibicinis*] Præſertim in ſacris, & in ludis.

659. *Tibia cantabat fanis*] In templis.

660. *Cantabat ludis*] Sic & in feſtis, & in ludis theatralibus erat ejus uſus.

661. *Dulcis erat labor*] Tibicinum. *Paul. Tempuſque ſecutum*] Fuit annus urbis CCCCXLI. M. Valerio & P. Decio Coſſ. Per id tempus collegium tibicinum prohibitum à Cenſoribus Appio Claudio & C. Plautio in æde Jovis veſci. Sed haud hæc prima cauſa urbici diſceſſus; alia præceſſerat, quæ ſequitur. *Neap.*

662. *Subito frangeret*] Quod interrumperet & diſturbaret tam gratum munus tibicinum. Nam privati ſunt honoribus, ab Appio Claudio: Vetiti enim fuerant in templo Jovis veſci.

663. *Adde quod ædilis*] Qui curam habent ædium ſacrarum, & ludorum, & funerum. *P. Adde quod Ædilis*] Huic ſcilicet honori ſublato, eundem Appium Claudium eâ tempeſtate quâ Ædilitatem agebat (exercuit hanc anno CDXI. cum P. Cornelio Arvinâ) tibicines damnoſo quodam edicto irritaſſe, quo ſumptus funebres coarctavit, & in duodecim tabulas præſcriptum reduxit: ſtatuitque, ne quis plures quam decem ex iis in exequiis adhiberet. Pighius inter hoc & ſuperius diſtichium multa deſiderari cenſet: fallitur: quid enim hæc ſignificant, *Dulcis erat mercede labor?* ac ſi diceret, Præmium antiquitus, levaſſe laborem. quod præmium? niſi jus veſcendi in æde Jovis, quod poſtea illis ereptum. *Qui irent pompam funeris*] Qui tibiis canentes funus comitarentur.

664. *Artifices ſolos*] Ii pariter & Græcis τεχνῖται: commune nomen muſicis, thymelicis & hiſtrionibus. *Neap. Juſſerat eſſe ſolos*] Redegerat collegium tibicinum ad decem tantum, cum prius longe eſſent plures.

665. *Mutant urbem exilio*] Abierunt omnes

(Exilium quodam tempore Tibur erat)
Quæritur in ſcena cava tibia: quæritur aris:
Ducit ſupremos nænia nulla toros.
Servierat quidam quantolibet ordine dignus
Tibure: ſed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille ſuo, turbamque canoram
Convocat. ad feſtas convenit illa dapes.
Nox erat, & vinis oculique animique natabant;
Cum præcompoſito nuncius ore venit.
Atque ita, Quid ceſſas convivia ſolvere? dixit.
Autor vindictæ jam venit ecce tuæ.
Nec mora, convivæ valido titubantia vino
Membra movent: dubii ſtantque labantque pedes.
At dominus, Diſcedite, air, plauſtroque morantes
Suſtulit. in plauſtro ſcirpea lata fuit.

Alliciunt

omnes ab urbe, tanquam in exilium ejecti *Paul. Exilio mutant urbem*] Sed αὐτομάτας. Valerius: *Tibur irati ſe contulerunt.*

666. *Quodam tempore Tibur erat*] Queritur hìc aperte de ſuo, quod tam diſtans ab urbe Româ. *Neap. Tibur erat exilium*] Exilii locus. *Quodam tempore*] Licet Poëta Pallada loquentem introducat, tamen hoc pro exilio ſuo dixit, quod in regionem remotiſſimam ejectus ſit: ut inde commiſerationem moveat, quod tam male ſecum actum ſit, cum olim exilii locus Tibur eſſet.

667. *Cava tibia quaritur in*] Ipſi tibicines deſiderabantur in conviviis. *Quaritur aris*] Et in ipſis ſacrificiis.

668. *Nulla nania*] Pro nullo funebri cantu poſitum. *Nulla nania*] Ad tibias ſcilicet cantata. *Ducit ſupremos choros*] Hoc eſt, funebrem pompam. *Ideo non ducit*] Nam abierant tibicines.

669. *Erat quidam ſervus*] Erat ſervus, ſed illis moribus & virtute præditus, ut dignus eſſet magno quovis honore ordinis. *Paul. Servus erat quidam*] Duo Vaticani, *Servierat quidam.* Ergo jam erat libertus: ſic ordo poſtulat. nam ad quid illa? *Longo tempore liber erat.* Livius vult reſtitutos Legatorum opera. *Neap.*

670. *Sed longo tempore erat liber*] Erat enim manumiſſus.

671. *Ille*] Libertus. *Parat dapes*] Paravit ruri convivium, & opiparas epulas. *Et convocat turbam canoram*] Invitat tibicines ad cœnam.

672. *Convenit*] Acceſſêre omnes ad convivium.

673. *Et oculi & animi*] Tibicinum. *Natabant vinis*] Trepidabant ebrietate, multo epoto vino.

674. *Ore præcompoſito*] Verbis fictis.

675. *Solvere convivia*] Dimittere convivia.

676. *Autor tuæ vindictæ*] Venit enim patronus, qui te manumiſit, & te liberum fecit. Ideo *autor vindictæ*, qui te libertate donavit. *Paul. Auctor vindictæ, &c.*] Inſtrumentum hìc pro libertate. Βακτηρία ἡ ῥάβδος, inquiunt Græci Juriſconſulti; quâ ſupra ſervi caput impoſitâ, à Prætore manumittebatur. *N.*

677. *Convivæ*] Ipſi tibicines. *Movent membra titubantia*] Cum diſcederent, ebrietate ipſa titubabant.

678. *Dubii ſtant, & labant*] Quod apertiſſimum ſignum eſt ebrietatis.

679. *At dominus*] Qui jam venerat: aut ipſe libertus, princeps convivii. *Morantes*] Hærentes, quod erant ebrii.

680. *Et ſuſtulit*] Surſum tulit. *Plauſtro*] Vehiculo. *Paul. Scirpea lata fuit*] Scirpare veteribus, pro colligare, Græcis πλέκειν. Ergo, *ſcirpea* colligatum τὸ πλέγμα. Tegicula igitur quædam è vimine contexta circa plauſtrum erat (hoc ſupra Plutarchus facit pellibus circumquaque

Alliciunt ſomnos tempus, motuſque merumque,
Potaque ſe Tibur turba redire putant.
Jamque per Eſquilias Romanam intraverat urbem,
Et mane in medio plauſtra fuêre foro.
Claudius ut poſſet ſpecie numeroque Senatum
Fallere, perſonis imperat ora tegi.
Admiſcetque alios: & ut hunc tibicina cœtum
Augeat, in longis veſtibus ire jubet.
Sic reduces bene poſſe tegi: ne forte notentur
Contra collegæ juſſa rediſſe ſui.
Res placuit: cultuque novo juvat Idibus uti,

Et

cumquaque contectum) ſudibus munita, ut expanderetur, ne aliquid decideret. *Capſum* Latinis. Iſidorus: *Capſum, carruca undique contexta.* Neap. *In plauſtro ſcirpea lata fuit*] Ea plauſtro impoſita eſt, ut tibicines aptius quieſcerent. *Ant.*

681. *Alliciunt ſomnos*] Tria ponit ſomnum provocantia, quæ eos dormire coegerunt. *Tempus*] Quoniam nox. *Et motus*] Plauſtri illa agitatio. *Et merum*] Quod efficacius eſt ad incutiendum ſoporem.

682. *Et tota turba*] Tibicinum, qui erant in ſcirpea. *Putat ſe redire Tibur*] Unde ad convivium acceſſerant, illuc ſe revehi putabant.

683. *Per Eſquilias*] Per portam Eſquilinam, quam Tiburtinam quoque vocant: Hoc tempore vocatur porta ſancti Laurentii.

684. *Et mane*] Cum illuceſceret. *Plauſtra fuere in medio foro Romano*] Et Livius, *Nec prius ſenſere, quam plauſtris in foro relictis, plenos crapulæ eos lux oppreſſit.*

685. *Ut poſſet fallere*] Decipere eos quos in urbe retineret. *Specie*] Similitudine. *Et numero*] Quo plures viderentur. *Paul. Claudius ut poſſet*] Variant & ſcripti, & cuſi: Pighio adſentior, qui ſcribit, *Plautius ut poſſet.* Hic collega fuit Appii Claudii, ut diximus: quem veriſimile operam dediſſe, ut tibicines levatis gravaminibus in integrum reſtituerentur; non Appium Claudium, qui tibicines non ſemel offenderat, quidpiam illis indulſiſſe. *Neap.*

686. *Imperat tegi ora perſonis*] Jubet ut accipiant perſonas, quibus faciem tegant, ne agnoſcantur.

687. *Admiſcetque alios*] Tibicines, qui in urbe erant. *Ut tibicina*] Mulier tibia canens. *Hunc cœtum*] Tibicinum relatorum.

688. *Augeat*] Augere videatur. *Jubet ire in longis veſtibus*] In ornatu & veſte muliebri. Admiſcuit alios ſenatus in his veſtibus, ut viderentur plures eſſe, & omnes rediiſſe: quo eos falleret eo ornatu, quo ipſi redierant.

689. *Sic bene poſſe*] eo habitu putavit bene tectos eſſe, ne agnoſcerentur.

690. *Contra juſſa ſui collegæ*] Suorum collegarum: ſi qui erant, qui Tibure remanſiſſent. Quoniam ita conſtituerant, non redire, niſi reſtituto priore honore, & jure epulandi: ſed ita perſonati non videbantur fefelliſſe collegas. Senatus tamen omnia reſtituit. *Paul. Contra collegæ*] Appii Claudii.

691. *Juſſa rediſſe ſui*] Hoc placuit Plautio, ne populus haud unanimi amborum conſenſu in urbem reſtitutos animadverteret: non quod uni eorum pſephiſmata collegæ reſcindere poteſtas adempta. Paſſim videmus, ut Cenſorum alter è Senatu aliquem ejiciat, retineat alter: tribu alter moveat, vetet alter. exemplum in Livio lib. 40. ſub finem: Hinc quorumdam Cenſorum concordia pro re ſingulari notata ab Hiſtoricis. *Neapol. Res placuit*] Et tibicinibus & ſenatui. *Et idibus*] Et Junii ſcilicet, *Licet uti novo cultu*] Ornatu. Datum enim eſt, ut triduum quotannis ornati, cum cantu, atque ea quæ tunc erat ſolennis licentia per urbem vagarentur.

692. *Ad*

Et canere ad veteres verba jocoſa modos.
Hæc ubi perdocuit, Supereſt mihi diſcere, dixi,
Cur ſit Quinquatrus illa vocata dies.
Martius, inquit, agit tali mea nomine feſta:
Eſtque ſub inventis hæc quoque turba meis.
Prima terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret effeci tibia longa ſonos.
Vox placuit: liquidis faciem referentibus undis
Vidi, virgineas intumuiſſe genas.
Ars mihi non tanti eſt, valeas, mea tibia, dixi.
Excipit abjectam ceſpite ripa ſuo.
Inventam Satyrus primum miratur: at uſum
Neſcit, & inflatam ſentit habere ſonum.
Et modo dimittit digitis, modo concipit auras:
Jamque inter Nymphas arte ſuperbus erat.
Provocat & Phœbum: Phœbo ſuperante pependit:

Cæſa

692. *Ad veteres modos*] Ad modulos veterum tibiarum.

693. *Hæc ubi perdocuit*] Poſtquam Pallas ita me docuit.

694. *Cur illa dies*] Iduum jun.

695. *Inquit*] Pallas. *Habet mea feſta tali*] Quod in menſe Martio celebrantur feſta Palladis ſub eadem appellatione: nam *Quinquatria* dicta, & quinque diebus. Ita & menſe Junio *Quinquatres* dictæ, & triduo fiunt. Inde eas minuſculas appellat Varro.

696. *Hæc quoque turba*] Tibicinum. *Sub inventis meis*] Quoniam ego fui tibiæ inventrix.

697. *Buxo terebrato*] Perforato. *Per rara*] Pauca enim erant in antiqua tibia. Immo volunt tria tantum fuiſſe, à tribus in cantu & ſono vocibus, gravi, acuta, & flexa; poſtea plura facta ſunt.

699. *Vox*] Erat gratus tibiæ ſonus.

700. *Vidi, virgineas*] Meas genas, quæ virgo ſum. *Undæ referentibus faciem*] Cum in liquidis aquis redderetur imago mei vultus, tunc vidi, dum conflarem tibiam, genas tumefactas, & ſic cum ita intumuiſſet, viſa eſt ſibi ipſi deformior.

701. *Ars mea non eſt*] Ut debeat deformis videri inflatis genis. *Valeas, mea tibia, dixi*] Et abjeci illam. *Paul. Valeas, mea tibia, dixi*] Nil aliud hîc *valeas* quam Græcum ἔρρε, ſeu ἀπέρρι. *Neap.*

702. *Ripa*] Illius fontis, cujus aquæ reddiderant imaginem. *Excipit abjectam*] A me tibiam. *Suo ceſpite*] In herbido ſolo.

703. *Satyrus*] Satyrum appellat Marſyam regem, qui geminam tibiam adinvenit, & fluvius eſt ejuſdem nominis in Mæandrum cadens. *Paul. Inventam Satyrus*] Fro Marſyâ fuit ex his unus.

704. *Afflatam ſenſit habere ſonum*] Inde doctior, geminas tibias inflavit. Primus hiſtulam πολυκάλαμον, ſive σύριγγα, inveniſſe dicitur; capiſtrum etiam, quo tibicines os ſibi ſubſtringebant, de quo Scholiaſtes Ariſtophanis, & alii *Neap. Neſcit uſum*] Ipſius tibiæ. *Inflatam*] Cum inflaretur. *Habere ſonum*] Reddere vocalem concentum.

705. *Et modo dimittit*] Modo tangit foramina illa digitis, modo elevat, modo dimittit, ut vocem variaret, ſic illa varietas plurimum oblectabat. *Modo concipit auras*] Flatum ut majore vi flatum impelleret, quo illa vehementius reſonaret. *Paul. Modo concipit auras*] Totam hanc artem mire expreſſit elegans cum voluit Cyprianus in libello de Spectaculis. *Neap.*

706. *Arte*] Artificio reſonandæ tibiæ. *Inter nymphas*] Erat ex eo ſuperbus, quia putabat ſe illius artis inventorem.

707. *Provocat & Phœbum*] Provocavit Marſya Apollinem in certamen cantus, cum in Niſam urbem ad Dionyſium veniſſet eum Cybele. *Phœbo*

Cæſa receſſerunt à cute membra ſua.
Sum tamen inventrix autorque ego carminis hujus:
Hoc eſt cur noſtros ars colat iſta dies.
TErtia nox veniet, qua tu Dodoni Thyene
Stabis Agenorei fronte videnda bovis.
Hæc eſt illa dies, quâ tu purgamina Veſtæ
Tybri per Etruſcas in mare mittis aquas.
SIqua fides ventis, zephyro date carbaſa nautæ:
Cras veniet veſtris ille ſecundus aquis.
AT pater Heliadum, radios ubi tinxerit undis.
Et cinget geminos ſtella ſerena polos; *
Tollet humo validos proles Hyriea lacertos:
Continua Delphin nocte videndus erit.

Scilicet

ſuperante pependit] Nam victus ab Apolline pœnas luit. *Paul. Provocat & phœbum*] Sed victus.

708. *Cæſa receſſerunt à cute*] Pependit illa Celænis. Herodotus de hac lib. 7. *Paul. Membra cæſa*] Inciſa. *Receſſerunt à cute ſua*] Per Hypallagen, quod cutis exciſa receſſit à membris, nam excoriatus fuiſſe dicitur.

709. *Et autor hujus carminis, &c.*] Et hic tibiarum cantus à me originem habuit.

711. *Tertia nox veniet*] Poſt idus Junias tertia nocte. *Qua tu Thyene Dodoni*] Quæ eſt una Hyadum. P. *Tertia nox veniet*] Erit tertia, ſi includas Idulim; nec alia mens Naſonis: nam Hyadum ortum conjicit in diem, quâ ſtercus ex æde Veſtæ defertur in Tyberim. id ſolemniter actum à veteribus xvii. Kalendas julias. *Thyene* una Hyadum: cujus mentione indicat earum ἐπιτολήν. N.

712. *Stabis videnda*] Qua nocte apparebis. *Fronte bovis Agenorei*] In fronte Tauri, qui cœlo figuratus eſt, de quo diximus ſuperius. Et de Hyadibus ſuperiore libro: quæ cum ſint in fronte Tauri, ſecunda die Maji matutinæ ſurgebant. Nunc vero tempeſtivius ſurgunt, & media nocte apparent. Fuere ipſæ numero ſeptem, & *nymphæ dodonides* appellatæ. Ultima earum Thyene eſt.

713. *Hæc illa dies*] Hæc decima quinta dies Junii.

714. *Mittis in mare*] Defers in mare Tyrrhenum. *Per aquas Hetruſcas*] Per aquas tuas, quæ ex Hetruria labuntur.

715. *Si qua fides ventis*] Decimo ſexto Calendas Quintiles proſpera navigatio: nam Zephyrus flabit. *Si qua fides ventis*] Si credendum eſt vento. *Date carbaſa Zephyro*] Date vela vento, qui lenis, & proſper ab Occidente flabit.

716. *Cras*] Decimo ſexto die menſis. *Veniet ille ſecundus*] Flabit proſper. *In noſtris aquis*] In mari Tyrrheno. P. *Cras veniet veſtris*] XVI. Kalendas.

717. *At pater Heliadum*] Eâdem luce cum Sole Orion ſimul emergit: nec eſt cur ambigas, an agat de ortu coſmico. N. *At pater Heliadum*] Decimo quinto Calendas Quintiles, oritur gladius Orionis coſmiice, ſed paulo poſt totus cum Cancro exurget. *Pater Heliadum*] Phœbus: hoc eſt ipſe Sol. Nam *Heliades* dictæ Solis filiæ. *Tinxerit radios undis*] Ubi ſol occiderit.

718. *Et ſtella ſerena*] Ipſe ſol lucidus. *Cinget geminos polos*] Hoc eſt, ſuperius & inferius hemiſphærium. Eraſi ſunt ab uno codice & optimo hi duo ſequentes verſiculi, & ſane non ſunt admodum neceſſarii.

* *Nam duo ſunt; Auſtris hic eſt, Aquilonibus ille.*

Proximus: à vento nomen uterque tenet] Nam Arcticus polus Borealis dicitur, à Bore: Antarcticus Auſtralis, ab Auſtro. *Neap.*

719. *Tollet humo*] Elevabit à tellure. *Validos lacertos*] Hoc eſt, gladium quem validis brachiis ſuſtinet. P. *Proles Hyriea*] Orion Hyrici filius. *Validos lacertos*] Καρτερὸν dixit virum Aratus. N.

720. *Nocte continua*] Quæ ſequitur decimam ſeptimam diem Junii. *Erit videndus*

Scilicet hic olim Volſcos Æquoſque fugatos
Viderat in campis Algida terra tuis.
Unde ſuburbano clarus Tuberte triumpho,
Vectus es in niveis Poſthume victor equis.
JAm ſex, & totidem luces de menſe ſuperſunt:
Huic unum numero tu tamen adde diem.
Sol abit à Geminis, & Cancri ſigna rubeſcunt:
Cœpit Aventina Pallas in arce coli.
JAm tua Laomedon oritur nurus: ortaque noctem
Pellit, & è pratis cana pruina fugit.
Reddita, quiſquis is eſt, Summano templa feruntur,
Tum, cum Romanis Pyrrhe timendus eras.

HAanc

dendus Delphin.] Qui ea nocte apparet. P. *Continua Delphin.*] XV. Veſperi Delphinus totus apparet.

721. *Volſcos Æquoſque fugatos*] Eodem xv. anno Urbis CCCXXII. A. Poſtumus Tubertus inſignem victoriam adeptus in Algido ex expugnatis uno tempore Æquorum Volſcorumque caſtris. Adi Livium. *Neap. Hic*] Delphin. *Viderat olim Æquos*] Viderat exercitus conjunctos Æquorum & Volſcorum in Algido fuſos, decima octava die Junii. à L. Valerio.

723. *Unde*] Ex qua victoria. *Victor clarus*] L. Valerius illuſtris. *Triumpho Tuberte ſuburbano*] Triumpho de Tyburtibus qui in ſuburbano nunc ſunt, & tunc cum Æquis erant. *Paul. Clarus Tyburte*] Malim, *Tuberte*, ut ſcribunt Faſti Capitolini.

724. *Vectus es in niveis*] Meminit & triumphi Diodorus Siculus libro 12. *Poſtume victor equis*] Duo apud me veteres *poſtmodo victor equis*. Neap. *Et vectus poſtmodo*] Quaſi paulo poſt, cum ab initio triumphus à ſenatu denegaretur. *Equis niveis*] Ut vehi ſolent triumphantes curru quadrijugo, quem equi candentes agunt.

725. *Jam ſex & totidem luces de menſe ſuperſunt, &c.*] Decima octava etiam die junii ſol, relictis Geminis, ingreditur Cancrum, & in Aventino dedicata eſt ædes Palladi à ſenatu. *Jam ſex & totidem*] Hoc eſt, duodecim. *Superſunt de menſe*] Reſtant adhuc de menſe junio. P. *Jam ſex & totidem*] 13. Kalendas Sol tranſit in Cancrum. *Neap.*

726. *Tamen huic numero tu adde diem*] Sic ſupererunt tres & decem dies.

727. *Et rubeſcunt ſigna Cancri*] Num ſol init Cancrum, & tunc incipiunt magni calores.

728. *Et Pallas incæpit coli in, &c.*] Cœpêre fieri ſacrificia in Aventino, cum eſſet illic ædes conſecrata.

729. *Jam, ô Laomedon, oritur tua nurus*] Aurora conjux tui filii Tithoni. *Orta pellit noctem*] Diem refert & ſignificat decimum nonum diem junii. *Paul, jam tua Laomedon*] 12. Kalendas erat Summani ſacrum: eodem die in fragmento veteris Kalendarii, in quo tantum pars Maii & Junii his literis, CC. SUMMANO AD CIRC. MAX. Nigra pecus inferis immolabatur. *Neap.*

730. *Et cana pruina*] Pro rore *pruinam* ponit, hoc eſt, ros lucidus. *Fugit è pratis*] Cum ſol ſurrexerit.

731. *Templa reddita*] Hoc die erecta & conſecrata fuiſſe templa. *Summano quiſquis is eſt*] Quicunque deus ſit Summanus. Huic deo Romani nocturna fulmina aſſignant, cum diurna Jovi attribuant. Ea ratione volunt aliqui Summanum eſſe Plutonem dictum, quaſi ſummum manium. *Paul. Quiſquis is eſt*] Creditus ergo umbrarum pater, & noctis præſes: ſic ejus apparitiones fictæ eodem tempore.

732. *Pyrrhe timendus eras*] Anno ſecundo belli Tarentini. Sed cultus antiquior, & à Tatio Rege, ut volunt priſci. Annales apud M. Varronem. *N. Cum tu Pyrrhe eras timendus*] Propterea quod aliquando Romanos exercitus fudit.

733. *Cum Galatea*] Nympha maris, filia Nerei & Doridis. Sed pro ipſo ma-

HAnc quoque cum patriis Galatea receperit undis,
Plenaque ſecuræ terra quietis erit:
Surgit homo juvenis telis afflatus avitis,
Et gemino nexas porrigit angue manus.
Notus amor Phædræ, nota eſt injuria Theſei:
Devovit natum credulus ille ſuum.
[Non impune pius juvenis Trœzena petebat.
Dividit obſtantes pectore taurus aquas.]
Solliciti terrentur equi: fruſtraque retenti
Per ſcopulos dominum duraque ſaxa trahunt:
Exciderat curru, loriſque morantibus artus
Hippolytus lacero corpore raptus erat:
Reddideratque animam, multum indignante Diana:
Nulla Coronides cauſa doloris, ait.
Namque pio juveni vitam ſine vulnere reddam,
Et cedent arti triſtia fata meæ.
Gramina continuo loculis depromit eburnis:
Profuerant Glauci manibus illa prius:
Tunc, cum obſervatas augur deſcendit in herbas.

Uſus

ri hoc in loco. *Receperit hunc diem undis patriis*] Hoc eſt, cum ſol occiderit. P. *Hanc quoque cum patriis*] Eodem 12. nocte incunte oritur Ὠρίων καὶ Κύων. *Neap.*

734. *Erit plena ſecuræ quietis*] Cum per noctem requieſcent omnia quæ in tellure ſunt. Et ſignificat noctem, quæ præcedit vigeſimam diem Junii.

735. *Juvenis ſurgit homo*] Oritur Æſculapius. *Afflatus telis avitis*] Quibus ſtellis Jupiter avus eum ornavit.

736. *Et porrigit*] Oſtendit. *Nexas*] Implicitas. *Gemino angue*] Ideo Ophiuchus dictus, id eſt, ſerpentem tenens. P. *Et gemino nexas*] Ex ſchedographiâ. *Porrigit angue manus*] Primo ſiniſtram.

737. *Notus amor Phædræ*] Hæc μυθολογία nihil motor. Vide Hyginum lib. 11. Poët. Aſtron. *Neap. notus eſt amor Phædræ*] Quæ privignum Hippolytum Theſei filium amavit, & in amore non reſpondentem, patri falſo de affectato concubitu accuſavit. *Nota eſt injuria Theſei*] Qua injuria filium innocentem affecit.

740. *Ille credulus*] Theſeus, qui dictis uxoris fidem adhibuit *Devovit*] Morti ſcilicet. *Suum natum*] Hippolytum.

741. *Equi*] Hippolyti. *Solliciti*] Timidi. *Terrentur*] Objectis Neptuni monſtris. *Et fruſtra retenti*] Nam fruſtra eſt ille conatus eos retinere.

742. *Trahunt dominum*] Hippolytum.

743. *Loris morantibus artus*] Tenentibus artus implicitos: & cum ſolvere ſe non poſſet, diſcerptus eſt.

744. *Erat raptus*] Raptatus, tractus ab equis.

745. *Multum indignante Diana*] Quaſi ægerrimè ferente mortem illius, quæ illum pudice amabat.

746. *Coronides*] Æſculapius Apollinis & Coronidis nymphæ filius.

747. *Reddam vitam*] Suſcitabo extinctum, & reſtituam illi animam.

748. *Et fata triſtia*] Quæ mortem hominibus afferunt. *Cedent arti meæ*] Medicæ: quia invitis fatis reviviſcet Hippolytus.

750. *Illa*] Gramina. *Prius profuerant manibus Glauci*] Umbris & vitæ Glauci Minois filii. *Paul. Glauci manibus illa prius*] Hunc etiam vult vitæ redditum ab Æſculapio: quod factum à Polydio ſcribit Apollodorus, quem omnino vide lib. 3. Bibliotheces ſub initium. *Neap. Augur*] Æſculapius, deſcendit in herbas, quas aut ipſe antea obſervaverat, aut quas tunc obſervabat. P.

752 *Uſus*

Uſus & auxilio eſt anguis ab angue dato.
Pectora ter tetigit, ter verba ſalubria dixit:
Depoſitum terra ſuſtulit ille caput.
Lucus eum, nemoriſque ſui Dictynna receſſu
Celat: Aricino Virbius ille lacu.
At Lacheſis Clothoque dolent ſua fila teneri,
Et fieri regni jura minora ſui.
Jupiter exemplum veritus direxit in illum
Fulmina, qui nimiæ moverat artis opem.
Phœbe querebaris: Deus eſt. placare parenti:
Propter te, fieri quod vetat, ipſe facit.
NOn ego te, quamvis properabis vincere Cæſar,
Si vetet auſpicium, ſigna movere velim.
Sint tibi Flaminius, Thraſymenaque litora teſtes,
Per volucres æquos multa monere deos.
Tempora ſi veteris quæris temeraria damni;

Quartus

752. *Uſus & auxilio*] Cum Æſculapius de Glauco ad vitam revocando mente agitans, in ſe reſſu quodam ſerpentem baculo percuſſum interfeciſſet, alter herbam ore ferens accurrit, & mortui caput ea contigit: quo facto, ambo inde incolumes receſſerunt. *Ant.*

753. *Ter tetigit*] Illis graminibus. *Pectora*] Hippolyti lacèri. *Ter dixit verba ſalubria*] Carmina, quibus animam revocaret in cadaver.

754. *Ille*] Hippolytus. *Suſtulit*] Elevavit caput. *Depoſitum terra*] Quod caput humi recumbebat.

755. *Lucus celat eum*] Abſcondit illum Diana in ſilva Aricina. *Dictynna*] Diana. P. *Dictynna receſſu*] De hoc cognomento Dianæ adi Diodorum Siculum Βιβλιοθήκης lib. 5. quæ & Βριτόμαρτις dicta. *Neap.*

756. *Ille eſt Virbius*] Dimiſſo enim priore nomine, *Virbius* eſt appellatus.

757. *At Lacheſis Clothoque dolent*] Parcæ quæ mortalia fata diſpenſant. *Dolent teneri ſua fila*] Retardari vitam hominum magis, quam ipſæ decreverunt: & quæ erant jam truncata fila, adhuc retineri.

758. *Et dolent jura ſui regni fieri minora*] Imminui ſuam poteſtatem, cum quos letho dederint, ſuſcitentur.

759. *Jupiter veritus exemplum*] Ne exemplo Æſculapii quoque mortales mortuos eſſent ſuſcitaturi.

760. *Qui nimiæ moverat opem artis.* Quæ mortuos ſuſcitaret.

761. *Phœbe querebaris*] Extinctum filium. *Deus eſt*] Relatus eſt in deos. *Placare parenti*] Reconciliare Jovi patri tuo.

762. *Propter te*] Tua cauſa. *Quod vetat fieri*] Excitavit ab inferis filium tuum, & cœlo intulit: ſed non vult ut hoc mortales poſſint, aut audeant.

763. *Non ego te quamvis*] Quarto die ab ortu Æſculapii, hoc eſt, 24. die Junii non eſt bonum exire ad bellum; nam infauſta, & in faſtos relata, clade Flaminii, qui ſpretis auſpiciis contulit ſigna cum Hannibale, & fuſus eſt exercitus Romanus ad Thraſimenum lacum. *O Cæſar*] Germanice. *Quamvis properabis vincere*] Etiam cum acceleres victoriæ cupidus. P. *Non ego te, quamvis*] IX. Kalendas occubuit ad lacum Thraſimenum C. Flaminius Conſul clade inſigni: ob ſpreta auſpicia putarunt illi cæci; ideo hæc Cæſari modo commendat. *Neap.*

764. *Ego non velim te movere ſigna*] Vexilla ad confligendum cum hoſte. *Si vetet auſpicium*] Si habeas auguria contraria: aut prohibeant.

765. *Sint tibi teſtes Flaminius*] Conſul ab Hannibale trucidatus. *Et littora Thraſimena*] Ripæ Thraſimeni lacus, qui eſt in Hetruria, inter Peruſiam & Cortonam.

766. *Deos æquos*] Benignos. *Multa monere per volucres*] Per auguria.

767. *Si quaris tempora temeraria*]

Si

Quartus ab extremo menſe bis ille dies.
Poſtera lux melior ſuperat Maſiniſſa Syphacem,
Et cecidit telis Haſdrubal ipſe ſuis.
Tempora labuntur, tacitiſque ſeneſcimus annis,
Et fugiunt fræno non remorante dies.
Quam cito venerunt Fortunæ Fortis honores:
Poſt ſeptem luces Junius actus erit.
Ite, deam læti Fortem celebrate Quirites:
In Tyberis ripa munera regis habet.
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba.
Nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ juvenum convivia lintres,
Multaque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc: quia qui poſuit, de plebe fuiſſe
Fertur, & ex humili ſceptra tuliſſe loco.
Convenit & ſervis: ſerva quia Tullius ortus
Conſtituit

Si vis ſcire diem, quo die temerarius conſul tantam jacturam fecit.

768. *Quartus ab extremo*] Octavus dies à fine menſis, hoc eſt, 23 die Junii. ea in faſtis notata eſt, habita ſemper infauſta.

769. *Poſtera lux*] Sequens dies qui erit 24. Junii. *Eſt melior*] Fœlicior, duabus victoriis, quæ diverſis temporibus, ſed eodem die contigerunt. *Maſiniſſa*] Rex Maſſiliorum, & ipſe *Haſdrubal cecidit ſuis telis*, cum ſuis armis & omni exercitu cæſus eſt. P. *Poſtera lux melior*] VIII. Kalendas Syphax ille à Scipione Africano ſecundo prælio diruitus; tertio victus & captus à C. Lælio & Maſiniſſâ Rege: nec multo poſt, Cyrta regni caput, Sophonisba uxor, & regia familia, anno Urbis DL.

770. *Haſdrubal ipſe ſuis*] Id fuit antea, anno Urbis DXLVI. C. Claudio Nerone & M. Livio Salinatore Coſſ. *Neap.*

771. *Tempora labuntur*] Interponit non incompte ſententiam temporis cito labentis, quod jam conſenuerat poëta, cum emendaret opus, & eſſet hos ſex libros editurus.

773. *Quam cito venerunt honores*] Quam cito venit feſtum Fortis Fortunæ. P. *Fortuna Fortis honores*] Nam ſunt eodem VIII. Kalendas Juliæ. De hac celebritate M. Varro lib. V. de L. L. *Neap.*

774. *Junius erit actus*] Exactus. *Poſt ſeptem luces*] Hoc eſt, poſt ſeptem dies.

775. *Celebrate Fortem deam*] Sacrificate Forti Fortunæ.

776. *Habet munera regis*] Habet templum à Servio rege conditum, & conſecratum in ripa Tyberina extra urbem. P.

776. *In Tyberis ripa*] *Secundum Tyberim*, ait Varro; nimirum ultra flumen: nam Fortis Fortunæ templum ſitum in Tranſtyberinâ regione; vel ex eo patet, quod Naſo ſubdit vel ponte vel naviculâ illud adeundum. *Neap.*

777. *Decurrite*] Properate ad templum Fortunæ. *Pars pede*] Cum pedes ire poſſit. *Pars celeri cymba*] Quoniam per Tyberim cymba poteſt illuc deferri.

778. *Redire inde domum potos*] Reverti multo cpoto vino: quia convivia quoque extra urbem fieri debent.

779. *Lintres*] Naviculæ fluminales. *Vos lintres*] Naviculæ coronatæ. *Ferte convivia juvenum*] Juvenes ſimul epulantes.

780. *Et bibantur*] Per Tybrim in lintribus bibendum eſt

781. *Plebs colit hanc*] Fortem Fortunam. *Fuiſſe de plebe*] Ex obſcuro genere. *Qui poſuit*] Servius rex autor ejus templi hic dicitur.

782. *Et tuliſſe ſceptra ex humili loco*] Quaſi ex infima conditione ad regnum aſcendiſſe. P. *Et ex humili ſceptra tuliſſe loco*] Sed idcirco Plutarchus Fortunam cognomine μικρᾶν ἢν βρέφει, inquit, καλεῖσι, ſacrâſſe commemorat; multaque ibi fana ſcribit à Servio

Conſtituit dubiæ templa propinqua deæ.
Ecce ſuburbana rediens male ſobrius æde,
Ad ſtellas aliquis talia verba jacit:
Zona latet tua nunc, & cras fortaſſe latebit:
Dehinc erit, Orion, adſpicienda mihi.
At ſi non eſſet potus; dixiſſet eadem
Venturum tempus ſolſtitiale die.

LUcifero ſubeunte, lares delubra tulerunt,
Hic ubi ſit docta multa corona manu.
Tempus idem Stator ædis habet, quam Romulus olim
Ante Palatini condidit ora jugi.

TOt reſtant de menſe dies, quot nomina Parcis,
Cum data ſunt trabeæ templa, Quirine, tuæ.

TEmpus Iuleis cras eſt natale Kalendis:
Piërides cœptis addite ſumma meis.

Dicite

Servio eidem exſtructa.

783. *Serva quia Tullius ortus*] Ex captivâ Ocriſiâ Ocriculanâ. *Neap. Convenit & ſerva*] Servi quoque celebrare debent feſtum. Quia Tullius ortus ſerva.

784. *Conſtituit templa propinqua*] Nam Fortis & Parvæ. Aut *propinqua*, qua velut cognata ſervis, qui in infima conditione verſantur. *Dea dubia*] Fortunæ.

786. *Ad ſtellas*] Hæc loquitur, cœlum intuens poſt occaſum vigeſimi quarti diei ipſius menſis.

787. *Zona tua latet*] Non videtur eo tempore zona Orionis. *Latebit cras*] Quia neque vigeſimo quarto, neque vigeſimo quinto poterit videri. P. *Zona late tua nunc*] Eodem VIII. Kalendas, ſubdit & VII. etiam latere: VI. ergo heliace oritur. *Neap.*

788. *Erit mihi videnda*] Nam vigeſimo ſexto die apparebit zona.

789. *Dixiſſet eadem*] Qua & viſurum ſe Zonam dicebat.

790. *Tempus ſolſtitiale*] Solſtitium æſtivum, quod Poëta oſtendit ſexto cal. Quintiles, Columella octavo Calen. P. *Tempus ſolſtitiale die*] Non VIII. Kalendas, & eodem die feſto Fortis Fortunæ, nam manifeſto ſolſtitium eodem die Naſo facit, quo exortum Orionis, ut Aëtius, & alii.

791. *Lucifero ſubeunte*] V. Kalendas dicata Larum, & Jovis cognomento Statoris ædes. *Neap. Lucifero ſubeunte*] Die ſequente. *Lares tulerunt delubra*] Fuêre illis templa conſecrata. De his diximus in ſecundo libro, & in quinto. Sed quinto Calend. Quintil. dedicata ſunt illis templa in ea parte urbis, ubi erant Corolariæ.

792. *Hic*] Sunt ipſa templa. *Ubi ſit multa corona*] Ubi ſunt coronarum artifices, præſertim Philyra, & Glycera.

793. *Idem tempus*] Eadem dies vigeſima ſeptima menſis. *Erit Statoris*] Nam erit feſtum Jovis Statoris. Cujus templum Romulus voto dedicavit, bello Sabino, cum Romana acies inclinaſſet.

794. *Ante ora jugi Palatini*] Nam inter Palatium & Capitolium conſtitutum eſt templum.

795. *Tot dies reſtant*] Superſunt *De menſe*] Junio. *Quot nomina Parcis*] Quæ tres ſunt, ſic tres dies ſuperabunt, & erit vigeſima octava die menſis.

796. *Quirine*] Romule. *Sunt data templa*] Conſtituta & conſecrata templa. *Trabea tua*] Tibi trabeato. Dedicatum eſt illi templum in Colle Quirinali. P. *Templa, Quirine, tua*] Loquitur de antiquo illo templo, quod ſtatim Romulo poſuerunt in colle Quirinali, poſt relata Julii Proculi: illud poſtea ſex ſupra ſeptuaginta columnis ornavit Cæſar Octavianus, iterumque dedicavit. Vide Dionem lib. 54. *Neap.*

797. *Tempus natale Iuleis*] Die craſtini erunt calendæ Iuliæ. Sed *natale tempus. Iuleis* dixit, quod hoc menſe natus eſt Julius Cæſar, ex ſacra Julæa domo. Et cum prius *Quintilis* diceretur, in honorem

Dicite Piërides, quis vos adjunxerit iſti,
Cui dedit invitas victa noverca manus.
Sic ego: ſic Clio, Clari monumenta Philippi
Adſpicis: unde trahit Marcia caſta genus.
Marcia ſacrifico deductum nomen ab Anco,
In qua par facies nobilitate ſua.
Par animo quoque forma ſuo reſpondet in illa:
Et genus, & facies, ingeniumque ſimul.
Nec quod laudamus formam, tam turpe putaris.
Laudamus magnas hac quoque parte deas.
Nupta fuit quondam matertera Cæſaris illi.
O decus, ô ſacro fœmina digna thoro!
Sic cecinit Clio: doctæ aſſenſere ſorores.
Annuit Alcides: increpuitque lyram.

norem Julii Cæſaris, *Julius* appellatus eſt, quod hoc menſe, quarto die iduum Julius ipſe procreatus fuerit. P. *Cras eſt natale Kalendis*] Relinquit vacuum diem unum, & ſumus, inquit, in ultimâ menſis luce; quâ refecta ædes Herculis Muſarum: cras erunt Calendæ Juliæ. *Neap.*

798. *Pierides*] Muſæ. *Addite ſumma*] Quaſi extremam manum. *Mais cœptis*] Huic parti operis, quam nunc editurus ſum.

799. *Quis adduxerit vos iſtuc*] Ad templum Herculis.

800. *Cui*] Herculi. *Noverca victa*] Juno, quæ victa tandem eſt virtute illius. *Dedit manus invictas*] Propterea quod vicit omnia monſtra, quibus eum objecerat Juno. Hoc petit Poëta, quis conſecraverit templum Herculi Muſiſque commune. Sic enim dedicaverat ædem Martius Philippus, Auguſti vitricus, ut teſtis eſt Sueton.

801. *Sic ego*] Quæſivi. *Sic Clio*] Muſa reſpondit. *Monumenti clari Philippi*] Adduxere ſcilicet nos in templum Herculis. P. *Clari monumenta Philippi*] Tacet antiquam templi auctorem, & nominat juniorem. Antiquus fuit Fulvius Nobilior. Habeas ſecundum: is fuit Philippus Auguſti vitricus, qui jam vetuſtate collapſum reſtituit: tale nihil apud antiquos. *Neap.*

802. *Unde*] A quo Philippo. *Trahit genus*] Hoc eſt, unde nata ſit. *Marcia caſta*] Hæc filia fuit Martii Philippi, quam Cato Uticenſis poſt divortium Attiliæ, puellam admodum uxorem duxit. *Paul. Martia caſta genus*] Hæc illa eadem, quæ ſummè dilexit noſtri conjugem. *Neap.*

803. *Martia nomen deductum*] Quæ genus & nomen longa temporum ſerie deductum habet. *Ab Anco ſacrifico*] Ab Anco Martio quarto Rege Romanorum. *Sacrifico* dixit, quoniam natus eſt ex filia Numæ Pompilii, qui tot ſacrorum & ſacrificiorum & ceremoniarum inſtituit.

804. *In qua*] Martia. *Fuit facies par nobilitate*] Nam ut genere illuſtris forma. *Paul. Nobilitate fuit*] Membrana vetus, *nobilitate ſuâ eſt*. Neſcio quam eligam: nam ſcriptura una dicit extinctam altera ſuperſtitem. *Neap.*

805. *Reſpondet animo*] Ut præſtantis formæ, ita & animi quoque præſtantis.

806. *Et genus & facies, & ingenium*] Simul hæc tria *parta* reſpondent in illa.

807. *Laudamus magnas deas*] Laudare ſolemus Junonem, Pallada, Dianam, Venerem, & cæteras. *Laudamus formam*] Ipſius Marciæ.

808. *Hac quoque parte*] Ab ipſa forma.

809. *Nupta illi*] Philippo. Ipſe Martius Philippus antequam habuiſſet Acciam matrem Auguſti uxorem, habuit ſororem matris Cæſaris.


810. *O fœmina digna ſacra domo*] O matertera Cæſaris digna connubio ſacrificæ gentis Martiorum.

811. *Sic Clio cecinit, doctæ ſorores aſſenſere*] Cæteræ Muſæ affirmavere dicta Clius.

812. *Alcides annuit*] Hercules quoque affirmavit. *Et increpuit*] Hoc eſt, inſonuit. *Lyra*] Omnis Muſarum cithara, in ipſa æde à Martio Philippo dedicata. In qua & Herculis ſimulacrum erat, & omnium Muſarum effigies.

FINIS.

MVSEVM BRITAN



Nicholas

Nicholas